
3 1761 07833925 6

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

Obeunte usque ad diem 14. Februarii Emo, & Rmo Domino

CARDINALE CARRARA

MOX VERO

R. P. D. PHILIPPO CARANDINO

Prodierunt in Causis sub annum 1785.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LIV.


DUPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLXXXV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.


LIBRARY
SEP 1 1908
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX
CAUSARUM PER DIŒCESES

FINIS.

Die Sabbathi 15. Januarij 1785. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRæter Causas in postrema Congregatione non resolutas, aliæ in præsenti Folio recensentur, de quibus sapientissimum EE. VV. judicium desideratur.

BONONIEN. *Sess. 14 cap. 12. de Reform.*
An sit concedendum indultum in casu &c.

Negativè.

VERULANA. *Sess. 23. cap. 2. de Reform.*
I. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*
Et quatenus negativè.
II. *An, & ad quod tempus sit locus suspensioni nominationis Capellani ad effectum erogandi reditus Capellaniæ in meliorandis bonis in casu &c.*

Ad I. Affirmativè adimpletis oneribus, & ad mentem: & mens est, quod Patronus incumbat bonorum restaurationi.
Ad II. Provisum in primo.

Seff. 24 cap. 1. de Reform. Matrimonii.

JANUEN. DISPENSATIONIS. Antonius Braccelli Patricius Januensis, cum ob provectam ætatem, aliasque Familiæ circumstantias, non posset aliam æque nobilem Puellam in Uxorem ducere, Matrimonium inire statuit cum Angela Maria Rosa Badino, honesta quidem Puella, sed inferioris admodum conditionis. Celebratum fuit hoc Matrimonium, insciis Parentibus Viri, coram Vicario Generali Januæ, & duobus testibus die 18. Julii anni 1781. circa primam noctis horam. Expleto Ecclesiæ ritu, discesserunt Conjuges, quos usque ad viam nuncupatam *Lomellina* comitatus est Sacerdos Antonius Natalis Badino Sponsæ Patruus; Deinde dictus Sacerdos eos reliquit, & Sponsi iter prosequuti sunt ad plateam *dell' Acqua verde*. Huc perventi, paulo post advenit præfatus Sacerdos Badino, qui Sponsam in propriam domum recepit. Sponsus vero ad locum suæ habitationis sese restituit. Mane sequentis diei Conjuges benedictionem nuptialem in privato quodam Oratorio receperunt, indeque Sponsa cum dicto Patruo ad suos lares rediit, & Vir Conjugem reliquit = *Nella reciproca intelligenza* (ait vir) *di non unirsi alla consumazione del Matrimonio fino a che io non avessi ordinato le mie cose domestiche, e per la mutazione della servitù, e per quelle disposizioni, che avessi stimate necessarie all'oggetto della secretezza*.

Paucos post dies Antonius Braccelli aversionem a contracto Matrimonio concepit; Id autem evenisse inquit, quia nocte diei 22. ejusdem mensis Julii, dum somno quiesceret, putavit se in quodam nemore reperiri, ubi canum morsibus dilaniatum mortem jam sibi imminere visus est. Exurgens a somno, recordatus est, quod cum alia Puella, priusquam Matrimonium contraheret, amicitiam habuerat, eique urgenti, ut secum Matrimonium iniret, responsum dederit =*che non voleva accasarsi*=, suamque assertionem hoc maledicto confirmaverit=*possa morire in quella prima notte, che io mi unisco, e dormo con un altra* = Hæc omnia Antonius Braccelli Sponsæ Patruo patefecit, & statim excogitare cæpit modum, quo a Matrimonii vinculo dissolvi posset; Hinc pro obtinenda dispensatione Matrimonii rati, & non consummati preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, qui illas Sac. huic Congregationi remisit. De his modo agitur.

Ajunt Braccelli Defensores, duo requiri ad obtinendam dispensationem: nempe quod Matrimonium non fuerit consummatum, quodque justæ, & rationabiles causæ concurrant; Utrumque in præsenti casu verificari; Nam ad excludendam Matrimonii consummationem exhibent ju-

ra-

tatam Conjugum depositionem, eorumque responsiones, tam super articulis, quam super interrogatoriis datas, in quibus sub juris jurandi religione fassi sunt nunquam Matrimonium consummasse. Conjugum dicta confirmari ex testibus, & ex septima Propinquorum manu. Verum probationem non secutæ consummationis magis aperte resultare ex circumstantiis, quæ præcesserunt, quæque Matrimonium, comitatæ, & subsecutæ sunt; Observant enim, Sponsalia conclusa fuisse absque eo, quod inter Sponsos familiaritas ulla intervenerit, & post celebratum Matrimonium, acceptamque benedictionem nuptialem nunquam conversatos, immo nec sine testibus allocutos fuisse; Paucos vero post dies patefactam fuisse Viri aversionem; Ex hisce omnibus deprehendi sustinent, Matrimonium esse dumtaxat ratum, & non consummatum.

Exclusa igitur consummatione, perpendunt causas, quas justas, & rationabiles pro dispensatione affirmant. In dubium inquiunt, revocari non posse præconceptam Sponsi aversionem usque ab inito conjugio, ejusque a Sponsa alienationem, quam quidem Amicorum, & prudentum Virorum consilio, nec vinci, nec superari unquam potuisse, immo de die in diem magis augeri, tum propter nocturnum phantasma, tum quia Matrimonium, quod secretum esse debebat, universæ Civitati Januensi jam innotuit. Addunt ex hoc ipso gravia mala fore eventura, si Conjuges in Matrimonio persistant, nam inter Conjuges continua erunt dissidia, prolis educatio negligetur, & fortasse etiam spe habendæ prolis destituerentur; Quare concludunt, justam, & rationabilem adesse causam indulgendæ dispensationis, cum aliis posthabitis exemplis Conjugum implacabile odium causa fuerit, ut similis dispensatio indulgeretur in causa *Veneta Dispensationis* 24. *Martii* 1781. inter Antonium Farsetti, & Albam Zenobi, & novissime in alia *Januen. Matrimonii* 16. *Augusti* 1783. Inter Marchionissam Mariam Brignola, & Marchionem Paulum Franciscum Spinulam.

Contra vero Matrimonii Defensor advertit, Sponsam non sponte, sed Viri suasionibus traductam fuisse ad postulandam Matrimonii dispensationem, deesse hinc alterius Conjugis consensum, & propterea dispensationem denegandam fore, cum citra casum impotentiæ uterque Conjux consentire debet, ut dispensatio rite concedatur: Multoque fortius indulgendam non esse, quia ad illam obtinendam urgens causa non affertur. Ineptissimas sane

ne esse dicit causas ab Antonio Braccelli adductas, & primo quidem spernendum fore vanum timorem ex somnio præconceptum, cum somnium nullam cum contracto Matrimonio habeat connexionem, & superstitiosum sit somniis fidem præbere. Parvi etiam faciendam esse fidem datam ab eodem Braccelli alteri Puellæ de non nubendo, & maledictum, quod in se auspicatus est, si cum alia Matrimonium contraxisset, nam ab hujusmodi promissione recessit, semel ac ad Matrimonii celebrationem devenit; Ait præterea datam fidem servare nequaquam cogi potuisse, cum per verba negativa, nulla, neque quoad Matrimonium, neque quoad Sponsalia, contrahatur obligatio. Addit insuper Sponsalia de futuro, licet jurata, per subsequens Matrimonium resolvi, eoque magis rescindi quamcumque negativam promissionem, præsertim quando fuit inconsiderata, & facta in æstu amoris.

Inefficaces, parumque relevantes esse contendit alias causas, quæ pro obtinenda dispensatione proferuntur; Sustinet enim ex inani principio, procedere assertam impossibilitatem cubandi cum Vxore sibi desponsata; nam advertit, ex hac sola causa Matrimonia nunquam fuisse soluta, & si odium, & animi alienatio sufficientem præberent causam dispensationis, plurima connubia ritè & recte celebrata dissolvi deberent, & præsertim dissolvenda forent ea Matrimonia, quæ juvenili ardore contracta fuissent, quorum sæpe sæpius Conjuges pænitere solent; Ad rem quoque affert nonnullas Sac. Congregationis resolutiones, ut in *Pragen. Matrimonii* 26. *Januarii* 1732., & 27. *Februarij* 1734. *In Wormatien. Matrimonij* 13. *Junii* 1733., & *in Hispalen.* *Dispensationis* 14. *Martij* 1739., & 14. *Decembris* 1743., in quibus dispensatio fuit denegata, licet Conjuges acriter genio invicem repugnarent.

Notat præterea, nullo fundamento repugnantiæ causam, & animorum aversionem innixam esse, sed in sola Braccelli opinione consistere; Inquit enim Matrimonium matura deliberatione, & libenti animo celebratum fuisse; Animorum alienationem ex somnio, & promissione de non nubendo originem habere, hanc autem aversionem facile posse vinci, si Conjuges simul cohabitent, ac mutuæ benevolentiæ signa invicem præbeant, & hoc etiam modo vinci posse existimat timorem inaptitudinis ad copulam. Ulterius ait, perperam dispensationem peti, quia agitur de Matrimonio contracto a Viro nobili cum Puella inferioris conditionis; nam observat nihil ex hoc timendum

dum esse, cum Vir ante Matrimonii celebrationem deliberasset cum Puella non nobili Matrimonium inire, illudque non ex insano amore, imprudenter, & festinanter fuisse contractum. Demum contendit adducta dispensationum exempla a præsenti casu aliena prorsus esse, nam in hisce dispensationibus aderant urgentissimæ causæ, & præsertim defectus consensus contrahentium in actu celebrationis Matrimonii, & vehemens aderat quoad secundum ex allatis exemplis, dubium in viro impotentiæ.

Vicarius Generalis refert, quod = *Nulla adsit spes unionis, animorumque concordiæ, immo potius infelices exitus, contentiones, pericula, & scandala undequaque pertimenda*; Quare concludit = *Spiritualem animarum salutem, ut par est, præ oculis habens, Oratorum mutuæ, & concordi petitioni annuendum censeo. Nullum aliud siquidem superesse mihi videtur remedium, tum ad promptè consulendum eorum conscientiæ, & angustiis, tum ad perspiciendum evidenti, & perpetuo eorum discrimini, tum ad reintegrandas inter has familias tranquillitatem, & quietem, tum demum ad tempestivè removendum quodcumque futurorum scandalorum periculum.*

Dubium nullum est, quod Matrimonium, si dumtaxat fuerit ratum, & non consummatum, possit Summi Pontificis auctoritate dissolvi; Dissolutio autem non permittitur, nisi justæ, & rationabiles causæ concurrant, quæ quidem causæ juxta sententiam Canonistarum in *cap. Ex publico, de convers. Conjug.* esse debent urgentissimæ. De hisce causis fuse disserunt *Sanch. de Matrim. lib.2. disp. 16. de Justo de dispensat. lib. 2. part. 10. num. 20. Ursaya tom. 2. part. 1. discept. 3.*, & *tom. 3. part. 2. discept. 21.* ubi etiam *num. 77. ad 95.* refert votum Card. Lancellotti editum in quadam Causa *Hispalen. Dissolutionis Matrimonii*.

Ponderandum an causæ, quæ ab Antonio Braccelli proferuntur ita sint efficaces, ut Matrimonii dispensationem suadeant. Cum autem potissima causa referatur ad odium, & animi aversionem contra Uxorem præconceptum, hinc videndum, an hujusmodi odium, & animi alienatio justis nitatur fundamentis, aut vinci, & superari possit.

Sacra Congregatio dispensationem censuit indulgendam, si urgentissimæ causæ adessent, ut in *Januen.* 20. *Maii* 1719., *in Urbanien.* 12. *Januarii* 1726., *in Chien.* 12. *Martii* 1729. *in Massanen. Matrimonii* 30. *Januarii* 1779, & novissime *in Januen. Matrimonii* 16. *Augusti* 1783. Si vero

vero nullæ adessent causæ, vel parum relevantes viderentur, dispensationi locum non esse putavit, ut in *Romana* 28. *Martii* 1699. *in Eystetten. Dispensationis* 15. *Martii* 1717. *in Pragen. Matrimonii* 26. *Januarii* 1732., & 27. *Februarii* 1734., & *in Hispalen. Dispensationis* 14. *Martii* 1739., & 14. *Decembris* 1743.

Eminentissimi PP., qua ornantur juris Ecclesiastici peritia, dignabuntur respondere dubio.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati in casu &c.

Negativè; & ampliùs.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

UTINEN. IRREGULARITATIS. Sacerdos Sebastianus Coterli Oppidi Moimaco quadam die anni 1777. cum degeret in propria domo, objurgationibus, & conviciis fuit lacessitus ab Uxore Petri Coterli ejus Patruelis; Supervenit Petrus, qui aliis contumeliis Sebastianum affecit; Cum autem istius Sacerdotis germanus Frater contentionem audivisset, statim accurrit opem Fratri allaturus; quare irruens in Petrum, & hic adversus illum calcibus, & manus ictibus sese invicem male affecerunt; Ast Sacerdos, ut Fratrem colluctantem a discrimine liberaret, baculum arripuit, ictusque aliquos in brachium Patruelis direxit, & in æstu pugnæ, properante jam nocte, ictu uno tam graviter Petrum in capite percussit, ut ille humi procumbere coactus fuerit; Ubi vero Frater Sacerdotis Coterli Petrum humi jacentem vidit, cæpit illum in ventre pedibus conculcare.

Post hæc Petrus illuc discessit, & licet tam male habitus, & percussus, nullo tamen auxiliante, in propriam domum se recepit, ubi in ipsa nocte vehementibus correptus doloribus occubuit. Res ad Judicem delata est, & facta cadaveris inspectione, binæ in eo contusiones fuerunt repertæ, nempe una in capite, in ventre altera; Verum Periti concordes non fuerunt in dignoscendo, num ex una potius, quam ex altera contusione mors evenerit. Compilato Processu, Sacerdos Coterli innocens ab homicidio

cidio fuit declaratus, obtentaque Partis venia, dispensationem ab irregularitate efflagitavit, sed rejectus fuit tum in Congregatione *diei* 17. *Julij* 1779., tum in alia Congregatione *diei* 7. *Februarij* anni nuper elapsi, ex eo præsertim, quia, pendente instantia pro dispensatione, Missam celebraverat. Renovat modo preces dictus Sacerdos, & Causa in Folio describitur, ut quid juris sit Emi PP. decernant.

Binæ habitæ fuerunt ab Archiepiscopo relationes; In prima, quæ est diei 23. *Junij* 1779. hæc ait = *Constat Oratorem injuste agressum fuisse in propria domo, injuriis, & contumeliis affectum a Petro Coterli, ejusque Uxore, nec quidquam ipsum egisse, ex quo nocendi, vel ulciscendi animus dignosci possit. Percussiones baculi, quas Orator adhibuit ad Fratris vitam tuendam, nec ad ossium fractionem, nec ad grave vulnus, eo minus ad necem inferendam directas fuisse facile credendum est. Causa ad Forum deducta, in visione cadaveris, diversa fuit Professorum opinio, utrum ex percussione baculi in capite, an potius ex contusione illata ab Oratoris Fratre in ventre mors secuta fuerit; Unum est, quod Judicis sententia Orator tanquam innocens absolutus fuit. His itaque positis, & habita declaratione Partis de nulla oppositione facienda, animi mei sententiam aperire jussus, Oratorem ipsum imploratæ dispensationis ab irregularitate in dubio dignum esse censeo* =.

In altera vero relatione diei 13. *Decembris* 1783., exposita in præcedenti confirmat, addiditque, quod = *Pendente adhuc instantia Oratoris apud Sanctam Sedem pro dispensatione super irregularitate in dubio, cum mihi relatum fuisset, Oratorem ductum privatis opinionibus Missas celebrasse, ex debito pastoralis mei Officii a Sacro Altari arcendum esse duxi: nihilominus tamen cum erroneo dictamine id egerit, & ante præmissum crimen contra ejus vitæ, morumque honestatem, nihil unquam huic Curiæ nuntiatum fuerit, ac facti pœnitens, veræ constantisque emendationis signa dederit, sum in sensu, quod, si EE. VV. placuerit, super implorata dispensatione exaudiri possit* =

Notissimæ sanè sunt Ecclesiæ leges, quibus ab Altaris ministerio arcentur qui humanum sanguinem fuderint. Dubitatum aliquando fuit, num verè incurratur irregularitas ex percussione, quæ mortem directè non causavit, quia percussus antequam obiret, aliis percussionibus ab altero fuit affectus, nec dijudicari possit ex quibus ictibus decesserit. Quæstionem tamen dirimit Innocentius III. *in cap. Significasti* 18. *de homicid. volunt., vel casual.* §.

Quod

Quod si, in quo scribens Abbati S. Trinitatis Meldeburgensis, sic ait = *Quod si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos: & si forte homicida non sit, a Sacerdotali Officio abstinere debet; cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare.*

Ponderanda sunt, quæ de Oratoris moribus, & vita ante patratum crimen Archiepiscopus retulit; Videndum, an condigna pænitentia sui criminis maculas absterserit; Post hæc decernendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Expectet.

Sess. 23. cap. 12. de Reform.

MALACITANA IRREGULARITATIS. Joseph Gamero & Corpas Civitatis Antiquariensis, ante ætatem a jure statutam, Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines suscepit, & Missæ Sacrificium postea celebravit; Id autem non sine fraude, & dolo egit. Habebat enim Joseph germanam Sororem natu majorem, curavitque ut in Parochiali libro Baptismatis, in quo tam suum, quam Sororis nomen adnotatum erat, ementito caractere, ipse in locum Sororis, Soror vero in sui locum inscriberetur; Atque hinc Soror minor, ipse autem natu major appareret. Quare minus vera Baptismatis fide ad Ordines fuit promotus.

Ubi primum id innotuit, statim Vicarius Generalis Josephum carceribus mancipavit, & compilato Processu, ac probato crimine, illum anno 1779. ab Ordinum exercitio suspendit, & irregularem renuntiavit, insuperque damnavit ad mulctam ducatorum centum, & ad peragenda per mensem spiritualia exercitia in Religiosa domo; Mandatis Curiæ Ecclesiasticæ paruit Josephus; Nunc autem facti pænitens efflagitat dispensationem ab irregularitate.

Vicarius Capitularis testatur de Oratoris resipiscentia, & emendatione, ita ut tuto conjici posse dicit futurum bonum Ecclesiæ Ministrum; Addit ante patratum crimen nul-

nulli fuisse offensionis, & de ejus vita, bonisque moribus certa extare monumenta; Deinde sic prosequitur = *Nunc etiam constanter emendatus persistit, & mei judicio creditor efficitur, ut sibi benevole consulatur, quodque Sac. Congregatio ejusdem Josephi votis auditum præbens, cum eo, si libuerit, ad dispensationem irregularitatis, & suspensionis procedat.*

Si vetera perpendantur Ecclesiæ monumenta, patebit utique, quod ad majores Ordines ii tantum assumebantur, qui provectæ ætatis erant. Siricius Pontifex *epist.* 1. *cap.* 9. hæc præscribit de Clerico = *Usque ad trigesimum ætatis annum Acolythus, & Subdiaconus esse debebit; Post quæ ad Diaconi gradum accedat; Ubi, si ultra quinque annos ministraverit, Presbyterium consequatur.* Id ipsum quoque statuisse videtur Zosimus Papa quemadmodum colligitur ex illius *Epistola* 1. *cap.*2., & 3., in qua jubet, ut ad Subdiaconatum non perveniat, nisi quis constitutus fuerit in anno ætatis vigesimo, ad Diaconatum trigesimo, trigesimo quinto ad Presbyteratum. Concilium Carthaginense III. ætatem pro suscipiendo Ordine Diaconatus aliquando contraxit, nam *can.*4. vetuit, ne ullus ad Diaconatum promoveretur ante annum vigesimum quintum; Et hoc pariter quoad Presbyteratum servatum fuit in Synodo Neocæsariensi, in qua *can.*2. ætas triginta annorum pro Presbyteris fuit præfinita, ea potissimum ratione, quia Christus in ea ætate fuit baptizatus, cæpitque Evangelicæ prædicationis verbum promulgare.

Viguit hæc disciplina etiam in Occidente; Synodus namque Agathensis *can.* 16., & 17. voluit Diaconos esse in ætate annorum viginti quinque, Presbyteros triginta; Nec aliter statuerunt Patres Concilii Arelatensis III. *can.*6. ubi decreverunt = *Ne ullus ex Laicis ante annualem conversionem, vel ætatem legitimam, id est viginti quinque annorum Diaconus, & triginta Presbyter ordinetur*, quodque confirmavit etiam Concilium Toletanum IV. *can.*20.. Servatum pariter id noscitur posterioribus Ecclesiæ sæculis, & solum urgente necessitate, permissum fuit Presbyteros ante dictam ætatem ordinare. Patet id ex *can.* 2. Concilij Toletani habiti anno 1056., in quo constituta est ætas annorum triginta pro Presbyteris, viginti quinque pro Diaconis, nisi singularis, & spectata pietas Episcopum, Clerumque compelleret breviori ætate illos promovere. Confirmatur etiam ex Concilio Rotomagensi anni 1074., quod *can.*6. jussit ordinari Sub-

dianos annorum viginti, Diaconos vigintiquinque, Presbyteros triginta, aut ad summum vigintiquinque, sed urgente necessitate.

Testatur *Tomass. de nova, & veteri Ecclesiæ disciplina part. 1. lib.2. cap.70. n.4.cum seq.* post hæc tempora varios irrepsisse in Ecclesia abusus quoad Ordinandorum ætatem, quos ut compesceret Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *cap.*12. *de Reform.* jussit, quod = *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis annum promoveatur*.

Ut autem ætas præfinita pro suscipiendis Ordinibus omnino servaretur, suspensionis pœna indicta est contra promotos ante tempus, quam quidem pœnam de jure veteri non ipso facto incurrebant sic promoti, sed a die latæ Judicis sententiæ. *Cap. Vel non est compos. de tempor. ordinat.*. Verum Pius II. in Constitutione, quæ incipit *Cum ex sacrorum* edita die 13. *Novembris* 1460. statuit = *Quod omnes, & singuli, qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora a jure statuta, sive ante legitimam ætatem, vel absque Dimissoriis litteris . . . . . ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri, a Sacrorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint, & si, hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant* =.

Dubitant Doctores, quos refert *Barbos. de offic.*, *& potest. Episcop. allegat.*16. *num.*23., num qui bona fide Ordines ante legitimam ætatem susceperint, possint illos exercere, absque eo quod in irregularitatem incidant; In eo tamen omnes conveniunt, quod irregulares evadunt, si fraude, & dolo ante statutam ætatem, Ordines susceperint, & in iisdem Ordinibus ministraverint. Dubium non est, quin Orator fraude Episcopum deceperit, ut ad Ordines promoveretur. Videndum tantummodo, an mereatur dispensationem. Hoc definient Emi PP., quibus Dubium proponitur.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Expectet.

CA.

CAMERINEN. PAROCHIALIS . Anno 1515. san. mem. Leo X. Capitulo Collegiatae Ecclesiae S. Venantii Camerini perpetuo univit Prioratum S.Luciae nuncupatum *di Pelliccione* . Huic Prioratui adnexa erat Parochialis Ecclesia S. Petri Castri Belfortis per Familias divisa ; Ad consulendum spirituali illarum animarum saluti, in actu unionis mandatum fuit , ut Capitulum teneretur praestare congruam Vicario Curato , qui esset ad nutum amovibilis , & Curam animarum in dicta Parochia exerceret. Anno 1592. Episcopus Camerinensis Vicarium perpetuum destinavit cum congrua ex nonnullis Prioratus bonis constituta . Cum anno 1757. relatum fuisset Episcopo , quod Familiae eidem Curae subjectae migraverant ad proximam S. Eustachij Paraeciam , hinc idem Episcopus Capitulum S. Venantii ab onere nominandi Vicarium Curatum exemit , & bona , pro illius sustentatione assignata, eidem Capitulo addixit . *Sess.24.cap.18. de Reform.*

Ægre id tulerunt nonnulli Parochiani Ecclesiae S. Petri , precesque propterea exhibuerunt san. memor. Clementi XIV. ut compelleret Capitulum ad eligendum Vicarium Curatum . Preces Sac. Congreg. fuerunt ablegatae , & requisitus Episcopus pro informatione , retulit = *extare adhuc in dicta Terra Familiam Vicomanni modo in tres Familias descendentes ab uno communi Patre jam defuncto, qui,vivente ultimo Rectore Paraeciae* S. *Petri , ad quam omnino pertinebat,Paraeciae S. Eustachii sponte se subdidit*=Post haec animadvertit , quod,si Paraecia S. Petri reintegranda foret,opportunum esset eidem adjungere partem aliquam alterius Paraeciae S. Eustachii . Haec Episcopus quoad preces aliquorum de Terra Belfortis , quae ad examen revocatae fuerunt in *Congregatione diei* 16. *Maii* 1778.*sub dubio = An Capitulum Ecclesiae Collegiatae S. Venantii teneatur nominare Vicarium Curatum S. Petri Terrae Belfortis in casu &c.* prodiitque plenis Suffragiis responsio = *Affirmativè juxta votum Episcopi* .

Novae ad Eminentissimos PP. delatae sunt querelae ex parte Parochianorum S. Petri , quia executio rescripti Sac. Congregationis negligebatur , auditoque denuo Episcopo,retulit,sibi constitisse ex nonnullis documentis minus vera in facto subsistere , quae in relatione anni 1778. exposuerat , & propterea nullas pro nominatione Vicarij Curati molestias Capitulo intulisse . Post haec Capitulum institit pro facultate revidendi Causam , obtentaque nova audientia in Congreg. *diei* 22. *Aprilis anni elapsi* ,eadem nunc Causa reproponitur utraque parte informante .

Rogantur Eminentissimi PP. resumere Folia distributa pro Congregationibus *dierum* 13. *Septembris* 1778. , & 16. *Maii* 1779 , quae publici juris sunt in *Thesauro Resolutionum* Tom. XLVI. , & XLVII. , ac decernere .

An sit standum , vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis ; & ampliùs , & ad mentem : & mens est, quod Episcopus incumbat omninò diligenti executioni , & subindè referat eidem Sacrae Congregationi .

Sess.25. cap. 4. de Reform.

JANUEN. REDUCTIONIS . In Ecclesia SS. Cosmae, & Damiani Civitatis Januae instituta reperitur Capellania , quae tria pia defunctorum legata complectitur ; Unum nempe Marini Picuti , de quo legato haec tantum habetur notitia = *Prima quarta pars in celebratione Missarum in Ecclesiis Monasterij , & Hospitalis praesentis Civitatis Genuae,ubi videbitur Dispensatori.* Alterum Locorum Montium decem , & novem S. Georgii dictae Civitatis ; tertium Locorum decem ejusdem speciei , quorum postrema duo , primum Isabella Cattaneo , secundum Alexander Cattaneo reliquerant ; Juxta voluntatem Isabellae, & Alexandri onus inhaerebat Capellano quotidie celebrandi in dicta Ecclesia , in eaque divinis Officiis interessendi. Cum autem reditus Locorum Montium onerum adimplemento minimè responderent , hinc anno 1715. Cardinalis Fliscus Archiepiscopus Januensis Missarum numerum reduxit , mandavitque , ut Capellanus celebrare dumtaxat teneretur Missarum numerum juxta reditus ad rationem obulorum decem monetae Romanae . Possidet modo dictam Capellaniam Sacerdos Angelus Antonius Passagno, qui de onerum gravitate conqueritur , & instat , ut pro Missarum celebratione major constituatur eleemosyna , habito etiam respectu ad onus interessendi divinis Officiis ; Quare super hujusmodi instantia judicium Eminentissimorum PP. hodie exquiritur ,

Archiepiscopus refert , quod Capellanus ex omnibus Locis Montium scuta decem , & octo circiter,ex alio vero legato Marini Picuti annuatim de manu Quaestoris Officij Misericordiae scuta quatuordecim in unoquoque anno retrahit , hinc omnes Capellaniae reditus pertingunt ad scuta triginta duo ; post haec ait = *Hisce solis proventibus tenetur Orator adire quotidiè Ecclesiam SS. Cosmae , &*

Da-

Damiani præsentis Civitatis, ibique celebrare ad commodum Fidelium ad eandem confluentium Festis præsertim diebus, & applicare Sacrificium pro piis institutoribus, Divinisque Officiis interesse, quæ per annum in dicta Ecclesia peraguntur; Qui porrò reditus, cum sint oneribus impares, hisce potissimum temporum circumstantiis, quibus ad vitam sustentandam necessaria duplo, quam antea consueverat, cariori pretio venduntur = quare concludit = *quibus attentis, utique censerem, reducendas fore Missas prædictas ad rationem obulorum viginti, hoc est julij unius cum dimidio*. Cui quidem reductioni testatur, quod assensum præbet Capellaniæ Patronus.

Præstat in facto advertere, quod dispositionum, quæ superius relatæ sunt, non alia habetur notitia quam quæ adnotata reperitur in Regestris Domus S. Georgii, ubi hæc habentur = *Eleemosyna Isabellæ Cattaneo Locorum decem, & novem* = *Proventus spectant uni Capellano pro eleemosyna celebrandi Missam in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani Genuæ, qui Capellanus teneatur omni die in perpetuum celebrare pro anima ipsius Isabellæ Missam unam ad unum ex Altaribus dictæ Ecclesiæ, & etiam teneatur interesse Officiis Divinis* = Item ex legato Alexandri Cattaneo in dictis regestris adnotatur = *Proventus Locorum decem annuatim respondeatur uni Capellano eligendo, qui teneatur celebrare quotidie Missam in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani ad unum ex Altaribus dictæ Ecclesiæ juxta voluntatem Isabellæ filiæ quondam Joannis Cattaneo*.

Notandum tamen in jure est, quod, si alia pia opera cum celebratione Missarum demandata fuerint, & reditus pro omnium onerum adimplemento non sufficiant, tunc potius alia pia opera, quam Missarum numerus imminui debet. *Fagnan. in cap. Ex parte de Constit.*, *Monacell. Formul. legal. form.*19. *tit.* 10. *num.*23., *& sequen.* = Ab hac tamen regula receditur; vel quando contraria dignoscitur Testatoris voluntas; *Passarin. de stat. homin. tom.*2. *quæst.*183. *num.*1101 Vel quando pro unoquoque legato peculiares reditus assignati fuerunt, quia tunc onerum reductio proportionabiliter juxta deficientium assignatorum redituum quantitatem indulgeri solet. *Pasqualin. de Sacrif, Missæ qnæst.*1190. *num.*3., *&* 4.

Orator habet onus celebrandi Missam, præfinita eleemosyna in obulis decem pro qualibet Missa, insuperque tenetur Officiis Divinis interesse in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani Civitatis Januæ; Cum autem Missarum reductionem efflagitet, attenta redituum tenuitate, hinc videndum

dum an Missæ, vel potius alia onera imminui debeant. Id ab Emis PP. dijudicandum erit, dum quæritur.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Dilata; & scribatur Archiepiscopo juxtà instructionem, & ab eodem requiratur de summa annua reditus uniuscujusque legati, de qualitate servitii Choralis, & de quantitate eleemosinæ manualis.

Reliquæ non propositæ.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

CAMERINEN. SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. Dum viveret Sacerdos Grisantes Armezzani Ecclesiam ad honorem S. Philippi Nerij proprio ære construxit in Oppido Serræ S. Quirici, illamque moriens hæredem universalem instituit. Voluit tamen, ut tota sua hæreditas impenderetur pro erectione Capellaniarum, & hanc erectionem fieri jussit juxta modum, quo ipsemet Testator vivens aliam Capellaniam anno 1678. erexerat. Capellanis domum pro habitatione assignavit, & Ecclesiæ Sacrario pro Sacris utensilibus capitale annui reditus scut. 15. reliquit. Ad unam ex dictis Capellaniis, quas erigi jusserat, nominavit Dominicum Cicconi, cui etiam potestatem fecit, ut illam in Patrimonium Sacrum constituere posset. Patronatum activum omnium Capellaniarum Episcopo pro tempore Camerini tribuit.

Secuto Testatoris obitu, compositisque nonnullis quæstionibus super illius hæreditate interea exortis, Episcopus ad Capellaniarum erectionem devenit. Unicuique Capellaniæ peculiares assignavit fundos.

Pro dote Capellaniæ Dominici Cicconi constituit duos census, unum nempe in sorte scut. 600., & annui reditus scut. 24., alterum vero in sorte scut. 400., ex quo sc. 16. quolibet anno percipiebantur. Capellanum gravavit onere celebrationis tot Missarum, quot juxta reditus responderent eleemosynæ obulorum decem, & septem cum dimidio, Missasque statutis diebus celebrari jussit; videlicet sex in Festio Nativitatis S. Jo. Baptistæ, unam in

in omnibus Festivitatibus Primæ Classis, alteram prima Dominica cujuslibet mensis alternatim cum aliis Capellanis, reliquas vero proportionabiliter in unoquoque mense.

Sacerdos Cicconi Sacris Ordinibus initiatus fuit ad titulum dictæ Capellaniæ, & ad annum usque 1781. percepit fructus censuum, qui pro dote Capellaniæ fuerant assignati; Ab eo tamen tempore Joseph, & Franciscus germani fratres Marcellini, expedito coram A.C. Monitorio, recusarunt persolvere interusuria unius ex dictis censibus, qui constitutus fuerat in sorte scutorum quingentorum. Hujusmodi Causa, decreto R.P.D. Auditoris SSmi, ad Tribunal Cameræ fuit remissa; Cum autem Capellanus imparem prorsus se agnosceret ad subeundas expensas pro tuendis juribus Capellaniæ, onerum suspensionem efflagitavit, ut eo subsidio litem prosequi posset. Relata fuit Instantia inter suplices libellos in Congregatione diei 11. elapsi mensis *Decembris*, qua die mandatum fuit, ut Causa in Folio describeretur; Obsequendo igitur EE. VV. mandatis, infrascriptum Dubium hodie proponitur.

Episcopus exposita confirmat; Addit Oratorem propter ejus paupertatem expensas litis haud posse subire, nec ad ejusdem litis expensas adigendos fore existimat alios Capellanos, quia unicuique Capellaniæ distincta dos, & reditus assignati fuerunt; & lis, quæ modo agitur, respicit dumtaxat Capellaniam ab Oratore possessam, hinc concludit ipsum *dignum esse gratia quam expostulat, ita tamen, ut, si quando fructus prædicti exigibiles reddantur, ad integrum numerum Missarum præscriptum teneatur*.

Quæritur proinde.

An, quomodo, & ad quod tempus sit locus suspensioni Missarum in casu &c.

TOLENTINA. Testamentum condidit anno 1708. Rodulphus Valtieri Prior Collegiatæ S. Jacobi Tolentini, in quo hæredem scripsit Jo. Baptistam germanum Fratrem, eoque sine filiis decedente, jussit, *Che con i miei beni ereditarj si abiano a fondare, ed erigere tante Prebende Canonicali nella Chiesa di S. Giacomo di questa Città, che abbiano a rendere tanto annuo frutto per ciaschedun Canonico, quanto ne rende uno de Canonicati, che godono i Signori Fidi, e Sonni, con obligo a ciaschedun* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Canonico di celebrare, o far celebrare tre Messe la settimana in perpetuo nell'Altare del SSmo Rosario, e di S. Vittoria per l'anima mia, e de miei = Istorum Canonicatuum patronatum activum reliquit Capitulo ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ S. Jacobi,

Obiit Joannes Baptista sine filiis. Inter ejus hæredes, & Opus pium a supradicto Rodulpho substitutum, lis orta est super identitate, & divisione bonorum; Lis tamen transactione inter partes inita quievit. Deinde anno 1779. placuit SSmo Domino Nostro integram Rodulphi hæreditatem Seminario Tolentini applicare cum onere solvendi singulis annis Orphanotrophio Puellarum dictæ Civitatis scuta quinquaginta, & subministrandi reditus pro quatuor Canonicatibus erigendis, qui quidem reditus præstandi forent = *nella somma voluta, espressa, e prescritta nel testamento del predetto Priore Ridolfo Valtieri.* Suprema Pontificis mandata executus est Episcopus, qui eodem anno 1779. quatuor Canonicales Præbendas erexit, & unicuique ex Canonicis assignavit anno quolibet quatuor rubra frumenti, & scuta sex monetæ; Hanc autem redituum assignationem fecisse declaravit, habito respectu ad reditus Canonicatuum, qui de tempore obitus Testatoris, a Canonicis Fidi, & Sonni possidebantur, quorum proventus in inventariis existentibus in Episcopali Cancellaria fuse erant descripti.

Post hæc Capitulum novos Canonicos præsentavit, qui absque ulla querela Canonicatuum possessionem adepti sunt: Quoniam vero præfati Canonici Fidi, & Sonni, dum Rodulphus obiit, præter rubra quatuor frumenti, & scuta sex monetæ, percipiebant etiam nonnulla emolumenta ipsis obvenientia, tum ex Missarum legatis eisdem privative relictis, tum etiam ex aliis legatis Capitulo delatis sub nomine di *Communelle*, a quorum perceptione novos Canonicos Capitulum excluserat, hinc præfati novi Canonici coram Episcopo institerunt, ut Seminarium adigeret ad sibi præstandos annuos fructus dictis emolumentis respondentes; Insuperque sicuti Canonici Fidi, & Sonni, a quolibet Missarum onere exempti erant, atque e converso Rodulphus suos Canonicos celebratione trium Missarum qualibet hebdomada gravaverat, idcirco pro istis Missis eleemosinam postularunt; Quæstionis examen ex decreto clar. mem. Cardinalis Giraud Pro-Auditoris SSmi, Sac. Congregationi fuit ablegatum; quare hodie bina dubia ab EE. VV. definienda proponuntur.

Qui

Qui Seminarij Causam tuentur, sustinent ad I. fructus certos Præbendarum, quæ a Canonicis Fidi, & Sonni de tempore obitus Testatoris possidebantur non excedere annua scuta sex, & rubra quatuor frumenti, ideoque contendunt, Canonicis, qui Præbendas ex fundatione Rodulphi Valtieri institutas possident, nihil aliud præter dictam pecuniæ, & frumenti quantitatem præstandam esse, quin ullam petere possint compensationem pro emolumentis, quæ præfati Canonici Fidi, & Sonni percipere consueverant ex aliis legatis a diversis Testatoribus, post fundationem Canonicatuum superventis, neque ex Massa distributionum denominata *le Communelle*, cum dicta emolumenta ex fundatione non proveniant, neque Canonicis ratione Officii canonicalis debeantur, & propterea inter fructus certos Præbendæ recenseri non possint. Addunt insuper, legata prædicta quotquot sunt Missarum oneribus gravata esse, & nonnulla etiam extare, quorum onera, si negligantur, ad substitutos devolvi; Hinc inferunt non Præbendæ fructus reputandos esse, sed potius stipendium pro Missarum celebratione. Idque pariter affirmant de distributionibus Massæ *le Communelle*, quæ sane distributiones, vel pro celebratione Missarum sunt assignatæ, vel pro interessentia aliquibus functionibus Canonici lucrantur.

Afferunt exempla Canonici, qui ad restitutionem fructus sui Canonicatus condemnatus fuit, & sustinent, quod fructus tantum Præbendæ, non tamen distributionum restituere tenetur; Similiter notant de Canonico absente cum Indulto percipiendi fructus Præbendæ, quod nunquam distributiones lucratur, quia Distributiones inter Præbendæ fructus non recensentur; Cum autem Rodulphus Valtieri mandaverit, ut Præbendæ, quæ ex sua hæreditate forent erigendæ, pares fructus haberent ac illæ, quæ a Canonicis Fidi, & Sonni possidebantur, hinc contendunt, non de alia redituum quantitate locutum fuisse, quam de fructibus certis dictorum Canonicatuum, quia dictus Rodulphus vir erat Ecclesiasticus, & Prior Collegiatæ S. Jacobi, & optimè noverat discrimen, quod inter fructus Præbendæ, & emolumenta distributionum intercedebat, quæ quidem emolumenta, si a Canonicis suæ institutionis lucrari etiam voluisset, de eisdem emolumentis distincte in testamento sermonem facere non omisisset.

Inquiunt ad II. Rodulphum Valtieri unicuique de Canonicis onus imposuisse applicationis trium Missarum in unaqua-

que hebdomada, nec proinde pro ipsis Missis tanquam onus Canonicatui adnexum emolumentum, vel consuetam eleemosynam deberi, illudque adimplere tenentur semel ac Canonicatum acceptarunt, quod si ultra reditus Præbendæ pro Sacrorum applicatione stipendium foret præstandum, sequeretur absurdum, quod Canonici ex institutione Valtieri, contra Fundatoris voluntatem, majus emolumentum haberent, quam Canonici Fidi, & Sonni percepissent.

Nec obesse, quod si ex reditibus jam assignatis, Missarum eleemosyna detrahatur, Canonicatuum proventus essent minores; Respondent enim, indictam Missarum celebrationem onus esse personale, in cujus correspectivitatem fructus a Testatore fuerunt assignati, & propterea a calculo fructuum demenda non esse Sacrorum stipendia, quia Beneficii proventus ad hunc finem relicti fuerunt; Minusque relevare novos Canonicos tenues percipere reditus, aliisque pauperiores esse; Advertunt enim in ipsorum facultate liberum esse Canonicatum dimittere, si reditus oneribus subeundis impares videantur; Cæterum concludunt, quod facta inter Canonicatus Valtieri, & Canonicatus Fidi, & Sonni onerum dimentione, istorum onera multo graviora comperiuntur.

Possessores Canonicatuum Valtieri, licet moniti, sua jura deducere minimè curarunt.

Episcopus in sua relatione, quæ inter monumenta Causæ dabitur, plura advertit, ex quibus deducit, quod reditus Præbendarum Valtieri consistere tantum debeant in præstatione quatuor rubrorum frumenti, & scutorum sex singulis annis, quia ii sunt fructus Canonicatuum Fidi, & Sonni, nihilque dictis Canonicis Valtieri tribuendum sit, vel pro Missarum celebratione, vel pro aliis emolumentis, a quorum perceptione Capitulum exclusit.

Hujus quæstionis indago pendet a voluntate Prioris Rodulphi Valtieri; perpensis igitur illius testamentariis tabulis, Emi PP. definire dignabuntur.

I. *An, quomodo, & in qua summa debeantur fructus in casu &c.*

II. *An debeatur eleemosyna pro onere trium Missarum in qualibet hebdomada celebrandarum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 12. Martij 1785. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

AD Sacrum EE. VV. Ordinem nuper elato Emo, & Rmo D. Cardinali Franciſco Carrara, SSmi D. Noſtri clementia in ejus locum ſubrogatus fui, hinc hodierna die pro prima vice muneris mei partes adimplens, exhibeo numerum cauſarum de more decidendarum; Ex his primas duas habent Eminentiſſimi PP. in Folio poſtremæ Congregationis, reliquæ ſeptem in præſenti Folio deſcribuntur; Supereſt nunc, ut de omnibus judicium proferatur.

CAMERINEN. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

An quomodo, & ad quod tempus ſit locus ſuſpenſioni Miſſarum in caſu &c.

Affirmativè ad annum præſervato aliquo Miſſarum numero arbitrio Epiſcopi, & reddita ratione coram eodem de erogatione.

TOLENTINA. *Seſſ 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An; quomodo, & in qua ſumma debeantur fructus in caſu &c.*

II. *An debeatur eleemosyna pro onere trium Miſſarum in qualibet hebdomada celebrandarum in caſu &c.*

Dilata.

Sess. 14. *cap* 7. *de Reform.*

GALTELLINEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Redeuntes a venatione germani Fratres Petrus, & Jo. Maria Pau Oppidi Siniscolæ, quosdam sclopi ictus præfixo in loco ad signum, seu metam dirigere cogitarunt; Id autem, ut exequerentur, opus fuit sclopum jam paratum exonerare, illumque aptioribus instruere globulis; Dum autem e sclopo priorem educeret munitionem Joannes Maria, ultro ictus erupit; Quo ex ictu lethaliter vulneratus fuit Petrus, qui paucos post dies occubuit. Homicidii fama percrebuit, & compilato Processu, compertum fuit, casuale homicidium fuisse, hinc Joannes Maria innocens renunciatus est; Nunc autem cupiens Ecclesiasticæ militiæ nomen dare, dispensationem ab irregularitate expostulat.

Dubium, inquit, non esse de casuali homicidio, cum nulla jurgia, sed imò benevolentiæ, & amoris vinculum cum fratre intercesserit, & ea die, qua homicidium contigit, recreationis causa venatum perexerint; Exclusa qualitate homicidii voluntarii, sustinet, dispensationem denegandam non esse, quam eo magis obtinere confidit, quia dum mors accidit, operam dabat venationi a sacris Canonibus nequaquam vetitæ, & post fratris obitum quamcumque criminis maculam absterserit, cum servitio Ecclesiæ Parochialis semper fuerit mancipatus, & probatæ vitæ signa præbuerit.

Episcopus testatur = *Oratorem honestis natalibus ortum, probis moribus ornatum, ac servitio Parochiæ de Siniscolà, sacris Ministris indigentis, necessarium esse, nullam insuper præcessisse instantiam Fisci, neque Regii, neque Ecclesiastici, secuto homicidio nullam præbuisse lethalem culpam, mereque casuale fuisse, prout plenissimè constat ex informatione juridica meo jussu recepta, ideoque quantum in me est eundem dignum judico petita dispensatione ad cautelam.*

Constans fuit Ecclesiæ disciplina, ut ab Altaris ministerio arcerentur, qui ex proposito, & per industriam humanum sanguinem fuderint; Id etiam statutum est a Concilio Tridentino *Sess.* 14 *cap.* 7. *de Reform.*; Mitius tamen agendum, si homicidium casu evenerit, vel vim vi repellendo perpetratum depræhendatur, tunc enim eadem Sancta Synodus citato in loco sic decrevit. *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet fuisse commissum narretur, quam ab causam, etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & beneficia quæcumque,*

que, ac Dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.

Verum in homicidio casuali nonnulla juxta Sacrorum Canonum dispositiones animadvertenda sunt, & primo quidem ab omni culpa occidens immunis est, si operam daret rei licitæ, & omnem adhibuit diligentiam, ne mors sequeretur; Patet id ex *cap. Joannes* 23. *de Homicidio*, in quo Honorius III. scribens Episcopo Venetensi sic ait = *Joannes Sacerdos humili nobis insinuatione monstravit, quod cum pulsaret Campanas, ut, signo dato, conveniret Populus fidelium ad Divina, cadens tintinabulum percussit quemdam Puerum, qui (cum vulnus esset mortale) decessit. Nos igitur attendentes, quod dicto Sacerdoti, qui dabat operam rei licitæ, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non prævidit; Discretioni vestræ mandamus, quatenus, si constiterit ita esse, dictum Sacerdotem Sacerdotali officio exequi permittas.*

Secus tamen si homicida, licet rei licitæ operam daret eam tamen non adhibuit diligentiam, quæ ad evitandum mortis periculum necessaria fuisset; Ita disponitur a Clemente III. *in cap.* 12 *eodem titulo*, ibi = *Ad audientiam Apostolatus nostri pervenit, quod cum quidam Presbyter volens corrigere quemdam de familia sua, cingulo, quo cingi solebat, ipsum verberare tentasset; contingit, quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus, eum in dorso aliquantulum vulneravit; Postmodum vero, cum ille vulneratus aliquandiu vixisset, & convaluisset a vulnere, & alia graviori (ut dicitur) infirmitate percussus, viam est universæ carnis ingressus; Quia vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur, vestræ discretioni duximus respondendum, quod cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Præsbytero memorato, ut in Sacris Ordinibus non ministret, injuncta tamen pænitentia congruenti, sibi poteritis concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus, Si vero ille ex alia infirmitate obierit poterit (sicut erat solitus] divina officia ministrare.*

Irregularitatem pariter contrahit qui dans operam rei illicitæ homicidium commisit, licet omnem præstiterit diligentiam, ne mors sequeretur. Desumunt id Doctores, & præsertim *Fagnanus in comentar. ad dictum caput Ad Audi entiam num.* 9. ex quo *in cap. Tua nos* 19. *de Homi-*

ci-

cidio, & *cap. Sententiam* 9. *Ne Clerici*, *vel Monachi* declarantur irregulares Clerici in sacris constituti, & Monachi exercentes Medicinam, vel Chirurgiam, & mortem alicui casualiter inferentes, non obstante peritia, & adhibita diligentia ad ipsam evitandam, ex eo præcipuè quia Clerici, & Monachi Chirurgiam, & Medicinam exercentes extra casum necessitatis dant operam rei illicitæ, ergo a pari, omnes dantes operam rei illicitæ ex homicidio casuali contrahunt irregularitatem, quamvis debitam adhibuerint diligentiam ad mortem evitandam.

Duo in præsenti casu animadvertendà occurrunt, unum est, quod homicidium contigit, dum Orator è venatione rediret, alterum quod cum fratre luderet, & sclopum explodere volebat, ut dicitur *al segno*, hinc videndum, an homicidium in actu illicito commissum sit. Sane ad venationem quod attinet in *cap. Multa sunt* 1. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negociis se immisceant* hæc habentur *Canes, & Aves sequi ad venandum..... Ecce talia, & his similibus Ministris Altaris Domini, nec non Monachis omnino contradicimus*. Rursus in *cap.* 1. *de Clerico venatore* sic statutum legitur = *Episcopum, Præsbyterum, aut Diaconum Canes, aut Accipitres, aut hujusmodi ad ven andum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione, si Presbyter, duobus, si Diaconus, ab omni officio suspendatur*, & in *Cap. Omnibus* 2. *eod. tit.* Clericis prohibetur venatio his verbis *Omnibus Servis Dei venationes, & sylvaticas vagationes cum Canibus, & Accipitres, aut Falcones interdicimus.* Idque etiam confirmatur ex Concilio Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*.

Cum autem duæ sint venationum species, alia siquidem clamorosa, quæ magno armorum, Canum, accipitrum apparatu exercetur, ut Apri, Cervi, & majores Feræ, capiantur, altera vero quieta, quæ solis laqueis, & retibus aut etiam armis sed paucis adhibitis Canibus ad occidendum Volatilia, Lepores, aliasque minores Feras instituitur; hinc quæritur inter Doctores, an utraque venatio Clericis sit interdicta; Quæstionem illustrat Benedictus XIV. in opere *de Synodo Diœcesana lib.* 11. *cap.* 10. *num.* 8. ubi recenset opiniones *Bellet.*, *Lessij*, *Barbosæ*, *Pirhing.*, *Reiffestuel.*, qui tuentur solam venationem clamorosam Clericis vetitam esse, suam vero sententiam sic aperit = *At licet hæc opinio communior sit, magisque inter Doctores recepta, opposita tamen videtur cer-*
tè

tè juri conformior. Siquidem Canones a venatione Clericos arcent, quæ non armis, sed solis avibus venatoriis, puta Falcone aut Accipitre, ac propterea sine ullo tumultu, & strepitu exercetur, uti illos legenti, est manifestum; Accidit quod quanquam in jure receptum sit ex homicidio mere casuali ab eo perpetrato, qui operam dabat rei illicitæ nullam incurri irregularitatem, quod plane colligitur ex cap. Lator 9. ex cap. Dilectus 13., & ex Cap. ex Litteris 14. de homicidio, nihilominus Sac. Congregatio Concilij sæpius irregularem declaravit Clericum, qui, cum vacaret venationi non clamorosæ, sed quietæ, homicidio fortuito interfuerat; quod utique argumento est eam existimasse, omnem venationem etiam non clamorosam esse Clericis prohibitam. Verum cum fortasse Sac. Cong. ita declaraverit, eo quod non satis compertum habuerit a Clericis, de quibus agebatur omnem adhibitam fuisse diligentiam ad evitandum homicidium, quod profecto necesse est, ne ex illo, quanquam ex licito opere absque dolo subsecuto inducatur irregularitas, quod cum communi docent Covarr. Ugolinus, idcirco controversia manet adhuc indecisa.

In *Spoletana* quidam Presbyter rogavit Adolescentem, ut e summitate Turris Campanariæ Columbum a se interfectum levaret; Cum autem Adolescens per funem se dimiserit, &, rupta fune, altitudine palmorum octuaginta duorum ad terram ceciderit, qua ex causa post biduum obierit, dubitatum fuit, an Presbyter irregularitatem contraxerit, quare propositis Dubiis I. *An constet de irregularitate in casu &c., & quatenus affirmativè*. II. *An sit locus dispensationi in casu &c.* Die 22. *Januarij* 1776. Sac. Congreg. respondit = *Pro dispensatione ad cautelam*. In *Andrien. Dispensationis ab Irregularitate* = Agebatur de Adolescente, qui in Episcopali Seminario degebat, & feriis autumnalibus cum Seminarij Rectore ad quamdam Vineam accesserat; Dum ruri ambo manerent Rector præcepit Adolescenti, ut sibi traderet sclopum, qui in mansione ruralis Domus existebat, Jussa executus est Adolescens, acceptoque sclopo, hic repente ictum emisit, læsitque in humero dextero Rectorem, ex quo vulnere post octo dies decessit; Ast cum pro Adolescente petita fuisset dispensatio ab irregularitate, & disputato Dubio = *An sit locus dispensationi ab irregularitate in casu &c.* = Die 21. *Januarij* 1781. prodiit resolutio = *Affimativè ad cautelam* =.

Ponderandum etiam est, quod homicidium accidit non in actu venatiouis, sed cum Orator ab illa rediret, & ad luden-

ludendum, sclopum pararet. De quodam Diacono, qui in ludo homicidium commiserat Alexander III. in *capite Continebatur* 8. *de homicidio Archiepiscopo Cusentino* sic respondit = *Continebatur in litteris tuis, quod cum Diaconus præsentium lator, & quidam alii Clerici a Vineis Ecclesiæ opere consumato redirent, leviandi laboris gratia, quemdam ludum imitari viatorum, baculos suos studebant jacere in directum, & alter alterius fustem ferire, cujus ludi solet esse conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quasi victor pro equo alio uteretur, sed præfati Clerici equitandi licentia non utentes, sola erant jactione contenti. Quidam autem laicus, dum baculum ejusdem Diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiliit, & sic a falce illius Diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo expiravit; Ideoque mandamus, quatenus eundem Diaconum sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum non ascendere, vel in Diaconatus officio nullo unquam tempore ministrare permittas, sed eum dispensativè ministrare in Subdiaconatus Officio patiaris.*

Hisce perpensis, definient EE. VV.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Affirmativè ad Cautelam.

Sess. 25 *cap.* 4. *de Reform.*

FERRARIEN. REDUCTIONIS. Ex pia largitione Sigismundi Pajoli, ejusque trium Nepotum anno 1626. per actum inter vivos demandata fuit erectio Ecclesiastici Beneficii cum onere trium Missarum qualibet hebdomada ad Altare construendum in honorem B. M. V. Gratiarum in Ecclesia Parochiali Oppidi Bondeni. Pro Beneficij dote Fundatores promiserunt *dare, solvere, & exbursare quolibet anno in perpetuum Rectori pro tempore dicti Altaris, seu Capellæ constituendæ Libras centum monetæ Ferrariæ de sex mensibus in sex menses, quæ Libræ centum ut supra solvendæ sint, & esse debeant pro dote dicti Altaris, & Capellæ, & pro eleemosyna illius Rectoris pro tempore, & illas modo, & semper ut supra solvere promiserunt, prout quilibet ipsorum solvere promisit, alias teneri ad*

omnia damna , & expensas = Onus præterea assumpserunt *providere pro hac prima vice tantum dicto Altari de omnibus necessariis pro celebratione Missarum antequam in eo celebrare Missas incipiatur. Ac etiam providere de omnibus necessariis pro celebratione Missarum.*

Semissem hæreditatis Pajoli obtinuit Familia Gavassini, alterum vero semissem diviserunt inter se tres Fratres Pajoli; Pars una contigit Augustino Pajoli juniori, qui bona omnia dispersit; aliæ duæ consolidatæ fuerunt in Silviam Pajoli, cujus hæreditatem modo possident Comites Aloysius, & Alphunsus Fratres Aventi.

Tractu temporis valor Librarum Ferrariensium imminutus fuit, nam dum Beneficium erectum est, Libræ centum æquabant summam sc. 22. 70., anno vero 1659. vix respondebant ad annua sc. 18. 20., quare Missarum numerus fuit imminutus, & redactus ad unam in qualibet hebdomada, licet ignoratur qua auctoritate factum id fuerit. Patet id ex decreto Sacræ Visitationis Cardinalis Paulucci Episcopi Ferrariensis editi anno 1699., in quo habetur = *Assertum fuit adesse onus celebrandi ad hoc Altare tres Missas qualibet hebdomada, pro quo onere D. Silvia de Pajolis, & DD. Gavassini solvere debent sc. 18. 18., ut assertum fuit constare ex quodam Instrumento existente in Archivo Episcopali, nunc vero unica tantum Missa celebratur in qualibet hebdomada per Sacerdotem Herculem Ferrari, cui solvit pro eleemosyna dictarum Missarum supradicta D. Silvia de Pajolis sc. 6.60., & vidi celebrationem supradictæ Missæ in Vachetta penes eumdem Rev. Ferrari, quam subscripsi*; Quodque etiam confirmatur ex alio decreto pastoralis Visitationis Card. del Verme pariter Episcopi Ferrariensis.

Hac stante redituum imminutione contigit, ut Beneficium prædictum a Possessoribus Patrimonii Pajoli habitum fuerit pro Capellania mere laicali, & quilibet Missas celebrare fecerit juxta onus, quod ab Auctoribus adimpletum invenit; Siquidem Marchio Gavassini, cui medietas patrimonij Pajoli pervenit, quique tenebatur persolvere Beneficii Rectori sc. 9. 09. tot Missas celebrare facere consuevit ad rationem eleemosynæ manualis, quæ in Diæcesi Ferrariensi in obulis duodecim pro qualibet Missa constituta est; Id etiam præstiterunt Co. Aventi pro portionibus ad ipsos delatis; Quo verò ad portionem Augustini Pajoli nihil adimpletum est, quia obæratus decessit. Verum præfati Marchio Gavassini, & Com. Aventi advertentes nullum reductionis extare monumentum, duo modo postulant

ab EE. VV.; Unum nempe, quod pro Missis juxta Fundatoris legem in præteritum non celebratis absolutio tribuatur; Alterum vero, quod pro Missis in futurum celebrandis congrua decernatur reductio, habito tamen respectu tum ad expensas Sacrorum suppellectilium, tum etiam ad id, quod defecit ob decoctionem Augustini Pajoli.

Emus Archiepiscopus factum confirmat, & ait = *Ne error accidat, neve Testatoris mens illicitè fraudetur, & ut tuta conscientia in re Oratores procedant, remissione ab EE. VV, indigent ipsi quoad præteritum tempus, ab anno circiter 1700., usque ad præsens; quoad futurum vero tempus, eas postulant constabiliri celebrandas Missas, quot intra scut. 15. supradicta comprehenduntur, dempta eleemosyna pro sacrorum Suppellectilium usu juxta Synodalem taxam ad rationem duorum obulorum pro unaquaque Missa. Dixi scut. 15. eroganda pro recensita Missarum celebratione, ea de causa, quia scuta tria ab hæredibus Augustini Pajoli Junioris exsolvenda forent, ast id peragi nequit, cum præfatus Augustinus cum cessione bonorum obierit, vulgo decoctus; Hinc evenit, ut impleri non possit superius allata summa scut. 18. 18.; Neque huic deficientiæ occurrere Oratores prædicti tenentur, ex eo quia isti ex parte Fœminarum sunt hæredes* =.

Deinde prosequitur = *Exemptos autem fore Oratores a Supellectilium onere, edocet per id quod sancivit Testator in citato instrumento iis verbis* = pro hac vice tantum &c. providere de omnibus necessariis pro celebratione Missarum = *quod verbum* = tantum = *taxativè prolatum, restrictivam importare Doctores affirmant*. Demum testatur Archipresbyterum Oppidi Bondeni Missarum reductioni assentiri, & votum aperiens concludit = *Quibus omnibus spectatis, putarem locum fore expetitæ gratiæ, si ita EE. VV. summæ auctoritati, & doctrinæ expedire videatur*.

In decernenda Missarum reductione illud potissimum advertitur, an Legatum taxativè, vel demostrativè fuerit conceptum; In primo casu si bona pro Legati adimplemento assignata non sufficiant, vel tractu temporis diminutionem subierint, tunc reductio indulgetur; Verum in altero casu, cum Fundator universam hæreditatem pro pij operis satisfactione hypothecæ subjecerit, reductio semper denegatur, & coguntur hæredes ad supplementi præstationem, ut ejusdem Fundatoris voluntas adimpleatur; Ad dignoscendum autem num Legatum taxativè, vel demonstrativè institutum sit, videri poterit

Be-

Benedictus XIV. in Opere de Synodo Diœcesana lib. 13. *cap.* 25. *num.* 32., ubi rem clarius illustrat; Perpensa igitur fundatione Beneficij erecti a Familia Pajoli, decerni poterit, num Legatum, de quo agitur sit taxativum, vel demonstrativum, & an indulgeri nec ne debeat reductio.

Hinc, præter decrementum, quod Libræ Ferrarienses ex temporum vicissitudine subieruut, observandum, an, ob decoctionem Augustini Pajoli Junioris factus sit locus Missarum imminutioni, vel potius alij Possessores bonorum dictæ Familiæ teneantur supplere, quod deficit, Inquirendum, an in actu erectionis Beneficij Fundatores ullam solidalem obligatlonem assumpserint pro solutione Librarum centum, quas in dotem ejusdem Beneficij assignarunt; Præter hæc advertendum, num detrahi quoque debeant expensæ pro sacris Utensilibus; Præ oculis habendum est, quid eadem causa Fundatores promiserint, & inquirendum, num onus subministrandi sacras supellectiles pro Missarum satisfactione fuerit coercitum ad ipsos met Fundatores, seu potius ad omnes hæredes, & in quocumque casu progrediatur; Ad rem quoque animadvertere præstat, quod Sigismundus Pajoli, ejusque Nepotes exposuerunt in precibus porrectis Card. Lenio Episcopo Ferrariensi pro obtinenda facultate erigendi Beneficium; Narrarunt enim dictam erectionem explere velle = *con obbligo di loro beni per se, e successori di dare, e pagare per limosina a detti Sacerdoti le sudette Lire cento, e consegnare li fornimenti di detto Altare* = Dignentur igitur Emi PP. respondere Dubio.

An, & quomodo, tam quoad præteritum, quam quoad futurum sit providendum in casu &c.

Quoad præteritum ad Dominum Secretarium cum SSmo; Quo verò ad futurum negativè, detractis Sac. Utensilibus, & scribatur Emo Archiepiscopo, qui mandet servari qualitatem Beneficij ad formam erectionis.

Seff. 25. cap. 3. de Reform

PRÆNESTINA. Clericus Clemens Marini fuit a Patronis nominatus ad Canonicatum erectum ex dispositione Nicolai Cecconi in Ecclesia Parochiali Castri S. Petri Prænestinæ Diæcesis; Populus ejusdem Castri irritam proclamavit nominationem, eo quia Beneficiatus ex lege fundationis teneretur Missas per seipsum celebrare, & in eodem Castro residere; semel, atque iterum de hac quæstione actum est in Sacra Congregatione diebus 21. *Augusti*, & 11. *Decembris elapsi anni*, nec ulla ob suffragiorum scissuram capta fuit resolutio; Reproponitur nunc Causa, præstat resumere Folia tunc distributa, in quibus singula recensentur, quæ ad Causam pertinent, ut Emi PP. decernant.

I. *An Rector Beneficii instituti a Nicolao Cecconi in Ecclesia Parochiali Castri S. Petri teneatur residere, & Missas per seipsum celebrare, itaut sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 6. Maii, & 17. Junii 1719. in casu &c.*

Et quatenus affirmativé, & respectivè in decisis.

II. *An sustineatur præsentatio in casu &c.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & standum esse in decisis.
Ad II. Nègativè.
Ad III. Consulendum Sanctissimo juxta Mentem.

Seff. 24. cap. 7., & 12. de Refor.

ASCULANA COADJUTORIÆ. Sacerdos Dominicus Amurri Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ Oppidi Offidæ Diæcesis Asculanæ ob ingravescentem ejus ætatem cogitavit de constituendo sibi Coadjutore cum futura successione, & de mense Novembris anni 1783. mandatum procuræ exaravit pro Coadjutoria explenda favore Vincentij Andreani ex Sorore Nepotis, qui eo tempore in minoribus Ordinibus constitutus reperiebatur; Erat ipse ex Oppido Carassai Firmanæ Diæcesis, & habito Sacerdotis Amurri consensu adiit Episcopum Asculanum, eique exhibitis testimonialibus litteris sui Ordinarii petiit, ut aliæ testimoniales ad obtinendam Canonicatus Coadjutoriam ab Episcopo Asculano sibi tra-

traderentur. Hic renuit testimoniales tradere; quare ad Sac. Congregationem confugit, & eo instante infrascriptum dubium Emis PP, definiendum hodie proponitur.

Ait Clericus Andreani, morem invectum esse, ut Beneficia residentialia obtinentibus detur Coadjutor, si propter longævam ejus ætatem, aliasque corporis infirmitates propria munera obire non possint, idque potissimum statutum esse, ne Ecclesia debito fraudetur servitio. Addit Sacerdotem Amurri fere octogenarium esse, & propterea non posse suæ Præbendæ onera adimplere; quare justam putat adesse causam petendi Coadjutorem. Contendit insuper nihil obstare quominus ipse Coadjutoriam assequatur, cum in ætate legitima sit constitutus, & de ejus scientia plurimi sint, qui testimonium perhibeant, ac de ejus moribus testetur Ordinarius Originis, qui etiam dignum existimavit, ut ad Subdiaconatus Ordinem ascenderet.

Nec obesse dissensum Episcopi, in cujus Diæcesi situm est Beneficium, cum Ordinarii consensus nequaquam requiratur quando Ecclesiastica Beneficia a libera pendent Summi Pontificis voluntate; Multoque magis spernendum esse Episcopi dissensum, si fuerit injustus; Quod autem Asculani Antistitis repugnantia injusta fuerit, patet ex eo, quod retulit Sac. Congregationi; Asseruit enim nullam habere notitiam de Clerici idoneitate quando certo constabat de ætate ex fide Baptismatis, & de moribus ex testimonialibus Archiepiscopi Firmani, ac de scientia ex fide Præceptorum; Nec verificari, quod extortus fuerit consensus ab imbecilli sene, quia Sacerdos Amurri est compos sui, & Divina peragit ministeria, quæ Episcopus peragi non permitteret, si mentis levitate laboraret; Cæterum advertit de ejusdem Sacerdotis prudenti consilio, perfectaque mentis sanitate plures Testes deponere.

Nihil hactenus deductum est ex parte Francisci Amurri alterius Contradictoris, qui obstare visus est, apposito in actis *Nihil transeat*, sed nunquam postea comparuit.

Episcopus in sua relatione sic ait = *Injuria dolet Orator, quod expetitas a me testimoniales litteras de ejus idoneitate ad coadjutoriam assequendam Canonici Amurri denegaverim. Ea siquidem suberat recusationis causa, qua justior subesse nequibat, nescientia scilicet idoneitatis hujus exteri Clerici ad Beneficium; Putido namque scatet mendacio contraria assertio in precibus audaciter emissa. His accedebat, quod nullum non movit lapidem Orator ad extorquen-*

quendum consensum ab homine non mediocris mentis levitate laborante ; Quæ cum satis suspectam in me excitaverint legitimitatem consensus imbecillis Canonici a prædictis testimonialibus ex hac etiam causa abstinere judicavi ; Id enim semper animo insedit in hujusmodi litteris dandis, ut ab illis temperarem , ubi mihi per certam scientiam perspecta non foret petentis idoneitas , ne ulla falsitatis , aut fraudis species in Ecclesiasticis Ministris deligendis subrepat in detrimentum Ecclesiæ .

Duo sunt Sacri Concilii decreta , quæ ad Causam conferre possunt , unum est *in cap.* 7. *de reform. sess.* 24. , ubi disponitur , quod in statuendis Coadjutoriis cum futura successione , præ oculis habeatur urgens necessitas , & evidens Ecclesiæ utilitas ; Alterum *cap.* 12. *de reform. ejusdem sessionis* , in quo statuitur , ut obtinentes Ecclesiastica Beneficia , eam præseferant morum integritatem , & doctrinæ specimen , ut muneri demandando pares videantur . Ponderandum an adsit necessitas statuendi Coadjutorem Sacerdoti Amurri , & an Clericus Andreani requisitis qualitatibus polleat , ut Coadjutoriam assequatur . Quæritur .

An supplicatio sit signanda in casu &c.

Scribatur Episcopo juxta mentem .

Sess.22. cap.9. de Reform.

FOROLIVIEN. . Plurima inter Patres Servorum Beatæ Mariæ Virginis Forolivij , & Communitatem ejusdem Civitatis ortæ fuerunt quæstiones quoad administrationem bonorum Capellæ , & Altaris Divi Peregrini Latiosi , & modum peragendi anniversariam illius celebritatem . Has omnes quæstiones variis dubiis comprehensas definivit Sac. Congregatio diei 11. *Septembris* elapsi anni . Inter alia Dubia hæc , quæ sequuntur fuerunt tunc proposita , nempe = *I. An claves aperientes Ribaltas , exterius claudentes urnam , in qua sacrum Divi Peregrini Latiosi corpus asservatur in Ecclesia Patrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis Forolivij retinendæ sint ab iisdem Patribus , seu potius Communitati competat jus retinendi alteram ex illis in casu &c. VI. An , & cui competat jus eligendi Oratorem , quo præmio , & ex quibus bonis , seu reditibus sit illud persolvendum in casu &c. , & quatenus affir-*

affirmativè quoad Communitatem . VII. An ab eadem Communitate deputandus sit pro eodem effectu Religiosus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis in casu &c. XI. An, & a quo retinenda sit clavis capsulæ eleemosynarum in honorem Divi Peregrini colligendarum , & in pariete ejusdem Capellæ existentis in casu &c. ; Quibus omnibus responsum datum est . *Ad I. Negativè ad primam partem , affirmativè ad secundam* ; *Ad VI. Jus eligendi Oratorem competere Administratoribus , & præmium Oratoris taxandum esse ab Episcopo , persolvendum ex reditibus Capellæ* ; *Ad VII. Affirmativè cæteris paribus* ; *Ad XI. Esse retinendam ab Administratoribus* .

Definitioni eorumdem dubiorum non acquiescunt Religiosi Servitæ , atque hinc ea ipsa ad examen revocantur . Dignabuntur Emi PP. resumere Folium Congregationis diei 21. *Augusti anni mox præteriti* , in quo de illis fusius actum est , & deinde decernere .

An , & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad I. VI. VII. , & XI. Dubia in casu &c.

Dilata ad primam post proximam etiam unica .

ROMANA LEGATORUM . Perspecta est Emis PP. ex præcedenti istius Causæ propositione dispositio Antonij Pelucchi , qui in testamento exarato anno 1774. plura tum pia , tum profana instituit legata . Mandavit Testator , ut suis Familiaribus quousque vixerint idem salarium solveretur , quod ipse vivens rependere solebat; Quatuor præterea erigi voluit Capellanias in totidem Ecclesiis Urbis , & unicuique ex Capellano annua scuta septuaginta duo assignari jussit ; Legavit insuper Sodalitio Sanctissimi Suffragij Urbis scuta sexaginta ex tot Locis Montium suæ hæreditatis singulis annis percipienda , ex qua quidem summa celebrari præcepit Anniversarium in die sui obitus ; Aliud quoque Anniversarium celebrari mandavit in Ecclesia Sodalitij Sanctissimi *Sess.23. cap. 5. de Reform.*

Cor-

Cordis Jesu nuncupati *de Sacconi*, qua de causa capitale annui reditus scutorum quindecim assignavit; Præter hæc voluit, ut a suis hæredibus fiduciariis quolibet anno quatuor subsidia dotalia pauperibus puellis distribuerentur, & pretium retrahendum ex venditione Officiorum Vacabilium, Argentorum, aliarumque Suppellectilium investiretur ad constituendum capitale, quod in unoquoque anno redderet scuta centum, quæ a Sodalibus dictæ Archiconfraternitatis SSmi Cordis Jesu Pauperibus omnium Paræciarum Urbis distribuerentur; Demum hæredes fiduciarios nominavit R. P. D. Nicolaum Riganti, & bo. mem. Carolum Ferretti, eisque onus adjecit conficiendi inventarium, & quam citò exequendi suam voluntatem, tam in testamento, quam in foliis fiduciæ expressam; In hisce autem foliis mandaverat, ut quid quid adimpletis legatis superesset, Josepho, & Philippo Fratribus Pacini traderetur..

Expleto inventario compertum fuit vires hæreditatis impares esse omnium legatorum satisfactioni, quare hæredes fiduciarii institerunt in Sac Congregatione pro illorum saltem ad tempus reductione; Tria hac de re proposita fuerunt dubia contradicentibus Capellanis a Testatore designatis I. *An, & quæ onera, sive legata sint suspendenda, seu potius reducenda, & pro qua summa in casu &c.* & quatenus negativè quoad Capellanos = II. *An, & a quo tempore stipendium integre debeatur Capellanis in casu &c.* III. *An legatum vitalitium per obitum alicujus ex legatariis quomodo sit partiendum inter legata suspensa, vel reducta in casu &c.*, & die 13. *Septembris anni* 1777. sequens prodiit resolutio = *Ad I. esse locum erectioni Capellaniarum, & legatorum, quæ vitalitia sunt ad formam testamenti; nec non esse locum reductioni pro nunc Anniversariorum ad totidem Missas cum cantu simplici, & ex eo quod superest exequantur duo legata pro dotibus, & eleemosyna Pauperum. Ad II. deberi a die erectionis Capellaniarum. Ad III. Provisum in primo, & ad D. Secretarium pro executione cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis.*

Anno 1783. Sodalitium SSmi Suffragii Urbis exposuit EE. VV. plurimos jam obiisse Familiares Antonii Pelucchi, quibus legata vitalitia relicta fuerant, & propterea adauctum fuisse illius hæreditatis patrimonium, hinc institit, ut sibi annuum legatum scutorum sexaginta pro Anniversario tribueretur; Hujusmodi instantia relata fuit inter supplices libellos in Congregatione diei 8. *Februarij* ejus-

ejusdem anni, qua die Emi PP., dilata causæ resolutione, mandarunt, quod firmaretur status hæreditatis, & fieret reditio rationis, Jussa Sac. Congregationis adimpleta fuerunt, curavitque Sodalitium, ut causa in Folio describeretur; Quare interpellato R. P. D. Bussi de mandato SSmi in locum R. P. D. Riganti suffecto, duo infrascripta dubia proponuntur, super quibus Emrum PP. judicium exquiritur.

Qui Sodalitij causam tuetur sustinet ad I. reditus hæreditatis Antonij Pelucchi, habita ratione ad tempus obitus Testatoris satis fuisse pro adimplemento omnium legatorum, quæ Testator ipse demandaverat, eo proinde magis nunc sufficere, cum plurimi obierint illius Familiares, qnibus vitalitiam præstationem subministrare hæreditas tenebatur, idque resultare ex relatione Periti jussu Sacræ Congregationis deputati. Expendit hanc relationem, & advertit, quod confecto a Perito calculo status activi omnium capitalium, quæ in hæreditate Antonii Pelucchi de tempore illius obitus reperta fuerunt, illoque cum statu passivo comparato, ac detractis omnibus expensis, tam pro legatis vitalitiis, quam pro Anniversariis, aliisque omnibus oneribus a Testatore præscriptis, adhuc statum activum superare passivum in annuis scutis triginta, quæ Josepho; & Philippo Fratribus Pacini juxta Testatoris præceptum tradi potuissent.

Progreditur inde ad eam relationis partem, quæ præsentem hæreditatis statum respicit, & ait, factis debitis supputationibus, solutisque omnibus legatis tam piis, quam prophanis, ex statu activo superesse adhuc scuta duodecim; Advertit, statum activum augeri potuisse, si Fiduciarij hæredes solliciti fuissent omnia mobilia huc illuc dispersa alienare, nomina debitorum exigere, pretiumque in bonis stabilibus investire, magis autem si investita fuisset non modica pecunia, quæ otiosa nunc reperitur.

Ad II. inquit, quod cum vires hæreditatis Antonii Pelucchi usque a tempore illius obitus satis fuissent pro adimplemento omnium legatorum, hinc ab eo tempore sustinet, computandum esse, & Archiconfraternitati tradendum quidquid Testator pro Anniversario præfinierat.

Præ oculis in præsenti casu habenda est Testatoris dispositio. Ponderanda præterea est Periti relatio, ex qua patebit, qui sint annui reditus hæreditatis Antonii Pelucchi, quæve expensæ subeundæ pro Legatorum satisfactione. Præter hæc, rogantur Emi PP. resumere Folium distribu-

tum in Congregatione diei 30. *Augusti anni* 1777., in quo causa prima vice descripta fuit, ut tutius definiant.

I. *An, & quomodo sit locus adimplemento Anniversarij in casu &c.*

II. *An, & a quo tempore debeatur pro illo stipendium in casu &c.*

Non proposita cum sequen.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

NULLIUS S. RUFILLI. Canonicus Franciscus, & Bandus Fratres Bandi, Testamento exarato an. 1762., hæredes instituerunt quatuor pro tempore Canonicos, quorum Præbendæ ab iisdem Testatoribus in Collegiata Foropompilij erectæ fuerant; Mandarunt tamen, ut ex reditibus dictæ hæreditatis fieret cumulus usque ad summam sc. 2500. & in bonis stabilibus investiretur. Completo autem investimento, ab iisdem quatuor Canonicis eligi voluerunt quatuor Clericos *che non abbino con che costituirsi il Patrimonio necessario agli Ordini Sagri, e debbino somministrare alli medesimi quattro Chierici, quattro bajocchi per ciasceduno in ogni giorno Festivo dopo che saranno intervenuti alle Messe cantate, e Vespri, o altre Funzioni che si faranno nella Chiesa Abbaziale in quel giorno.*

Postquam vero præfati Clerici pervenissent ad ætatem requisitam pro suscipiendis sacris Ordinibus, tunc jusserunt, quod Canonici prædicti ex reditibus investimenti tenerentur eisdem Clericis assignare = *ogni anno venticinque scudi di paoli, o in danari, o in natura come sarà più commodo alli medesimi Signori Canonici, ma all'incontro detto Chierico, e Chierici ricevuta, che averanno l'obbligazione da d. Sig. Canonici saranno obbligati a celebrare una Messa al giorno in un Altare privilegiato della Chiesa Abaziale in suffragio de Fondatori in cambio di quella, che abbiamo prescritto nella Fondazione del* 1754. *alli stessi Sig. Canonici. Dovranno in oltre servire in tutte le funzioni della med. Chiesa Abaziale due per settimana alternativamente a guisa de Mansionarii de Sig. Canonici antichi, ed anche in loro vece quando siano commandati in qualsivoglia ministero di Funzioni ecclesiastiche, ed ogni volta che mancheranno nella loro settimana, rispetto alla Messa perda-*

dino dodici bajocchi per ciascheduna Messa , e rispetto al Coro , ed altre Funzioni perdino quattro bajocchi se mancheranno a tutte le Ore canoniche , e Funzioni , e così pro rata se mancheranno solamente a qualcheduna di esse = Summam denique sc. 25. eisdem assignatam deservire permisit pro constitutione Patrimonii Sacri .

Investita revera fuit summa scut. 2500. Canonici , quibus jus præelectionis relictum fuerat, devenerunt ad electionem Clericorum , qui eo subsidio fruerentur. Inter alios præelectus fuit Franciscus Richini, qui jure jurando promisit onera omnia , & conditiones a Fundatoribus impositas adimplere , & post hæc ad sacrum Subdiaconatus Ordinem fuit promotus . Cum autem dictus Subdiaconus Franciscus in Auximano Seminario studiorum causa degeret, postulavit indultum abessendi a residentia quousque cursum studiorum complevisset , absque eo quod suberat Fallentiis obulorum quatuor , quibus ex præscripto Testatorum absentes subjacent . Petitioni restiterunt Canonici erectionis Bandi , quare, controversia ad judicium EE. VV. deducta,sub infrascriptis Dubiis definienda proponitur .

Inquit Richinus,injuria sibi controverti petitum Indultum , cum a jure statutum sit , ut Clerici a propria Ecclesia studiorum causa abessentes suarum Præbendarum fructus lucrari possint ; Idque etiam probari ex praxi Sac. Congregationis , quæ Beneficiatis residentiæ lege adstrictis , si in minori ætate annorum viginti quinque sint constituti, & studiis incumbant consuevit impartiri facultatem abessendi a residentia , absque eo quod fructus amittant ; Addit Indultum postulasse , dum annum vigesimum secundum vix attingeret , & in Auximano Seminario Theologiæ incumberet , & propterea contendit , petitam gratiam denegari non posse . Hæc de I. Dubio ; Quo vero ad II. Dubium advertit,fructus sibi deberi a die , quo indultum postulavit , quia ab eo tempore illud assecutum fuisset , si Canonici injusta contradictione non obstitissent .

Ex parte Canonicorum nihil deductum est ; Verum ex quodam folio Vic. Generali exibito patet , quod ipsi consensum præstare recusant , quia Clericus Richini dum Patrimonium obtinuit jure jurando promisit onera , & leges a Fundatoribus præscriptas adimplere .

Vicarius Generalis plura refert , quæ ex ejus relatione EE. VV. circumferenda videri poterunt .

Hujusmodi causa fere coincidit cum altera causa *Eugubina*

Punctaturarum descripta in Folio distributo pro Congregatione diei 15. *Martij* anni 1783., quod Emi PP. resumere non dedignabuntur; In eo adnotatum invenient quid Summi Pontifices statuerint, quoad Clericos Ecclesiastica beneficia obtinentes, & studiis operam dantes; Verum quia Orator juramento promisit onera, & leges fundationis adimplere, hinc abs re non erit referre resolutionem Sac. Congregationis editam *in Gerunden. Jubilationis*. Archidiaconus illius Ecclesiæ Cathedralis post completum servitium quadraginta annorum jubilationis indultum efflagitavit; Obstiterunt reliqui Capitulares quia ex Capituli statuto vetitum erat impetrare a Sede Apostolica privilegium de percipiendis fructibus in absentia, quod & illud Archidiaconus sub fide juramenti in capienda possessione observare promiserat, propositis Dubiis = *I. An obstent Statuta Ecclesiæ Cathedralis Gerunden. annorum* 1536., 1537., *& respectivè illorum juramentum ad effectum obtinendi jubilationem, ita ut sit consulendum SSmo pro absolutione ad cautelam in casu &c. II. An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.*, & die 15. *Februarij* 1772. prodiit resolutio. *Ad I. Negativè, & non indigere. Ad II. Affirmativè*.

Advertendum, quod in præsenti casu non agitur de Beneficio in titulum erecto, sed de annua præstatione in titulum Patrimonii Sacri constituta. Hisce ergo perpensis, definient EE. VV.

I. *An sit concedendum Indultum in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè.

II. *An, & a quo tempore debeantur fructus in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 9. Aprilis 1785. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda

DUÆ priores in hoc Folio Caussæ, quas definire non potuerunt Eminentissimi PP. in proximâ Superiori Congregatione una cum aliis septem Caussis, quæ infrà describuntur, Sapientissimum EE. VV. Judicium expectant.

ROMANA LEGATORUM.

Sess. 23. cap. 5. de Reform.

I. *An, & quomodo sit locus Adimplemento Anniversarii in casu &c.*

II. *An, & a quo tempore debeatur pro illo stipendium in casu &c.*

Ad I. Ad formam testamenti, Peritiæ, & Renunciationis.

Ad II. Affirmativè pro nunc a die 24. currentis, in reliquis dilata.

NULLIUS SANCTI RUFILLI.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

I. *An sit concedendum Indultum in casu &c.*

Et quatenus Affirmative.

II. *An, & a quo tempore debeantur fructus in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.

Ad II. Deberi a die constituti patrimonii ad formam testamenti, & amplius.

PAM-

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

PAMPILONEN. sub diem 28. Aprilis 1776. in Oppido Ayequi Diœcesis Pampilonensis, quo studiorum causa plurimi conveniunt, orta fuit Vespere inter Adolescentes Regni Navarræ, & Adolescentes Regni Castellæ gravis injuriarum provocatio. Interea Clericus Romanus de Azqueta ejusdem Diœcesis Orator in oppidum regressus ab Estellæ proxima Civitate, quò cum alio Scholastico itineris socio perrexerat, junxit se Navarris suis, & sole occiduo redintegratum est saxis, fustibusque cum Castellanis Adolescentibus bellum veluti civile, quod supervenientes Apparitores dissiparunt. Sed multa indè nocte cum novum invicem commisissent certamen, Andreas Viarra ex Castellanis Adolescentibus, qui erat Ense Armatus, cecidit humi; Illius ensem continuo occupavit Adversarius Gregorius de Salanveta ex Oratoris Sociis lethalique vulnere Andream percussit ex quo mortem obivit. Confecto his desuper processu, Prætor Gregorium homicidii reum sexennali relegatione in Africæ partes, ac successivo quadriennii exilio damnavit, ejusque Socios, quos inter Oratorem, exilio ad sexennium a Regno Navarræ.

Orator, qui ab Anno 1777. Romam venerat, hæc ipsa sub Annum 1781., scilicet post quinquennium, in supplici libello narravit SSmo D. N. Papæ petens ab irregularitate absolvi, & dispensari, ut posset ad Ordines promoveri. Re huic Sacræ Congregationi delegata, auditus fuit Ordinarius Pampilonensis, qui præmissam referens facti seriem addidit, reliquos delicti Socios fuisse libertate donatos *ob regiæ Prolis Nativitatem*, qui per se, vel per legitimos Procuratores postularunt, Oratore excepto, qui tempore opportuno non adfuit. Et sic concludebat = *Hæc est EE. PP. totius criminalis Processus summa, ex qua dictum Romanum de Azqueta Rixæ, & Homicidio interfuisse quidem, sed ipsius Actorem, & præcipuum reum non fuisse, & Regio Fisco satisfecisse videtur; Quibus addendum existimo, Andreæ de Viarra defuncti Parentes suo Iuri spontè cessisse, ut ex adjuncto veniæ transumpto constat, quod ex originali Actorum Instrumento depromptum est* =

Precibus iterum porrectis postquam Episcopus Pampilonensis responderat sed haud certe post responsionis ad Urbem adventum (die enim 6. Decembris 1781. scripta erat Epistola) die 22. Decembris 1781. Sac. hæc Congregatio rescripsit = *Exhibeatur concordatio Partis, & attestatio de vita, & moribus Oratoris a tempore patra-*

trati criminis = Ter deindè supplicavit sub diebus 23. Februarii, 11. Maii, & 23. Novembris 1782. terque rejectus fuit. Cum præterea anno superiori novis precibus adstiterit, rescriptum est sub diem 22. Maii = *Vicario Capitulari pro Informatione, & Voto, & referat de constanti emendatione*=Sed Orator nondum animo despondens, easdem preces humiliter renovat, deque iis modo res est.

Favere eidem videtur Pampilonensis tunc Ordinarii relatio, qui criminali perquisito processu testabatur, Oratorem non fuisse Homicidii *reum præcipuum*, etsi Rixæ, & Homicidio interfuisset. Reque vera exilio dumtaxat ad sexennium damnatus fuit. Pariterque testabatur, & Fisco fecisse satis, & a Parentibus Andreæ Viarra veniam consecutum fuisse.

Quibus accedunt optima morum, constantisque emendationis Testimonia, sive Parochi S. Eustachii, qui binas conscripsit fides sub annis nimirum 1782., & 1784., sive Rectorum regiæ Ecclesiæ S. Jacobi Hyspanorum, cui in Officio Clerici nunc inservit. Et accedit, quod a Serenissimi Hyspaniarum Regis Oratore sub Annis 1782., & 1784. semel, & iterum commendari promeruit.

Advertendum vero, neque Oratorem hactenus exhibuisse Partis concordationem, de qua jussus fuerat in rescripto diei 22. Decembris anni 1781., neque studuisse Informationi consequendæ ab Vicario capitulari, quam hæc Sacra Congregatio anno superiori requisiverat. Sed ille utrique putat satis consultum ex una Decessoris Ordinarii sui plenissima Informatione, in qua cum totius Facti series ex ipso Processu exponitur, tum venia ab Occisi Parentibus data, quæ concordationem implicite præfert, narratur.

Vetus est Ecclesiæ disciplina, nullum, qui sit homicidii reus, nedum ordines suscipere sed ne in suscepto quidem ordine ministrare posse, idque adeo pervulgatum, & inconcussum erat sæculo nono, ut Joannes VIII. qui eo tempore sedebat pene excanduerit in Uticensem Episcopum, qui dispensationem ab eo petere quodammodo videbatur *Cap. miror distinct.* 50. = *Miror minus doctam scientiam tuam, Sacerdotem putare post perpetratum homicidium posse in Sacerdotio ministrare; imo, quod ineptius est, nobis persuadere velle ut ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim tam demens tamque perversi sensus tale quid æstimaret, vel post quantamcumque pœnitentiam concedendum, cum omnino sit Canonicæ disciplinæ contrarium.*

Mi-

Mirum hinc non est si in Homicidiis voluntariis Sacra hæc Congregatio rarò admodum annuit Dispensationi, ut *in Bisaccen. Irregularitatis* 10. *Junii* 1741., *Feretrana Irregularitatis* 22. *Januarii* 1757., *Brixien. Irregularitatis* 19. *Januarii* 1765., *Agrigentina Dispensationis* 30. *Januarii* 1767. ac etiam ubi res dubia sit, veluti ex auctoritate *Cap. ad Audientiam*, *& cap. Significasti de Homicid.* resolutum fuit *in Beneventana Irregularitatis* 18. *Novembris* 1769., & præsertim quoties actum est de promovendo, non de promoto, ut in *Lumacen. irregularitatis* 13. *Septembris* 1738.

Sed quoties Homicidium in Rixa admissum fuit, & constat de illo, qui occidit, tunc eum dumtaxat esse Irregularem, tradit *Ferraris ex doctrina Textus in Cap. Significasti* 18. *de Homicid. in sua Bibliotheca verbo Irregularitas num.* 11. *vers. septimo*.

Casus forte gravior de Homicidio extra rixam secuto proponebatur in *una Alben.* 7. *Septembris* 1604. scilicet, *utrum is, qui gravibus ab Aliquo affectus injuriis famulo mandavit, ut illi in faciem vulnus leve Cæsim infligeret, inhibuitque ne illum interficeret, si Mandatarius fines istos excedens, pluribus mortiferis vulneribus ei mortem intulerit, censeatur incidisse in irregularitatem provenientem ex homicidio voluntario, adeout omni spe dispensationis ad præscriptum Decreti Concilii cap.* 7. *sess.* 14. *perpetuò carere debeat?* Censuit in casu proposito, *Incidisse in Irregularitatem, sed non eam, quæ provenit ex homicidio voluntario, ac propterea Oratorem decreto Concilii non excludi a spe dispensationis, imo perpensis ejus qualitatibus dignum esse dispensatione, & ita referendum Sanctitati Suæ*.

Revera Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reformat.* solos homicidii auctores a Sacris ordinibus perpetuo arcet. Orator sæpe veniam petivit, eaque precum vis grata est Ecclesiæ: Impositam exilii pœnam ad sexennium exegit lateque transgressus est: Locupletissima habet vitæ bene actæ testimonia quæ frustra a Pampilonensi civitate expectarentur cum ab anno 1777. semper Romæ moram traxerit.

Placeat itaque EE. VV. ex relatis circumstantiis definire.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione, ut possit Orator promoveri in casu &c.

Affirmativè per Breve.

FANEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Jacobus Fornaciari ex Oppido Carticeti testamento jusserat ut ex reditibus hæreditatis suæ, quæ superesset post æs alienum dimissum et præstita legata totidem dicerentur dotes scutorum 25. in annos singulos. Spem dotalis subsidii contulit in pauperes puellas Oppidi. Ne vero pius in alienos immemor suorum videretur, cavit, ut subsidium petente Catharina Lombardi avi sui abnepte, *o altra mia piu attinente di sangue* eæ cæteris præferrentur; quibus non extantibus pauperum puellarum nomina coniicerentur in sortem. Ad partem legati etiam eos adsumtos voluit, quibus, quum Religiosam vitam elegissent, impar esset necessariis sumptibus pecunia; parilique conditione prætulit aliis attinentes de sanguine suo. Curatorem pii Operis primum dedit Lucam Fornaciari consobrinum suum; secundum Oppidi Parochum, in cujus locum Collegiata inde erecta, Capitulum successit. *Sess.22. cap. 6. de Reform.*

Decessor Episcopus Orsi in actu S. Visitationis anni 1769. certis legibus definiens distributionem dotalium subsidiorum, inter cætera præcepit ut in numero puellarum attinentium de sanguine fundatoris non aliæ accenserentur quam quæ veram consanguinitatem probassent intra quintum gradum Canonica methodo supputandum: pauperum autem nomine non aliæ venirent, nisi quæ ex Parochi Testimonio fidem probatam darent de paupertate. Has leges servavit Capitulum constanti obsequio. Sed pauperes puellæ impatientes moræ, sortisque experiundæ preces dederunt apud hanc Sac. Congregationem, quibus Capitulum notabant de imprudenti arbitrio in consanguineis Fundatoris præferendis. Dum preces remissæ de more erant Episcopo, indicta interim fuit suspensio distributionum dotalium: Pluries inde monitum fuit Capitulum, item & puellæ, ut jura suapalam facerent. Sed puellis silentibus Capitulum, cujus nihil magis interest, quam Fundatoris custodiri voluntatem, ut modum sciret in dotibus distribuendis, servandum curavit infra posita dubia subscribi.

Quoad primum Episcopus de sua Sententia rogatus æquam rem putat si prælatio puellarum attinentium ad quintum & quartum gradum Canonicum cohibeatur.

In definiendis legatis maxime advertendus est finis dispositionis. Jacobum Fornaciari legatum contulisse in beneficium pauperum ipse nominatis verbis dixit: Dupliciter autem attinentes de ejus sanguine ad legatum petendum ve-

venire possunt: aut qua Fundatoris consanguineæ; aut qua pauperes. Si utroqne nomine petant, cæteris præferendæ videri possunt, nullo habito respectu ad gradum consanguinitatis, in quo sint. Eis quippe nedum præsumpta faveret Testatoris voluntas, *Piringh. in lib.*3. *decret. tit.* 26. *num* 12., sed etiam expressa non adversaretur. Dum enim præcepit, ut super puellis pauperibus sortes jacerentur, posuit in conditione attinentes omnes de suo sanguine. Conjici igitur non absurde posset eam fuisse Jacobi Fornaciari mentem, ut si inter pauperes puellas aliqua consanguinea adesset, suspensa sortitione, eidem legatum conferretur *Cap. non satis* 14. *distinct.* 86. *Rota cor. Durano decis.* 86. *num.* 4., & *decis.* 171. *Mantica de conject. ult. volunt. lib.* 7. *tit.* 13. *num.*16., & 17. *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 32. *art.*9.

Si vero attinentes pauperes non sint, tunc prælatio non aliter eis concessa videtur, quam si intra gradum illum constitutæ sint, ultra quem neque Civilis, neque Canonica cognatio ulla adest. Discessit quandoque Sac. hæc Congregatio ab hac regula, quando nimirum agebatur de prælatione indistincte, & indefinite concessa certæ familiæ, ut *in Camen.* 27. *Februarii* 1706., vel quando vocati quidem erant consanguinei, & affines sed cum amplissimis dictionibus *in qualsivoglia grado*, ut in *Firmana Subsidiorum Dotalium* 9. *Septembris* 1730.

An puellæ attinentes Comitatus Carticeti prælationem & ipsæ mereantur, & an affines sub nuncupatione contineantur *attinentium de sanguine* de quibus secundo, & tertio loco dubitatur, res est per se, ut videtur, satis explorata. De primo tantum movet dubitationem *De Nigris de nominat.* Postquam enim fassus est Districtualibus favere *leg. qui ex vico ff. ad municip.* suffragari etiam *Galeott. contr. jur. quæst.*20. *num* 5., *& seqq. lib.*2., *Gratian. decis. March.* 96. *per tot.*, sanctionem legis de Urbe Roma accipiendam putat, nec ad alias porrigendam civitates. Verum *lib.*1. *quæst.*54. *num.*17. a sua sententia discessit, si districtus parum distet a civitate, vel unum corpus cum civitate constituat.

Quis autem sit paupertatis gradus ad consequendum legatum necessarius, is porro relinquendus videtur prudenti Administratorum judicio: Nec æquitas, & justitia patitur ut iidem Administratores litem hanc, quam pro rite exequenda testatoris voluntate aggrediuntur, suo sumptu agere cogantur; & hæc ea sunt de quibus quarto, & quinto loco quæritur.

Digna-

Dignabuntur itaque Emi PP. decernere ;

I. *An, & usque ad quem gradum præferri debeant puellæ attinentes Jacobo Fornaciari ad assequutionem subsidii dotalis ab eo instituti.*

II. *An dicta prælatio extendi debeat ad Puellas attinentes Comitatus Carticeti.*

III. *An sub nomine attinentium comprehendantur etiam affines.*

IV. *An, & de qua paupertate pro assequtione dicti Subsidii Dotalis constare debeat quoad Puellas extraneas.*

V. *An expensæ hujus Litis fieri debeant sumptibus Hereditatis Fornaciari.*

Ad I. Affirmativè usque ad 5. gradum Canonicum inclusivè.
Ad II. Affirmativè.
Ad III. Negativè.
Ad VI. Arbitrio, & conscientiæ Collatorum ;
Ad V. Affirmativè.

AURIEN. In præcibus Sanctissimo humiliter porrectis Jo. Franciscus Gonzalez de Ulloa Auriensis Diæcesis exposuit, fuisse ad Cappellaniam a legitimo Patrono nominatum, sed Contradictore supervento, qui eamdem sibi adjudicari urgebat, assentitum fuisse Parentibus suis, quod sumptuosam litem, morasque redimerent interposita concordia, in qua Oratoris Pater, & pecuniæ vim numeravit Contradictori, & quædam eidem stabilia donavit, ut in Sacri Patrimonii titulum sibi haberet. Hinc, prosequebatur, favorabilem obtinuisse sententiam, Clericalem Tonsuram, & Cappellaniæ possessionem: Ordines inde minores, & Subdiaconatum, eosque exercuisse. Cum vero ad Diaconatum studuisset promoveri, monitus a Promothore Fiscali, quod in Censuras, & irregularitatem ex admissa Simonia incurrisset, curavit a S. Pœnitentiariæ Tribunali absolvi, & habilitari in Foro Conscientiæ. Re tamen vulgata in Hominum lucem, intelligens Orator Apostolica absolutione, & dispensatione indigere, pro utriusque gratia Sanctissimum deprecabatur. *Sess. 24. cap. 14. de reform.*

Remissis ad hanc Sacram Congregationem Precibus, datæ fuerunt ad Episcopum Auriensem Litteræ, cum ut informaret, votumque suum aperiret, tum ut referret de

vexatione injustè passa a Concurrente ad Cappellaniam, & an esset Oratori jus quæsitum. His Episcopus respondens, & factum in precibus expositum confirmans, admonet in primis, Joannem præfatum ab se petivisse, ut bonis suis in Sacri Patrimonii titulum admissis posset Cappellaniam dimittere; Quæ cum legitimæ executioni mandata fuerint, vacantem modo esse Cappellaniam. Additque ab Oratoris Avunculo excepisse, fructus a die Collationis perceptos, sive eorumdem valorem adhuc extare.

Digrediens post hæc ad quæsita in litteris Sacræ Congregationis, ignorare dicit, num Contradictor jure, seu injuria in litem venisset. Cum namque causam in ipso initio concordia excepisset, Jura Contradictoris Judicem latuerunt. Quo vero ad jus eidem Oratori quæsitum sic habet = *In hisce autem rerum circumstantiis, & ante simoniacam Transactionem Jus certum Oratori quæsitum minime fuisse, nec dubitare licet* =

Quibus addit, sollicitudine, scrupuloque se admodum angi, num scilicet alia posterior priori accesserit Transactioni. Quippe novit, Patrem primi Contradictoris; usum alterius filii nomine in Seminario degentis, redintegrasse Judicium. Et quamquam in libello conquereretur de Sententiæ nullitate, & injustitia; seu quod intra quadrimestrem dicta fuisset, in quo Patronis licebat alium post cognitam Simoniæ labem præsentare; seu quod Cappellania Jure Sanguinis àd hunc pertinebat Filium suum: seu quod Orator Filium alium, qui primus contradixerat, Juris penitùs ignarum fefellerat, & ad concordiam seduxerat. Attamen citissimè, atque adeò siluit, quod & sæpe lacessitus causam siverit in desertionem abire. Hinc subsumit forte censendum, ex nova latente pactione plurimum litis æstum repentè quievisse. Profitetur vero, neque certam sibi causam esse, cur ita judicet, neque cur meritò suspicetur.

Relationem denique suam his verbis constringit = *Quo itaque, & Oratori consuli ritè possit, & hærere nobis opus non sit, aut impetratam gratiam reiicere, nec exequi: illud a vobis AA. & EE. Patres expectamus, ut Oratoris votis si annuatis (id certe cupimus, gratissimumque nobis erit) gratia ipsi talis dispensetur, quæ etiamsi mala intervenerit Oratoris in prædictis fides, Simoniacæque item replicatæ pactiones intercesserint, sive cum Patrono, vel cum Collitigatoribus, aut aliis; & insuper Tonsura Oratorem initiari postmodum, ordinibus minoribus, & Subdiaconatu insigniri, utique contigerit, cum sibi conscius esset de-*

fe-

fectus Tituli, censurarumque, & pœnarum incursarum; hisce omnibus non obstantibus, exequi a nobis, seu delegato a Vobis Judice possit. Hac ratione Oratoris conscientiæ plenius consuletur, qui eò saltem hac gratia minimè indignus judicandus est, quod Cappellaniam renunciaverit, & male obtentum beneficium dimiserit =

In Simoniæ labem, ejusque pœnas nedum offendit, qui pro beneficio obtinendo quid temporale Collatori, & Patrono præstat *Cap. sicus tuis* 34., & *argum. cap. veniens* 19. *de Simon.* Verum etiam qui temporale quidquam tradit alicui justam contradicendi causam præseferenti, ne contradicat. *Cap. Mattheus* 23. *de Simon.*, *& cap. cum primum de pactis*. Quod & procedit, si Tertius illius favore simoniacè contrectasset, ipso tamen sciente, & non dissentiente. Nam *sæpe qui tacet, consentire videtur*; ex animadversis *a Glossa* communiter recepta *in dicto cap. sicut tuis verb. Præbere*.

Consequens est, Simoniæ Reum minimè censeri, qui Contradictori injusto quid solvit, sive præstat, ut vexationem sibi redimat; veluti de S. Gregorio Magno refert *Fagnan. in lib. 6. cap. Nobis de Simonia num.* 105., & tradit *Benedictus XIV. Instit.*93. *ac de Synod. Diœces. lib.* 12. *cap.* 6. §. 9. Sed duo in id concurrant opportet, quod scilicet injusta sit Contradictoris oppositio, quodque solvens jus quæsitum habeat *in re*, hoc est in Beneficio, non tantum *ad rem*, seu ad Beneficium, juxta distinctionem, de qua ex auctoritate *S. Thomæ*, *S. Antonini*, *Suarez*, & *Gonzalez* docet laudatus *Pontifex Benedictus locis citatis*.

Idcirco perquirendum in re præsenti occurret, num contradictio fuerit injusta; numque Orator, ab Patroni præsentatione jus quæsitum in Benefieio sibi fuisse, valeat affirmare. In hoc tamen examine retinendum ex facto est, Jura sanguinis primi, & secundi Contradictoris a Parente verbotenus dicta fuisse, non quidem probata, proindeque latere. Pariterque retinendum ex jure, quod per solam præsentationem dicitur Jus dumtaxat quæsitum ad rem, seu ad Beneficium *Piton. discept. Eccles.* 140. *num.* 10. *Rot. decis.* 689. *num.* 18. *cor. Lancetta*, Sique placeat magis prosequi Sententiam *Tamburrin. de Jur. Abbat. lib.* 1. *disput.* 10. *quæsit.* 4. *num.* 4. ibi = *Dicitur item Jus quæsitum in re Præsentato per solam præsentationem, quando necessariò venit instituendus, ex quo præter ipsum nemo alius præsentatus fuerit* = Quæstio tamen redit semper in idem. Dependet enim ab examine, num Ora-

Orator licet unicus Præſentatus neceſſariò inſtitui debuiſſet, ſeu Contradictoris Jura prævaluiſſent.

Expendendum item erit, quid ſtatuere de fructibus perceptis opporteat, de quorum hactenus exiſtentia Epiſcopus refert audiviſſe. Quibus ſingulis præcognitis, partes erunt EE. VV. ſapientiſſimè decernere.

An, & quomodo sit conſulendum Sanctiſſimo pro abſolutione, & diſpenſatione in caſu &c.

Affirmativè reſtitutis fructibus, ſi quos perceperit.

Seſſ. 25. cap. 9. de reform.

ALATRINA. Precibus nomine Populi Varceni oblatis huic S.Congregationi pro remotione ſcamni quod in Cappella ſub invocatione S. Bartholomei in Eccleſia Archipreſbiterali S. Nicolai dicti oppidi retinent Petrus Hiacynthus, & Joannes Baptiſta de Rubeis, reſcripſit die 24. Novembris 1781. S. hæc Congregatio audito prius Epiſcopo = *Epiſcopus &c. provideat prout de jure, & Juxta Decretum S.Congregationis 28. Julii 17*[illegible] = Juſſerat autem dicta die S.Congregatio quoad aliam Eccleſiam Terræ Tribilliani ejuſdem Diecesis = *Epiſcopus mandet removeri ſedilia, & ſcamna cujuſcumque perſonæ itaut nullum ſuperſit in Eccleſia impedimentum decori ipſius, & divino cultui*.

Reclamarunt dicti de Rubeis a decreto diei 24. Novembris ſuum allegantes juspatronatus in dicta Cappella, & S. Congregatio nequid inconſultò decerneret, audiri juſſit Epiſcopum ſuper novis precibus die 21. Maii 1782. Negavit Epiſcopus in ſua relatione conſtare de hoc jurepatronatus familiæ de Rubeis in dicta Cappella: Etſi conſtaret tantam eſſe Cappellæ anguſtiam, ut *pro miniſterio* ſunt verba Epiſcopi *vix Clerico Miſſæ ſacrificio inſervienti detur copia libere progrediendi, propter eaque maxime dedeceret ut in tali ſitus anguſtia ſcamna, & ſedilia pro mulierum commodo retineantur* =. Addidit poſtremo loco à ſanctione Concilii Romani ſub Benedicto XIII. vetari ne *intra preſbiteriorum, & altarium ſepta dum Miſſæ ibi celebrantur aliaque divina officia perſolvuntur laici aſſiſtant, & ſi quæ ſint pro laicis ſacra intra lo-*

loca prædicta sedes scamna &c. illinc auferantur. Quam plane sanctionem Alatrini Episcopi antecessores suis edictis annorum 1758., & 1766. renovarunt.

Fecerunt hæc, ut S. Congregatio die 13. Julii 1782. rescriberet = *Firma remanente exequutione decreti diei* 24. *Novembris* 1781. *ponatur in folio citatis omnibus interesse habentibus* = Sed quæstio hæc omnis, quæ contra dictos de Rubeis mota est nomine populi Verceni, S. Congregatio Boni Regiminis ad preces ei oblatas nomine Consiliariorum, & Officialium Varceni audita Magistratus informatione vetuit ne imposterum ageretur *neque nomine neque sumptibus communitatis*, ut ex rescripto diei 1. Februarii 1783:

Lis ergo hodie agitur cum Archipresbitero Tricca, & litis consortibus qui nihil hactenus deduxerunt. Ex altera vero parte dicti de Rubeis plura cumulant ad suum tuendum juspatronatus Cappellæ S. Bartholomei. Afferunt enim illius translationem a quadam Bernardina Derotii in Benedictum de Rubeis eorum assertum auctorem 23. Augusti 1570. ab Episcopo Alatrino approbatam: Dant Episcopales visitationes annorum 1590., & 1768. in quibus hoc juspatronatus agnoscitur: Exhibent innumeros pene testes = *che la famiglia de Rossi ab immemorabili ha avuto e pacificamente posseduto il giuspadronato di una Cappella sotto il titolo di S. Bartolomeo eretta in questa Chiesa Arcipretale di S. Niccolò* = Proferunt demum amplissimam agnitionem hujusmet jurispatronatus, quam ab Officialibus, & Consiliariis Varceni vis veritatis extorsit in supplici libello S. Congregationi Boni Regiminis de quo supra oblato = *Li Rossi ritengono con titolo di giuspadronato antichissimo ed immemorabile in questa Chiesa Arcipretale di S. Nicolò una Cappella sotto il titolo di S. Bartolomeo* = Hæc de infrascripto primo dubio differunt.

Secundum quod attinet, ajunt retentionem scamni in patronali Cappella esse quamdam appendicem jurispatronatus; neque ad patronales Ecclesias transferri sanctionem Romani Concilii posse, quippe quod de illis non loquitur; idemque ferendum esse judicium de Edictis Episcoporum antecessorum. Neque verum esse quod tanta sit Cappellæ angustia, ut si scamnum in ejus angulo retineatur, aut divinum servitium impediatur, aut indecore exerceatur, cum bene multi testes, & ipse Magistratus localis, aut de numquam interrupta scamni retentione, aut de nullo

per

per eam allato incommodo *nè all' Altare*, *nè al Serviente, nè tampoco al Sacerdote* deponant addentes = *Anzi di più abbiamo veduto levare le donne padronali quando andava il Sacerdote per celebrare*.

De tertio Dubio ita loquuntur tamquam de re quæ omnino a patronatu dependeat, quo semel admisso nulli licere concludunt inaudito, & invito patrono qui rei patronalis usum habet, vel patronorum sedilia amovere, vel qualecumque impedimentum apponere.

Revera juspatronatus nedum ex instrumento fundationis aut alio actu qui illi æquipolleat, evincitur, sed ex longæva etiam possessione juxta *gloss. unanimi consensu receptam in cap.* 1. *de Præscript. in* 6., *& arguitur ex cap. de quarta*, *cap. ad aures*, *cap. illud autem de præscript.* Si personæ excipiantur in quas usurpationis præsumptio cadere potest ex sanctione *Tridentini sess.* 25. *cap.* 9. *de Reformat.* Quod si de Ecclesia non libera agatur, sed patronatui alterius subjecta qualem Ordinarius esse Ecclesiam S. Nicolai affirmat erga Communitatem Varceni, tunc liberior est indulgendus præscriptioni cursus, breviorque exigitur temporis lapsus ob eam non difficilem rationem, quod nimirum tunc res non est contra Ecclesiam cujus nihil interest unum, vel alterum habere patronum; Sed contra laicum nullo speciali privilegio donatum juxta distinctionem quam amplectuntur *Molina de Justitia*, *& Jure disput.* 70. *num.* 2.; *Lessius lib.* 2. *cap.*6. *dub.* 10. *num.* 33.; *Lugo disput.* 7. *num.* 99. *Pirrhing. lib.* 2. *Decretal. tit.* 26. *n.* 118.

Sequela autem jurispatronatus retentio scamni esse videtur, *& ejus quasi naturam obtinet*, *& ejusdem fere juris*, *& prærogativæ censetur* sunt verba *Panimoll. decis.* 1. *annot.* 15. *num.* 10., qui *bene multos* allegat consentientes DD.. Neque tacente Concilio Romano, edictisque Episcoporum antecessorum de Ecclesiis patronatui suppositis dum vetant retentionem scamni intra septa Altarium, eorumdem placita contra patronos extendere fas est, modo nil detrimenti capiat reverentia divino cultui debita. Idemque est sensus resolutionis hujus sacri consessus diei 28. Julij 1781. quoad Ecclesiam terræ Tribilliani in qua nullus in judicio stabat Ecclesiæ patronus, qui sedilis retentionem urgeret. Fatendum tamen quod sedes aut scamna adeo altari vicina, ut celebrantem impediant, removenda sunt, & removeri jussit S. Congregatio Episcoporum, & Regularium in *Nullius Castri Durantis* 10.

No-

Novembris 1623. Videndum an ſatis probetur nimia hæc altari proximitas ; videndum an huic incommodo ſatis occurratur, juſſis excedere laicis, dum Miſſæ aut divina officia celebrantur .

Si ſæpedicti de Rubeis patroni ſunt Cappellæ, ſi jus habent retinendi in ea ſcamnum utique nulli licet illud amovere minuſque iis inauditis aut invitis ullum impedimentum apponere tamquam in re cujus uſus alteri conceſſus eſt . Sed diſtinguendum videtur inter Epiſcopum vel Eccleſiæ Rectorem , & alium quemlibet . Huic porro id interdictum omnino eſt ex communi DD. placito ; Epiſcopo vero aut Eccleſiæ Rectori conceſſum hoc videri debet in ſolo neceſſitatis caſu, ut diſtinguunt *Capyc. Latro deciſ.* 181. *in annot. num.* 1. *Panimoll. dec.* 1. *annot.* 15. *num.* 1. , & 12. ; *Antonell. de loc. legal. cap.* 3. *n.* 68. *lib.* 1. ; *Calder. deciſ. crimin.* 38. *num.* 19. , & *ſeqq. tom.* 1.

Partes erunt Emorum PP. decernere .

I. *An favore Familiæ Roſſi conſtet de Patronatu Cappellæ S. Bartholomei exiſten. in Eccleſia Archipreſbyterali Terræ Varceni in caſu &c.* , & *quatenus affirmativè* .

II. *An liceat dictæ Familiæ retinere infra ambitum dictæ Cappellæ Scamna* , & *Sedilia* , *ita ut ſit ſtandum vel recedendum a deciſis ſub die* 24. *Novembris* 1781. , *quoad dictam familiam Roſſi in caſu &c.* , & *quatenus affirmativè ad primam partem* .

III. *An liceat Archipreſbytero* , *&* *Rectori ejuſdem Eccleſiæ ſive cuilibet alteri ſupradicta scamna* , & *ſedilia ab eadem Cappella amovere* , *ac reſpective in ea apponere* , *ac retinere Confeſſionarium* , *vel aliud quodcumque impedimentum inaudito* , *& invito Patrono in caſu &c.*

Non propoſita .

Sess.25. cap. 4. de Reform.

ANAGNINA REDUCTIONIS MISSARUM. Archipresbyter, & Beneficiati Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Oppidi Filettini hanc Sacram Congregationem deprecati sunt pro Missarum, quas celebrare tenentur in ratione Missæ Manualis Julii unius, reductione ad Taxam Missarum perpetuarum, quæ est in Juliis duobus. Utque justas Postulationis Caussas afferrent, exponebant, plurima sibi ipsis Onera Missarum esse cum Eleemosyna Juliorum duorum Celebrandarum, majora tamen cum Eleemosyna Julii unius; quæ posteriora conscendunt ad *numerum* 599. adimplenda partim ex reditibus Terrarum, partimque ex Censibus perpetuis. Præterea oneri subesse nonnullorum Anniversariorum in numero 28. ex quibus excipiunt annua scuta 71. Ac denique Oneribus iis Missas adventitias, & in Funeribus celebrandas accedere; Ideoque cum ipsi dumtaxat Quini sint, impares omnino esse.

Addebant, teneri ad Chori servitium in Festis Diebus, in aliquibus Octavis, in Quadragesima, & majori Hebdomada, aliisque Ecclesiæ propriæ Functionibus; nec cujuslibet Præbendam excedere, oneribus subductis, annuos reditus scutorum septem, aut octo.

Relato eorumdem Supplici Libello, placuit EE. VV. rescribere = *Episcopo pro Informatione, & Voto, auditis, & referat de annuo redditu uniuscujusque Præbendæ, nimiaque earumdem tenuitate, spectata gravitate Servitij, & an redditus Oratorum culpa decreverint, & signanter, an onera Missarum infixa sint Præbendis a Testatoribus, vel potius Ecclesiæ ipsi cum fundo separato* =.

Auditus hinc Episcopus refert, Oratorum Præbendas annuum circiter rubrum frumenti unicum reddere, *pro quo* (sunt Relationis verba) *tenentur ad persolvendas in Choro horas Canonicas in omnibus diebus Festis de Præcepto, & in omnibus Octavis Festorum Mobilium, nec non tempore Quadragesimæ ad Completorium, & tandem ad recitandas Litanias Deiparæ Virginis a mense Majo usque ad mensem Septembris* = Narrat pariter, onera Missarum perpetua, quorum reductio petitur, infixa Ecclesiæ esse, & distinctis fundis: Nimirum in Censibus, & Agris. Votumque suum aperiens concludit = *Attenta igitur tenuitate redituum Præbendæ, qui minime Oratorum culpa decreverunt, & attenta gravitate servitij, ad quod præfati Archipræsbyter, & Beneficiati adstringuntur, in sensu essem*

essem, dummodo ita videatur Supremo isti Tribunali, ut prædicta onera perpetua Missarum ad rationem Juliorum duorum pro qualibet Missa taxentur =.

Latè, pleneque de Missarum reductione agit *Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana lib.* 13. *cap. ult.* Summa rei hæc est, quod si de Missis Adventitiis sermo sit, seu Eleemosynæ recipi non debent, nisi infra modicum tempus: scilicet unius mensis: celebrari possint; seu pios offerentes admonendos esse = *tot Missas celebratum iri, quot re ipsa celebrari posse contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequivissent Missæ, quas sibi Eleemosynam offerentes deposcebant, futuros participes fructus Missarum, quæ in Ecclesia pro Benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut Missæ per eos optatæ in alia Ecclesia juxta eorum intentionem celebrentur; Idque, publico, patentique loco appensa Tabella, omnibus nunciaretur* =. Veluti totidem verbis legere est *loc citato* §. 11. ubi *in* §§. *seqq.* Resolutiones Sac. hujus Congregationis transcribuntur.

Sin autem sermo sit de Missis perpetuis, idem *Pontifex Benedictus* prosequitur Caussas reductionum faciendarum recensere *in eod. lib.* 13. *cap. ult.* §.28., ibi = *Causas itaque, ob quas fas est reductionem aggredi, plerumque, imo fortasse semper suppeditat decrementum redituum, qui fuerant pro onerum implemento assignati; Aliquando vero adaucta per Episcopos in suis Synodis Missarum Eleemosyna: quo nimirum fit, ut quamvis initio id, quod constituit Fundator in præscripti oneris supportationem, ad illius implementum satis haberetur; Nihilominus, auctis subinde Missarum Eleemosynis, impar deprehendatur, nec ullus reperiri valeat Sacerdos, qui oblata juxta veterem Taxam Eleemosyna, Missam celebrare velit; proindeque is, cui onus est curandi hujusmodi Missarum Celebrationem, si velit imposito sibi Oneri satisfacere, cogatur Sacerdotibus celebraturis pinguiorem Eleemosynam largiri: & has quidem Causas indigitavit quoque Tridentinum Concilium citato cap.*4. *Sess.*25. *de Reform.*

Præterea in Oneribus perpetuis distinctio obtinet inter ea, quæ a Contractu proficiscuntur, & ea, quæ in ultima voluntate imposita sunt. *Priora* reductioni non subsunt; etsi fructus rei datæ, sive quantitates impares sint, seu evaserint, nisi manifestam iniquitatem Contractus præseferat. *Rota in Ravennaten. Salviani* 16. *Februarii* 1753. §.10.

§. 10. *cor. clar. mem. Card. Molino*, *& Sac. Congregatio in Montis Politiani* 3. *Septembris* 1716., *& in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Julii* 1728. Quo vero ad Onera ex ultima Defunctorum voluntate subdistinctio servetur opportet, ut scilicet si quantitas *taxativè* relicta sit, reductio obtineat; sin autem *demonstrativè*, secus dicendum, sed hæredes supplere tenentur; Veluti de primo casu *Rota in Romana Supplementi*, & *applicationis* 11. *Junii* 1731. §. *Tunc*, *cor. clar. mem. Card. Aldrovando*, *&* de secundo *in Urbevetana Legati* 3. *Decembris* 1753. §. 6. *cor. clar. mem. Card. Bussio*, & Sacra Congregatio eam sequens distinctionem respondit *in Mediolanen. Reductionis* 2. *Julii* 1718., *&* 1. *Aprilis* 1719. *in Venet. Reductionis Missarum* 4. *Februarii* 1719. *in Ferentina Cappellaniæ* 19. *Decembris* 1744. *in Romana Legati* 15. *Decembris* 1759., & 21. *Julii* 1764.

Quibus stantibus, observatione dignum videtur, nec Præbendis Onera hujusmodi esse infixa, nec doceri, neque de redituum imminutione, neque de onerum provenientia sive ab ultimis voluntatibus, sive a Contractibus, iisque pensatis, EE. VV. plurima de more sapientia judicabunt.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Negativè.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

NUCERINA CANONICATUS. Quæstionis est in hac Caussa, num Institutio danda sit Clerico Odoardo Marini, seu Clerico Aloysio Cesauri, quorum *primus* ad vacantem Canonicatum sub titulo Omnium Sanctorum præsentatus fuit ab tunc exercente Vexillifero Saxiferrati Benedicto Marini, & *Alter* ab Antonio Agostini, qui ab Vexilliferatus exercitio suspensus fuerat, sed reintegratus dicebatur. Huic binæ succedunt quæstiones subal-

ſubalternæ: *Altera* nimirum de Canonicatus qualitate Sacerdotali, vel ſecus, & *altera* de Clerici Marini habilitate.

Propoſito in Congregatione diei 10 Januarii ſuperioris Anni Dubio = *An, & cui ſit danda Inſtitutio* = EE. Patres reſcripſerunt = *Dilata, & ad mentem, & mens eſt, quod tranſmittatur integra Fundatio Canonicatus* = Mox recepto Fundationis Inſtrumento, iterum propoſita fuit Cauſſa in Congregatione diei 27. Novembris 1784. ſub eodem Dubio, prodiitque Reſponſum = *Dilata, & expleto novo examine Odoardi Marini Epiſcopus referat ſuper ejus idoneitate* =.

Ordinarius, ad quem opportunæ Litteræ datæ ſunt; refert, novum commiſiſſe ſuper Odoardi idoneitate experimentum uni ex Synodalibus examinatoribus, qui eumdem idoneum renunciavit *ad Canonicatum in Collegiata Eccleſia conſequendum*, tranſmiſitque Examinatoris Judicium in ſcriptis redditum. Sed latè, pleneque diſſentire profitetur ab Examinatoris Sententia. Præter quod enim attenta illius ætate annorum unius & viginti ait ſpem modicam de progreſſu in Litteris ſupereſſe, animadvertendum proponit, Collegiatæ Canonicis per Turnum incumbere Hebdomadarii, ac Lectoris munera, quibus Odoardum imparem omnino eſſe, firmiter tenet; Atque adeo, quod illum reputet ex ſcientiæ defectu irregularem.

De neceſſaria Promovendorum ſcientia Synodus Tuſculana Anni 1763. doctiſſimè hæc habet = *Pro ratione Ordinis, quem eſt ſuſcepturus, ſufficienti ſit inſtructus litteratura. Deus enim, & cum Synagogam formavit, & cum Chriſti Eccleſiam inſtituit, utriuſque Miniſtros ſapientia præditos eſſe voluit, & in veteri quidem Teſtamento per Oſeam inquit: Quia Tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi: In conſtituendis vero novi Teſtamenti Miniſtris præcepit eis, ut euntes docerent, deditque eis noſſe myſterium Dei, eoſque omnes replevit Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt Sapientiæ, & Intellectus. Quamobrem ipſa ſola inſcitia ſufficientiſſima eſt Cauſa, ut quis ab Ordinibus recipiendis repellatur: Illiteratos, inquit Gelaſius Papa, nullus præſumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia Litteris carens, Sacris non poteſt eſſe aptus Officiis; Tridentina vero Synodus ſtatuit, ut prima Tonſura non initientur qui . . . . fidei rudimenta edocti non fuerint,*

rint, quique legere, & scribere nesciant; Pro minoribus Ordinibus postulat, ut ad eos promovendi saltem latinam linguam intelligant, &c sciant, quæ ad officium suum spectant; Pro Subdiaconatu, &c Diaconatu requirit, ut sint litteris iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi; Tandem pro Presbyteratu exigit, ut ad Populum edocendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur =.

Resumptis autem Foliis distributis in Congcegationibus dierum 29. mensis Novembris 1783., & 10. Januarii, ac 27. Novembris 1784., placeat EE. VV. de Jure respondere.

An, &c cui sit danda Institutio in casu &c.

Vocetur ad Urbem Odoardus Marini, & ad D.Secretarium juxta mentem.

Sess.22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. Disputatum fuerat in Congregatione diei 22. Decembris anni 1781. Num Missa quotidiana, quæ ex pii Fundatoris Testamento celebranda erat in sua Suburbana Cappella B. Virgini Angelorum dicata, quæque ex Indulto San. Mem. Clementis XIV., annuente Aloysio Boncori Patrono, translata fuit ad Ecclesiam S. Andreæ Monialium Montis Georgei, reportanda esset ad præfatam Fundatoris Cappellam; Propositoque Dubio = *An onus Missarum fundatum in Ecclesia patronali S. Mariæ Angelorum sit reportandum ad eamdem Ecclesiam* = Emi PP. rescripserunt = *Ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem* = Facta ergo relatione, & facultate impetrata Patrono adversus Indultum reclamandi, noviter relata est Causa *in Folio diei* 14. *Septembris anni* 1782. propositaque in sequenti Congregatione *diei* 23. *Novembris*, nec resoluta; Denique in Congregatione *diei* 14. *Decembris ejusdem anni* 1782. repropositо Dubio = *An sustineatur Translatio Oneris Missarum ad Ecclesiam Monialium S. Andreæ Montis Georgei, seu potius sit locus illius repor-*

por-

portationi ad Ecclesiam patronalem S. Mariæ Angelorum = Responsum fuit = *Negativè ad primam partem*, *Affirmativè ad secundam* =.

Data redeundi venia, reintegratoque Contradictorio in Congregatione *diei* 15. *Martii anni* 1783. placuit EE. VV. *recedere a decisis*. Sed novo commissa examini Caussa in Congregatione *diei* 27. *Martii anni superioris* 1784. sub Dubio = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis* = prodivit Responsum = *in primo loco decisis*, *& amplius* = Cum vero Monialibus enixe petentibus gratiosum novæ Audientiæ beneficium indultum est *die* 24. *Aprilis ejusdem Anni*, S. Congregationis *mens fuit*, quod Litteræ ad Archiepiscopum Firmanum jugiter darentur de Concordia inter Partes concilianda ad sumptuosam litem perimendam, veluti datæ sunt.

His Archiepiscopus respondens, refert, nimium egisse, & cum Monialibus, & cum Aloysio Boncori Cappellaniæ Patrono, eisque veluti rationi, æquitatique maximè consonum. proposuisse, quod = *la controversa Officiatura della Messa Quotidiana rimanesse nella Chiesa delle stesse Monache per il numero di Messe* 52. *quindeci delle quali si avessero a celebrare nei dì festivi, e più solenni, e le altre* 37. *in giorni feriati, in maniera che le medesime Religiose avessero il beneficio di una Messa per settimana. Tutto il rimanente poi dell' accennata Officiatura dovesse ritornare alla rurale Chiesa di S. Maria degli Angeli* =.

Annuit Propositioni, frequentibus tamen excitatus Officiis, Aloysius Boncori. Moniales autem huic uni assentitæ sunt, seu quod Missæ ut prius, in earum Ecclesia celebrarentur in singulis festis diebus, aut quotidiè, exceptis tantummodo diebus Mercurii, & Sabbathi. Neque ab eo proposito, quamquam humaniter sæpè monitæ, potuerunt dimoveri. Quin imo profiteri non dubitarunt, ni alterutrum concederetur, libentissimè cessuras potius fuisse omni Jure suo.

His tamen non obstantibus concludit = *Se il mio Piano si giudicasse da cotesta Sag. Congregazione ragionevole, ed equo, ed insieme irragionevole il rifiuto, che ne fanno le Religiose, crederei umilmente, che facendosi loro sapere, che non resta disapprovato dal Supremo Tribunale, a cui è piaciuto insinuare una concordia, e che è mente di esso, che si accetti, crederei, dissi, che rientrarebbero in loro stesse, e senza meno lo abbracciarebbero* =.

Quo-

Quocirca restat, quod resumptis præfarum Congregationum Foliis, EE. VV. seu, si placeat, cum Archiepiscopi Voto conveniant, seu decernant.

An sit standum in primo, & tertio, seu in secundo loco decisis in casu &c.

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 7. Maij 1785. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUæ dantur in præsenti Folio duæ priores Caussæ, relatæ fuerunt in Folio anterioris Congregationis, non autem propositæ, eæque cum reliquis Sapientiæ EE. VV. decidendæ subiiciuntur.

FIRMANA REPORTATIONIS ONERIS MISSARUM. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An sit standum in primo, & tertio, seu in secundo loco decisis in casu &c.

Scribatur Archiepiscopo pro executione concordiæ ab ipso propositæ etiam ex officio.

ALATRINA. Relata hæc pariter fuit Caussa in Folio anteactæ Congregationis, sed tribus tantum dubiis compræhensa. Modo, petente de Rubeis Familia, ampliata est additione quarti Dubii super Attentatis. Cum enim sivè Archipresbyter Tricca, sivè alii Ecclesiæ suæ Sacerdotes, & litis Consortes, Scamnum Familiæ præfatæ a Cappella in Sacrarium detulerint, indeque fregerint, fractumque sepelliverint, ac præterea Sedes pro scamno subrogatas igni tradiderint; quod multis comprobatur testibus; putant ipsi de Rubeis, defenduntque, fieri hoc non potuisse in spretum, & odium litis pendentiæ coram S. Congregatione; proindeque Triccam, suosque litis Socios in attentatorum incurrisse vitium, quod propter læsum Partis interesse, læsamque Judicis ma- *Sess 25. cap. 9. de Reform.*

majestatem rigorosè purgandum sit. Et securius; Quia post datum Sepulturæ scamnum, ignique Sedes, statuere non dubitarunt in ipsamet Cappella, Patronis inauditis, Exedram Confessoriam,

Observandum ea de re occurrit, duo convenire extrema oportere in Attentatis definiendis: Nimirum præcedentem Inhibitionem, quæ sivè tacitè ab ipsa lite, sive expressè a Judicis inhibentis Decreto proficiscitur, & spretum ejusdem inhibitionis subsequentem, quibus sine extremis Attentata deficiunt.

Hinc videndum, an veluti attentatæ renunciari possint Scamni remotio, & Fractio, Sedisque combustio, etsi præcessisset sub diem 24. Novembris 1781. Sacræ hujus Congregationis Rescriptum = *Episcopus provideat prout de Jure, & juxta Decretum Sacræ Congregationis* 28. *Julii* 1781. = Cui aliud in hacmet Caussa Rescriptum accessit die 13. Julii 1782. = *Firma remanente executione Decreti diei* 24. *Novembris* 1781. *ponatur in Folio citatis omnibus interesse habentibus* = Dubitari enim admodum posset de præcedenti inhibitione; atque adeo, ut imo pro remotione facultas expressa data fuisset.

Deinde videndum, an stante præfato Decreto = *Episcopus provideat prout de Jure &c.* = licuerit absque formali Episcopi Decreto, Partibusque Citatis, procedere ad Scamni remotionem, & fractionem, Sedisque ad combustionem. Nam clausula = *prout de Jure* = ordinem Processus legalis secumferre videtur, qui sine Citatione nequit validè absolvi.

Videndum tertio est, num, si licita remotio fuit, licita quoque fuerit Fractio, & respectiva combustio; seu scamni, sedisque Consignatio dominis potius quam Sepulturæ, & Igni fieret opportebat.

Quibus perpensis, reliquum erit decernere,

I. *An favore Familiæ Rossi constet de Patronatu Cappellæ S. Bartholomei existen. in Ecclesia Archipresbyterali Terræ Varceni* =

II. *An liceat dictæ Familiæ retinere infra ambitum dictæ Cappellæ scamna, & sedilia, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 24. *Novembris* 1781. *quoad dictam Familiam Rossi tantum* =

Et quatenus affirmativè ad I. dubium.

III. *An liceat Archipresbytero, & Rectori ejusdem Ecclesiæ, sive cuilibet alteri supradicta Scamna, & sedilia amovere, & respectivè in ea apponere, & retinere,*

Con-

Confessionarium, vel aliud quodcumque impedimentum, inaudito, & invito Patrono =

IV. *An, & contra quos constet de Attentatis, & quomodo sint illa purganda in casu &c,*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Affirmative, dummodo divinis non præstet impedimentum, & juxta hunc modum recedendum a Decisis.
Ad III. Negative.
Ad IV. Dilata.

FOROLIVIEN. Gravis acta est Disputatio Foroliviensem Civitatem inter, & Fratres Servitas de Custodia Corporis Divi Peregrini Latiosi, de Cappellæ Ministratione, deque Juribus, modisque servandis, cum annua Dies redit, in qua Servi Dei solemnis Memoria celebratur. Habent EE. VV. disputationis hujusce relationem in Folio pro Congregatione diei 21. Augusti Anni superioris; & breviorem aliam habent in Folio pro Congregatione diei 12. evoluti nuper Mensis Martii. Cum proponi Causa non potuerit dicta die 21. Augusti, proposita fuit in sequenti Congregatione diei 11. Septembris, in eaque viginti Dubiis congruæ resolutiones redditæ sunt, quæ habentur in *Thesauro Resolut. tom. 53. pag. 219.* *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

Non acquieverunt Fratres Servitæ Resolutionibus captis quoad I. VI. VII., & XI. dubium, iterumque, iis postulantibus, Caussa repropolita fuit die 12. Martii hujus Anni super præfatis quatuor Dubiis; imparati tamen cum fuissent, supplices pro ulteriori dilatione porrexerunt preces, quibus Sacra Congregatio benigne annuit rescribens = *Dilata ad primam post proximam etiam unica* = Moniti vero Jura sua nondum protulerunt.

Placeat idcirco EE. VV. præfata folia resumere, & definire *An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad I. VI. VII. & XI. dubium in casu &c.*

Ad I. Iterum proponatur.
Ad VI. In decisis, & amplius.
Ad VII. Affirmative, & recedendum a Decisis.
Ad XI. In decisis, & amplius.

Seff. 22. cap. 6. de Reform.

TOLENTINA. Cum proponeretur hæc Caussa in Congregatione diei 12. Martij nuper elapsi dilata fuit resolutio, postulantibus Canonicis novæ Erectionis Valtieri. Adsunt modo, jura sua proferentes.

Ad I. præmittunt, Sanctissimi Pontificis nostri utramque gratiam, præter CanonicatuumNumerum, nihil a Fundatoris Mente circa reditus ipsis Canonicatibus assignandos demisse; Ideoque, dum queritur, quoti debeant esse cuilibet Canonico Præbendæ Fructus, recurrendum esse ad pii Fundatoris Mentem in postremis Tabulis dictam.

Quæ vero Mens? Hæc una = *tante prebende &c. che abbiano a rendere tanto annuo frutto per Ciascun Canonicato, quanto ne rende uno de Canonicati, che godono li Signori Fidi, e Sonni* = Non ergo quærendum, prosequuntur, quæ Canonicis Fidi, & Sonni Præbenda fuerit, sed qui Fructus totius Canonicatus, ejusque ratione illis obvenirent. Si namque Prior Valtieri fructus tantum præbendæ Fidi, & Sonni suis voluisset Canonicis addicere, non indiguisset generica locutione loqui, cum ipse qua Prior multos per annos Fidio, & Sonnio Præbendæ fructus præstare manu sua debuisset. Ex quo locutionis discrimine plane intelligi, quod si fructus Canonicatus, non Præbendæ dixit, fructus dicere voluit ampliores fructibus solius Præbendæ.

Concedentes hinc, Præbendæ Sonni, & Fidi fructus non excedere annua scuta sex in numerata pecunia, & rubra quatuor Frumenti, procedunt recensere reditus alios, qui eisdem Canonicatibus accedunt: Scilicet scuta duo ex fructibus compensativis Domus alienatæ pretio sc. 250.; Alia sc. 6. 11. ½ ex Censuum fructibus; Alia sc. 6. 23. ex fructibus Stabilium Massæ comunis; & alia sc 4. 36. 4. quanti æstimari potest obligatio præstandorum Utensilium, cui Prior Ecclesiæ favore Canonicatuum Fidi, & Sonni obstringitur. Quæ singulæ Partitæ summant sc. 24. 51. A quibus si onera Taxarum, & Collectarum privilegiatarum subducantur in obolis 18. Summa fructuum superest in sc. 24. 33, Cum vero ex Fundatione quilibet ex Canonicis Valtieriis gravetur onere annuo Missarum 102. quarum Eleemosina in ratione Missæ manualis est in sc. 10. 20. putant hoc onus cum ampliori reditu compensandum sibi esse; ideoque his additis priori fructuum Summæ, defendunt ipsorum cuilibet deberi in numerata pecunia *annua scuta* 34. 53. compræhensis scu-

scutis sex, quæ titulo Præbendæ obtinent Canonicatus Fidi, & Sonni.

Neque locum esse, ajunt, Regulæ de Distributionibus non recensendis inter Canonicatuum fructus. Secus enim obtinere in favorabili hac materia ex Auctoritate *Card. de Luca disc.* 10. *de Jurepatr. num.* 9. 10., *&* 11. *Fagnan. in Cap. Gravis de restit. Spoliator. &c. n.* 83., *& seqq. Ferrar. Bibliot. Verb. Distributiones in addit. ex aliena manu n.* 4. *&* 6. *Piton. discept. Eccles.* 33. *num.* 18., *& discept.* 151. *num.* 31. *Rot. in rec. dec.* 449. *num.* 13., *& seqq. part.* 14..

Favorabilem vero materiam esse, in qua de Rediribus Canonicatuum Valtieri æquandis ex Testatoris Mente cum Fructibus Canonicatuum Fidi, & Sonni, res est. Qui enim non putabit plus Seminario sibi ignoto dilexisseCanonicos suos?

Eademque ex ratione volitæ, justæque peræquationis duas Canonicis Valtieriis compensationes esse concedendas: nimirum primam pro Utensilibus, quæ licet Seminarii Testes dixerint, singulis ab Ecclesia Canonicis præstari, secus tamen Modernus Ecclesiæ Prior protestatus est in Aula Capitulari. Similiter, & aliam pro Missarum onere compensationem concedi oportere. Æquatio enim, quæ Testatori placuit, destrueretur, nisi in æquatione ratio de oneribus habenda esset ex animadversis per *Rotam in Balneoregien. Canonicatuum* 1. *Martii* 1720. §. *Certius cor. Gamaches.* Seposita quippeCompensatione hujusmodi, quidCanonicis exPræbendaScutor. sex, & Rubrorum quatuor Frumenti superesset, statim ac Eleemosinas Missarum 102. amittere jubentur.

Ad II. declarant, nihil præterea sibi velle, nisi onerisMissarum 102. Compensationem, cum Præbendæ Valor præfinitur, non autem Eleemosinæ solutionem.

Collatis ideo Partium Juribus, resumptisque Foliis præfatarum Congregationum, EE. VV. definiant.

I. *An, & quomodo, & in qua summa debeantur Fructus.*

II. *An debeatur Eleemosina pro onere trium Missarum pro qualibet hebdomada Celebrandarum in Casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

HER-

Sess. 24. cap. 1. & 13. de Reform.

ILERDEN. . In Sacra Ilerdæ Civitatis Visitatione abnuit solertissimus Episcopus binas laudare Consuetudines sua in Cathedrali Ecclesia vigentes, alteram scilicet, quod Parochiani aliarum Parochiarum Civitatis, & Suburbii Præcepto Paschali in ipsa Cathedrali facerent Satis : & alteram, quod Cathedralis Parochus omnibus Matrimoniis Incolarum cujuslibet Parochiæ privativè benediceret. De Matrimoniis ab proprio Contrahentium Parocho benedicendis Decretum edidit opportunum :De Paschalis implemento Præcepti nihil definivit. Cum enim Capitulum, & Canonici, utramque Consuetudinem, veluti immemorialem, servari firmiter oportere protuerentur, sancto, pioque Fœdere Episcopus, & Canonici conjuncti sunt, ut Sacræ hujus Congregationis Sententiam exquirerent, subsignato utrimque Folio, in quo Dubia inseruerunt ab hac S. C. decidenda, & quæ ipsissimis verbis infra proponuntur.

Ad I. Canonici ajunt in præcitato Folio, gavisam fuisse Cathedralem ipsorum Ecclesiam a Sæculo duodecimo, quod primum suæ restaurationis fuit, Jure privativo Nuptiis benedicendi, & Baptismum ministrandi, habitamque semper fuisse quà Matricem Ecclesiam, & reliquas in Civitate filiales ipsius, & Vicarias.

Idque in primis probari ex Bulla sa. mem. Alexandri III. edita sui Pontificatus Anno primo, & in Ecclesiæ Archivo servata, quæ sic habet = *Tua verò eadem Ecclesia in Civitate Ilerdense sola Baptismalis esse proponitur. Apostolica nihilominus Authoritate Sancimus, ut sicut ad hæc tempora noscitur observatum, in ea tantum Baptismus, & Nuptiarum benedictio Celebratur; libertates quoque, & immunitates eas perpetuis temporibus illibatas permanere Sancimus* =

Deinde ab antiquis anno 1299. conditis Statutis, in quibus scriptum est = *Perpetuò duximus statuendum, quod nunquam detur per nos, aut successores nostros, aut per Capitulum Ilerden., aut aliquem de Capitulo ipso, vel Cappellanum etiam S. Petri Licentia, aut potestas, quod alibi in dicta Civitate, vel ejus suburbiis, quam in ipsa Cathedrali Ecclesia Nuptiæ celebrari audeat, aut Baptismum conferre* =

Quibus addunt, quod etsì Capitulum mox annuisset, Baptismum in Parochia S. Joannis ministrari, veluti constare dicunt ab alia Bulla sa. mem. Pauli V. anno 1605. promulgata; Attamen ex Parochialibus Cathedralis Codicibus manifestè convincitur, = *Matrimonia promiscuè*

Ce-

Celebrari proximo elapso Sæculo tum in Ecclesia Cathedrali, tum aliis Parochiis, Benedictiones autem Nuptiales omnes semper ac privativè ad hunc diem usque in Ecclesia Cathedrali = (sunt verba præcitati Folii.)

Eamque consuetudinem præeminentialem probasse Decessores Episcopos, qui decretis, & Ædictis suis, aut præceperunt, aut supposuerunt, Nuptias omnes, etsi in aliis privatis Parochiis celebratas, per Parochum Ecclesiæ Cathedralis benedicendas. Eosque inter Episcopos Antonium Augustinum, qui Tridentinæ Synodo interfuit, recenseri.

Modernus Episcopus autem hanc consuetudinem, utcumque sit, corruptelam certius judicandam esse putat post Tridentinæ Synodi Decretum *in Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. ubi sic = *Statuitque, benedictionem a proprio Parocho fieri; Neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse; Quacunque Consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius Corruptela dicenda est, vel Privilegio non obstante* =

Ad II. Eamdem immemorabilem Consuetudinem Canonici Cathedralis proferunt, justamque esse, & rationabilem, ex eo elici affirmant, quod Ecclesia Cathedralis est universalis Parochia Civitatis, & aliarum Parochiarum Matrix. Ex opposito Episcópus, sublatam penitus fuisse a Sac. Tridentino Concilio *in cap.* 13. *Sess.* 24. *de Reform.* reponit, & sic decrevisse de Patriarchialibus S. Joannis in Laterano, & S. Petri in Vaticano Ven. *Innocentium XI. anno* 1682. Sententiamque suam de Paschali Præcepto in propria cujuslibet Parochia exposuisse *sa. mem. Benedictum XIV. in Instit. Eccles.* 18. §.12.

Quod pertinet ad Nuptiarum Benedictiones, observandum ex Facto videtur, Parochiarum Ilerdæ Fines esse distinctos; Et Parochos Sacramenta ministrare independenter a Cathedrali, statim ac Cathedralis Jura tantum sibi esse, defendit, benedictionis Nuptiarum, & Paschalis Comunionis. Quibus stantibus, ponderandum erit, num sicuti a Tridentina Synodo Consuetudines, & Privilegia sublata penitus fuerunt, eadem de præcedentibus, ac de subsecutis consuetudinibus ratio habenda sit.

In *Eugubina Jurium Parochialium* proposita in hac Sacra Congregatione die 12. Martii 1729., quæ impressa est in *Thesauro Resolutionum tom.* 4. *pag.* 273., *&* 276. quæstio erat, num Parochus Cathedralis, *seu* in vim Matricitatis, ac Superioritatis sibi competentis uti totius Ci-

Civitatis, & Dioecesis Universali Parochiae, *seu* ratione antiquae consuetudinis, posset Sacramenta ministrare Clericis, & Sacerdotibus quibuscumque infirmis, quamvis alienas Parochias incolerent.

Instantibus Monacis Olivetanis, qui Parochiam in Civitate obtinent, ea proposita quaestio fuerat anno 1628. in Sacra Rituum Congregatione, quae negativum ediderat responsum. Attamen Parochus suam custodiens possessionem, prosecutus fuerat Sacramentorum Ministrationem; Imo in Synodo Eugubina sequioris Anni 1632. nedum hoc Parocho Cathedralis Jus veluti immemoriale probatum fuit, sed etiam sub poenarum Comminatione inhibitum, ne a quoquam impediretur. His non obstantibus, dato in hac Sacra Congregatione Dubio = *An Parocho Cathedralis Eugubii licitum sit subministrare Sacramenta quibuscumque Clericis, & Sacerdotibus infirmis, & in alienis Parochiis commorantibus, etiam privative ad proprium Parochum domiciliarium* = Sequens prodiit Responsum = *Negativè, & spectare privative ad Parochos Domiciliarios, & amplius* = Quibus illud consectaneum esse videtur ut qualescumque consuetudines etiam Tridentino posteriores improbari debeant.

Caeterum ne ullae adversus Tridentinas sanctiones recipiantur consuetudines, illud jubet (quod licet eae decreto careant irritante, & clausula sublata quibuscumque contrariis usibus aditum intercludentibus, ea tamen non desiderantur in Bulla Pii IV. quae Tridentinum confirmavit ut sapienter advertit *Bened. XIV. in institut.* 60. *num.*7. & *Piton. controv. Patr. alleg.* 5. *per tot. Tom.*1. Praesertim quando prout hic quemcumque contrarium usum corruptelam lex Tridentina vocavit, ex quo fit ut numquam enasci nedum adolescere consuetudo potuerit ex *Fagnan. in Decretal. lib.*4. *cap. quod super de consanguinea, & affinit. n.*7., & 8.

Haec de primo Dubio quod ex formula qua conceptum est de viribus tantum immemorabilis consuetudinis inquirendum esse monet. Secundum quod attinet testis est *Pignattell. consult.* 89. *Tom.* 7. se qui tunc agebat Cleri Camerarium die 5. Februarii 1682. interfuisse Audientiae a sa. mem Innoc. XI. publice datae Cardinali Urbis Vicario, ejus Vicesgerenti, & omnibus Parochis, in eaque decrevisse Summum Pontificem non satisfieri praecepto communionis Paschalis per communionem in Ecclesia Lateranensi, Vaticana, vel quacumque alia praeterquam propria Paroecia *non obstantibus consuetudinibus quibuscum-*

cinque etiam immemorabilibus. Laudat hoc Decretum *Bened. XIV. Instit. Eccl.* 18. §. 12., & in eadem Sententia sunt *Catalanus in Ritual. Roman. cap.* 3. §. 3. *n.*6. *tom.*1., & *Cavalier. in decret. Congregat. Rit. tom.* 4. *cap* 2. *decret.*8. *cap. in ord.* 18. *n.*4. *pag. mihi* 13.

Erit itaque Sapientiæ EE. VV. decernere.

I. *An standum sit Decreto Episcopi in Sacra Visitatione posito statuente, quod Matrimonia benedicantur a propriis Parochis, quorum est Matrimonio interesse; An vero consuetudini immemorabili de benedicendis Matrimoniis a solo Parocho Cathedralis.*

II. *An ut satisfiat Præcepto sumendi Eucharistiam tempore paschali, satis sit illam sumere in Cathedrali; An vero necessarium sit illam sumere in propria uniuscujusque Parochia, quacumque Consuetudine non obstante.*

CIVITATIS CASTELLI = Elegans est in Civitate Castelli, quam antiquum Tifernum fuisse credunt, Ecclesia Cathedralis S. Floridi, *opus Bramantis*. Quod a Sæculo non uno expectabatur, ut ædificii Nobilitati ornamenta accederent, vereque fieret pulchra, & decora Domus Altissimi, ex parte recentissimè factum est, Abside, altiorique Ecclesiæ Tholo egregie depictis. Restat nonnihil ad perfectionem adhuc faciundum, sive in Lacunari Navis ad venustatem redigendo, sive in lateralibus, & angularibus Tholi Fornicibus pingendis, aliisque Ecclesiæ partibus exornandis. Quod superest, æstimatur scutis tribus millibus. Capitulum non habens in ære, totidem censuali Fænore accipiendum, coactis Comitiis, deliberavit, precesque de more detulit suas ad hanc Sacram Congregationem. *Sess.* 10. *cap* 7. *& Sess.* 22. *cap.* 11. *de Reform.*

Ordinarius de his interrogatus plausit operi, suumque Suffragium adjunxit, & in posterioribus Litteris ad Emum Antecessorem datis scripsit = *Miglior provedimento non può suggerirsi, che quello di obligare il mio Capitolo, durante il prossimo Triennio, in cui deve annualmente*

sborsare sc. 100. per il finale pagamento dell'Altare di Marmo già fatto, a depositare ogni anno sc. 100. delli avanzi dell'Eredità Gabrielli, e sc. 30. dell'Eredità Lumachini, delli quali esso Capitolo è libero amministratore; Scorso poi questo Triennio aggiungere alli sc. 130. li altri sc. 100., e doppo il Triennio per l'estinzione del Censo depositare annualmente sc. 230. venendo così ad estinguersi totalmente il Censo in meno di quindici Anni = Relata itaque Postulatione inter summaria Precum, EE. VV. rescripserunt = *Scribatur Episcopo, qui transmittat tenorem Dispositionum Gabrielli, & Lumachini, Resolutionis Capitularis, consensus creditorum dimittendorum, obligationis suscipiendæ a pio Benefactore, & deinde ponatur in Folio* =

Ab Episcopi reddito Responso, quæ jussa fuerant, excepimus. Et in primis Resolutio Capitularis anno 1783. capta fuit in frequentia sexdecim vocalium, suffragantibus pro Resolutione quatuordecim Canonicis, binis tantum dissentientibus. Scilicet quod Census in sorte scutorum 3000. imponeretur erogandorum in operis Complementum; Illiusque extinctio ratatim fieret mediante annuo Deposito Redituum, qui oneribus satisfactis supersunt ex hæreditatibus Gabrielli, & Lumacchini; Veluti superioribus annis factum est, ad gravius redimendum æs alienum in scutis novem millibus, quod in eamdem Ecclesiæ Causam ex Auctoritate *Sacræ Congregationis Episcop., & Regul.* contractum fuerat. Maxime, cum in præsentiarum accedat de triennalibus usuris numerandis pii Benefactoris oblatio.

Ex testamentaria dispositione Jo. Baptistæ Gabrielli ejusdem Cathedralis Præpositi sub Annum 1728. edita constat, quod Sorore, ejusque Viro, & unico illorum Filio in Usufructu institutis, hæredem sibi universalem nuncupavit Sacrarium Ecclesiæ Cathedralis = *acciò possa provedersi delle Cose più necessarie per il suo decoroso mantenimento* = jusso tantum onere officiaturæ erigendæ pro Missæ quotidianæ Celebratione cum assignatione annuorum sc. 40.

Instituit quoque Maria Lumachini hæredem Universalem ejusdem Ecclesiæ Sacrarium, onere injuncto Annui solemnis Anniversarii, suæque hæreditatis ministratorem voluit Archidiaconum Fucci = *Con Facoltà durante la Vita naturale di detto Signor Arcidiacono, d'impiegare il restante del Frutto di detta sua Eredità, detratte le spese di detto Anniversario da farsi sempre con la sua assistenza, e non altrimenti, in beneficio della Sagrestia, e Chiesa*

Ca-

Catedrale, e Capitolo, e specialmente acciò fosse ben provista la Sagrestia Superiore de Paramenti, e Vasi Sagri per servizio de' Sacerdoti &c. Dopo la Morte di detto Signor Arcidiacono la totale Amministrazione volle, che spettasse, e appartenesse al Reverendissimo Capitolo di d. Catedrale indipendentemente da qualsivoglia persona con la medesima facoltà, come sopra, data al detto Sig. Arcidiacono =

Accedit obligatio in forma valida Secundi Pasqui pii benefactoris de Usuris censualibus ad Triennium solvendis, liberandoque Capitulo, & Ecclesia, ejusque Sacratio a Censuarii Creditoris Molestiis.

Quo vero ad Creditorum Consensum, cujus transmissio mandata fuerat, rescribit Episcopus, nullos hactenus Creditores adesse; quodque Artifices pro futuro Opere assumendi, sive dietim, sive menstruatim, sive Opere confecto dimittentur, veluti magis opportunum EE. VV. judicabunt.

Non bene rationes inire videtur Episcopus, dum intra quindecim fere annos censum extinctum iri pollicetur depositis quotannis sc.230. residuis hæreditatum Gabrielli, & Lumachini. Post exactum enim triennium de quo supra extrahendi erunt a dictis sc.230. annui fructus census, atque ita longe minor pro sortis redemptione quantitas supererit. Nihilominus huic incommodo ex parte occurri posset inserta in census instrumento pactione, cujus vi permittatur debitori Censum in ratis, scutis tercentum, aut quatuor centum non minoribus, redimere.

Ad Ecclesiarum Cathedralium reparationem Episcopos teneri, comunis DD. Sententia est, de qua *Barbos. in Cap. quicumque* 1. *de Eccles. ædific. num.*5. *Pirrhing. lib.*3. *decretal. tit.* 48. *num.*19. *Reinffenstuel. ibid. num.*28. Procedit tamen, si Episcopi reditus habeant, honestatem propriæ Exhibitionis excedentes; Nec Ecclesia fructibus ad Ædificii conservationem destinatis potiatur, nec particularis diversa obtineat Consuetudo; Sicuti præter Citatos docent *Loeurex dissert. Canon.*16. *num.*8., *& seqq. Lanfredin. respons.*32. *num.*13. *Klock de Contrib. cap.*10. *num.*24., *& seqq.*

Reditus Mensæ Episcopalis, tum Præbendarum Canonicalium exiguos esse, ipsemet Episcopus testatur in prima sua Informatione. Idcirco videndum restat, num ratio habenda sit de hæreditatibus Gabrielli, & Lumacchini, acsi Fabricæ addictæ sint; Numque illas Consuetudo qua tales habuerit.

Si rigorose expendantur verba Testatoris Gabrielli, ea directa sunt = *alla Sagrestia* , & *acciò possa provedersi delle cose necessarie* =: Hinc dubitari potest an hæc verba liceat ad Ecclesiam ipsam ampliare, & ad picturas aliosque ornatus lacunaris, & parietum. Benigniorem fortasse intellectum suadere posse videntur posteriora verba = *per il suo decoroso mantenimento* =.

Minus dubia ad rem præsentem videri posset Testatricis Lumacchini Dispositio, quæ suæ hæreditatis fructus voluit addictos = *in beneficio della Sagrestia* , *e Chiesa Catedrale*, *e Capitolo* =, & quamquam sub dictione = *e specialmente* = præferat Sacram Suppellectilem, genus tamen in primis expositum non aufert, nec delet.

Sed cum Episcopus referat, Sacram Congregationem Episc. & Regular. anno 1745. annuisse pro fructuum utriusque hæreditatis in eamdem Causam erogatione, ponderandum erit, num ab hujusmodi Judicio dubietas, si qua esse potuit, sublata sit.

Libellus Capituli per manus dabitur, singulisque libratis, partes erunt EE. VV. ut decernant.

An, & quomodo sit indulgendum Beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SPOLETANA. Temporaneas Missarum 706. reductiones pro medietate sæpè obtinuere ab hac Sacra Congregatione Capitulum, & Canonici S. Gregorii Magni Spoleti; Scilicet precibus pluries renovatis ab anno 1758. ad annum 1775. In hoc autem anno relata in Folio Caussa super reductione perpetua, propositum fuit in Congregatione diei 17. Junii Dubium = *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro reductione Missarum in casu &c.* = cui EE.PP. rescripserunt = *Pro prorogatione reductionis medietatis ad Triennium* =. Sed ea ad exitum vergente Prorogatione, noviter Canonici supplicarunt, eisque responsum fuit = *Pro prorogatione ad aliud Biennium ad formam præcedentis Indulti, & interim deveniatur ad firmationem status* =.

Mox, cum Ordinarius activi, & passivi Status Firmationem transmisisset, rogatus Emus D. Cardinalis Cornelius dicere, re perpensa, Sententiam, anceps fuit, abstinuitque a voti sui aperitione. Putavit enim, nec satis pro-

probatum; Fundationes ignorari, cum præsertim nonnullæ recentiores essent; Nec diligentias satis adhibitas fuisse ad ipsas Fundationes comperiendas, omissa edictorum affixione, quam esse necessariam, refert. *Benedictus XIV. de Synodo Diæces. lib. 13. cap. ultimo §. 35.*

Denique relata Caussa in Folio diei 15. Septembris 1781.; & proposita in posteriori Congregatione diei 24. sequioris Novembris, ulterior prorogatio data fuit ad aliud Triennium.

Requisitus iterum fuit Ordinarius super novis a Capitulo in anni superioris exitu oblatis precibus, nuperrimè rescripsit, confirmavitque in primis Fundationum ignorationes, oneraque Celebrationum a sola Tabella ullis sine necessariis specificationibus indigitari, quin tamen diligentias dixerit, quibus Capitulum usum est, & uti debuit, ut Fundationes resciret.

Deinde reductiones enumerans datas Capitulo, pluriesque prorogatas, Caussas quoque illarum recenset: Scilicet Præbendarum imminutiones a passis adversarum tempestatum, ac Terræmotus Calamitatibus profectas; Easque, prosequitur, modo defecisse, redactis in Culturam Prædiis, sartis urbanis, rusticisque Domibus.

Et concludit, quod sicuti iis non obstantibus, minimè sperandum superest, amplius evasurum fore prebendarum augumentum supra annua scuta undeviginti, quibus Canonici actu fruuntur; ita expenso gravamine Chori, Servitiique quotidiani, tum Missarum Conventualium, tum aliarum ex ignoratis Fundationibus, in votis se esse profitetur pro merita Missarum reductione.

Hinc Animadversionibus perpensis Emi Cornelii, ac Ordinarii postrema relatione, resumptisque Foliis supracitatis annorum 1775., & 1781., placeat EE. VV. decernere.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro reductione Missarum 706. in casu &c.

SENOGALLIEN. IRREGULARITATIS. Quamquam super precibus Sacerdotis Antonii de Grandis auditus fuisset Emus Episcopus, qui ejusdem favore Votum aperuit suum; Attamen Sacra hæc Congregatio proposito Dubio = *An sit concedenda Dispensatio* = rescripsit = *Negativè* = sub diem 12. Maii superioris anni 1781. Cum *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Cum denuo supplicasset Orator, iterum requisitus Emus Episcopus respondet = *Rescripto Sac. istius Congreg. sub datum 17. Junii 1781. ea, qua par est reverentia obtemperavit Sacerdos Antonius de Grandis, licet jam antea insons in hac Episcopali Curia declaratus ex eo, quod non inimico animo, sed potius imminentis Necis pavore ductum, Fratrem se perculisse, compertum fuerit. Humillimas nunc igitur, quas iteratas adnectit preces, pro summa EE.VV. Clementia recipi, & exaudiri censeo, cum sufficiens, quantum humana fragilitas nostra finit, constantis pænitentiæ specimen dedisse mihi videatur, nedum quia jam octavus labitur annus, ex quo a Sacro Ministerio arcetur, & prægrandi præmitur Inopia, sed etiam quia circa ejus mores, & disciplinam, nihil obstare posse deprehendi* =.

Accedit tum Parochi Testimonium de illius exemplari, optimaque vitæ ratione, tum Cancellarii Episcopalis Fides succincta Criminalis in Oratorem acti Processus, ex quo constare ait, Petrum illius fratrem ab annis plurimis furenti Insania laboravisse, & in multos, ac in ipsam matrem intulisse manus; Ipsumque Petrum Rixæ authorem fuisse, in qua vulnus in humero passus est, & occubuit; & denique Oratorem, tanquam non repertum culpabilem, absolvi promeruisse.

Alia habebunt EE. VV. a Libello, quem Sacerdotis Patronus distribuit. Resumpto idcirco Folio laudatæ Congregationis 12. Maii 1781., placeat respondere Dubio.

An sit concedenda Dispensatio in casu &c.

Sess.24.cap.14. & Sess.25. c.9. de Reform.

RAVENNATEN.. Cum in Villa Longastrini, quæ ad Valles Comaclenses prostat, vacasset Beneficium in S. Juliani Ecclesia ab anno 1644. erectum, binæ præsentationes continuò factæ sunt, binique præsentati fuerunt. Primi præsentarunt Clericum Augustinum Agnibene Patrueles Nicolaus, & Joseph Cozzari, quibus ex Fundatione Juspatronatus Beneficii est. Mox Joannem filium suum præsentavit Dominicus Mazzolini, in quem ante biennium præfati Patrueles Jus nominandi in prima vacatione ex stipulatu contulerant.

Sede Archiepiscopali vacante, lis orta est coram Vicario Capitulari inter Præsentatos, qui cum viderit a Juris nominandi cessione deficere Ordinarii Authoritatem, illam fuisse

fuisse nullam declaravit, decrevitque Clerico Agnibenio institutionem esse dandam.

Victus querelam Appellationis interposuit; Ea tamen pendente, utriusque Præsentati victoris, & victi Parentes in concordiam concessere, in qua Victi Pater Judicatum acceptavit, Paterque Victoris ab impensarum refectione victum absolvit, & ad non solutarum dimissionem sese obstrinxit.

In dubitationem postea ventum est, num Simoniæ Concordia hujusmodi posset accusari. Idcirco, cum nihil interea fuisset innovatum, ambo simul conjuncti, victor, victusque, re huic Sacræ Congregationi narrata, petiverunt initæ approbationem Concordiæ.

Vicarius Capitularis de more requisitus refert, Fundationem percurrisse, vereque constare de Patronatus ad patrueles Cozzarios pertinentia; & originalem Concordiæ Apocham remittens, suffragium suum votis Petentium adjungit.

Certi Juris est, quod sicuti Præsentato ad Beneficium non licet absque Simoniæ Crimine quidquam justo Contradictori præstare, ut a contradictione discedat; ita licet ex opposito, si cum injusto Contradictore res sit. *Cap. Matthæus* 23. *de Simon.*, *& Cap. Cum primum de pact.*, *Fagnan. in decret. lib.*6. *Cap. Nobis de Simon. num.*105., *ac Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib.*12. *cap.*6. §.9.

Ut propterea de Concordia, quæ in disputationem venit, decidatur, inquirendum videtur, num justa, aut secus fuerit contradictio Joannis Mazzolini a Dominico Patre præsentati. Hæc vero Inquisitio ab alio dependet examine, quod antecedentis loco est: num scilicet a præfatis patruelibus Cozzariis legitimè cessum fuisset Dominico Mazzolini Jus præsentandi pro una vice ad Beneficium. Nam si legitima, validaque cessio fuisset nihil erat, cur cedentes, Cessione non obstante, ad præsentandum admitterentur.

Compertissimum est, tunc legitimam, validamque Cessionem esse, sive Jurispatronatus, sive Juris præsentandi, etiam pro unica vice, cum Actui Solemnia accedunt, nempe Ordinarii approbatio, sive consensus: veluti post *Vivian. aliosque Rota Maceraten. impress. post Piton. de Contr. Patron. allegat.*40. *num.*40.

Non hæc tamen sine discrimine procedunt. Præmisso enim, Episcopi approbationem non requiri ad Donationis, seu Cessionis substantiam: Sed pro effectu transferendi Patronatus jus in Donatarium, & Cessionarium, itaut ea

fine approbatione in Donantis præjudicium Donàtio valere possit. *Rocca de Jurepatr. verbo Ipse, vel Is num.* 15. *Tondut. quæst. benefic. cap.* 43. *num.* 4, *& seqq. Saminiat. Controv.* 195. *num.* 6. *Rota Maceraten. post Piton. loco citato num.* 29. *Rota cor. Coccino decis.*453. *num.*6.

Aut Cessio est simplex sine Juramento, aut Juramento, pactoque de illam non revocando firmata: In primo casu revocari statim potest re integra antequam Ordinarius eam laudet, secus in casu posteriori, in quo Ordinarii consensus ex intervallo potest accedere. *Piton. loco citato num.* 11. 12., & 37. *ubi DD. Sententias, & Sacræ Rotæ Decisiones plena manu recenset*. Imo allegata *Decisio Rotæ Maceratensis post eumdem Piton. ut supra n.* 37., quæ rem egregiè expendit, observat, Donatarium bene præsentare sub spe futuri Consensus, qui etiam pendente inter præsentatos lite, supervenire poterit.

His stantibus, perpendere superesset, quæ fuerit Juris præsentandi Cessio, & quibus Clausulis, juramentoque vestita. Sed cum Cessionis tenor desit, fieri nequit regularum cum Facto collatio. Quia vero ab Vicarii Capitularis relatione scimus, cessionem fuisse confectam per stipulationem: si quid conjecturæ donandum sit, quæ ab ipsa stipulatione procedit, supponi fortè posset Juramentum adesse cum pacto de non revocando, quæ in Donationum, & Cessionum stipulationibus ex Notariorum Formulariis de more non omittuntur.

Hæc ex regulis juris, quibus in suo rigore acceptis simoniæ labe infecta videri posset concordia per quam temporale aliquod præstitum est justo legitimoque contradictori. Sed videndum an illæ ipsæ juris regulæ eum quoque justum contradictorem respiciant cum quo lis bona fide, & cum felici eventu acta est; cujus jura ab articulo, ac quidem non obvio, dependebant, & cum quo per solam redemptionem expensarum litis transactum est. Videndum an cum nihil sit post concordiam innovatum resque adhuc sit integra, indulgentiores esse oporteat, præsertim cum Vicarius Capitularis oret pro celeri definitione quæstionis jam ab anno cum dimidio pendentis, non sine gravi Parochialis Ecclesiæ damno, quæ altero Sacro diebus festis interim caret. Videndum denique an tales sint facti circumstantię, quæ saltem flectere S. C. possent ad consulendam SSmo concordiæ approbationem.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

An sit consulendum SSmo pro approbatione concordiæ in casu &c.

Dio

Die Sabbathi 28. Maij 1785. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda

SEX priores Caussæ superfuerunt non propositæ in proximè habita Congregatione, reliquæ noviter proponuntur.

TOLENTINA.

I. *An, & quomodo, & in qua summa debeantur fructus.* *Sess.22. cap. 6. de Reform.*
II. *An debeatur eleemosina pro onere trium Missarum pro qualibet hebdomada celebrandarum in casu &c.*

Ad primum = Affirmative juxta modum, nempe deberi annua scuta 14. ultra rubra quatuor frumenti, & scuta sex, solutis a Seminario utensilibus Missarum, Cathedratico, & Collectis.
Ad secundum = Negativè =

ILERDEN. Muneris mei in hac causa esse cênseo pro faciliori examine addere duas *Sac. Rotæ decisiones* editas *in Barchinonen. Jurium Parochialium super præcepto paschali sub diebus* 14. *Maii* 1779., & 24. *Januarii* 1780. *coram Emo D. Cardinali Riminaldo*, in quibus confirmatur Sententia præviis tribus decisionibus prolata a bo. mem. Ratta favore Cathedralis Ecclesiæ Barchinonensis. Quæstionis erat, num Cathedrali Ecclesiæ, cui consuetudo immemorialis certè favebat, jus esset cumulativum cum Parochis Civitatis, & Diœcesis, paschalem Communionem singulis Parœciarum tum Civitatis, tum Diœcesis parochianis administrandi. Hæserat in primis Sac. Rotæ Tribunal, deindeque *coram cl. mem. Cardinali Aldrovando, & coram fa. mem. Clemente XIII.* sub annis 1732., & 1735. semel, & iterum Parochi victores a *Sess.24.cap. 1. & 13. de Reform.*

lite discesserant. Sed post quadraginta annorum silentium, redintegrato certamine, Parochi olim victores succubuerunt, terque favit Victoria Ecclesiæ Cathedrali, ut ex *decisionibus dierum* 3, *Martii*, & 10. *Decembris* 1777. & 5. *Junii* 1778. *coram bo. mem. Ratta*, quas subsecuta est Sententia Rotalis, mox confirmata in *præfatis decisionibus cor. Emo Riminaldo*.

Num laudatæ decisiones ad præsentis resolutionem Causæ omninò conferant, maxima EE. VV. Jurisprudentia judicabit. Vicissim inopportunum non erit animadvertere quod in iisdem Decisionibus agnoscitur vim omnem consuetudinis immemorabilis a Tridentina Synodo abrogatam fuisse quoad celebrationem Matrimonii, adeoque illa coram proprio Parocho celebrari oportere non autem in Ecclesia Cathedrali, qualicumque observantia etiam immemorabili non obstante.

His præmissis, dubia sunt.

I. *An standum sit decreto Episcopi in Sacra Visitatione posito statuente, quod Matrimonia benedicantur a propriis Parochis, quorum est Matrimoniis interesse; An vero consuetudini immemorabili de benedicendis Matrimoniis a solo Parocho Cathedralis.*

II. *An ut satisfiat præcepto sumendi Eucharistiam tempore Paschali, satis sit illam sumere in Cathedrali; An vero necessarium sit illam sumere in propria uniuscujusque Parochia, quacumque consuetudine non obstante* =

Ad primum affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius.

Ad secundum scribatur Episcopo ad mentem.

Sess. 10. cap. 7. & Sess. 22. cap. 11. de Reform.

CIVITATIS CASTELLI.

An, & quomodo sit indulgendum beneplacitum apostolicum in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

SPO.

SPOLETANA. *Seff. 25. cap. de Reform.*

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro reductione Missarum 706. in casu &c.

SENOGALLIEN. IRREGULARITATIS. *Seff. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit concedenda dispensatio in casu &c.

RAVENNATEN. *Seff. 24. cap. 14. & Seff. 25. cap. 9. de Reform.*

An sit consulendum SSmo pro approbatione concordiæ in casu &c.

BURGI SANCTI SEPULCRI. Sacerdos Philippus Maggiorani Parochus S. Martini in Valle Astæ dum venationi non clamorosæ operam daret, lævam in irregulari Sclopi explosione sic læsit, ut deinde mortis vitandæ caussa brachii partem amputari necesse fuerit. Parochus ergo, brachio amisso, factum se esse irregularem agnoscens, libellum supplicem Sacræ huic Congregationi dedit, quo postulabat, ut infortunii sui, atque ipsius Ecclesiæ ratio haberetur. Sed super difficili postulatione primùm requisitus est Ordinarius de informatione, & voto. *Seff. 14. cap. 7. de reform.*

Misertus est quam maxime Ordinarius infortunii Oratoris, & dolens de extrema ejus paupertate, deque gravi ne-

cessitate Ecclesiæ, cum Magistrum Cœremoniarum consuluisset rescripsit = *Ne tamen afflicto afflictionem addamus, precibus ipsius ab EE. VV. indulgendum fore nedum censerem, verum etiam optarem. Ut autem Sacramentorum administrationi, & curæ animarum tutiori modo consulatur, iterata experimenta habui coram meo Cæremoniarum magistro, cujus Sententiam propria manu exaratam hic inclusam EE. VV. invenient, & cum quo sentio & ego, nihil dedecoris, vel injuriæ, posse oriri relate ad divinum cultum, & Sacrorum exercitium, si juxta methodum a Cæremoniarum Magistro designatam Orator optatum ferat.*

Magister Cæremoniarum singulos explicat modos, quibus Orator citra periculum, & commode satis ac reverenter Divina tractare possit. Nam manicam ab eo læva gestari vult, quæ farta sit, ut ita deficientis brachii speciem induat: tum laicum ei hominem adstare albatum, qui ministri Clerici vicem adimpleat: regulas inde enumerat, quas Orator sequatur pro abstersione Calicis, S. Hostiæ fractione, & deciduorum fragmentorum collectione: demum ubi Sacramentum populo distribuendum sit, mensam parvulam sub altari constitui, in qua ipse Sacram Pyxidem deponat, atque ex ea accedentibus Eucharistiam administret: ubi vero ad infirmos deferenda sit, capsulam concavam satis ei præsto esse, in qua Sacram Particulam ponat: de extrema unctione convenit, eam commode administrari posse, etiam dextera tantum manu. Sed earum cæremoniarum, quæ in Sacrosancto Missæ Sacrificio utraque manu implendæ sunt, nullum aliud esse consilium, nisi dispensationem petere a S. Rituum Congregatione. Porro ipse fatetur, se pluries vidisse Oratorem sacras Res pertractantem modo ab eo explicato sine ulla vel indecentiæ, vel periculi nota.

Enim vero status Paræciæ maxime advertendus esse dicitur. Ejus enim reditus ita tenues sunt, ut Orator Cappellanum seu Vice-Parochum adjutorem advocare, atque alere non possit. Contra autem ea se abdicare non potest, tum ob summam paupertatem, qua premitur, tum ob non exiguos sumptus, quos tam Ecclesiæ, quam Paræciæ caussa jam fecit. Quare hoc audet petere, ut EE. VV. benigniori consilio ei succurrant ejusque preces audiant.

Neque vero desunt DD, qui pro testimonio referant, vidisse se Regularem, qui licet læva non uteretur, tamen dispensationem obtinuerat. *Henriquez lib.* 14. *c.* 8. *n.* 4. *tit.*

tit. 9. . Immo addit *Leander. Oper. Moral. p.* 5. *tract.* 2. *de irregularit. quæst.* 89. 90. justis de caussis dispensari posse, etiam cum eo, qui utroque brachio careat, si S. Hostiam alterius ope & frangat, & elevet, & sumat; cæterisque S. Officiis fungatur,

CæterumS. Congregatio in similibus casibus dispensationem constantissimè denegavit. Sic in *Augustana Irregularitatis* 19. *Decembris* 1772. *in Thes. resol. tom.* 41. *pag.* 225. cum ageretur de Parocho, qui levæ digitis amissis illos sibi quæsierat argenteos, affabre elaboratos, auroque perpolitos, & ab Episcopo consecratos, qui facile agerentur instar naturalis motus ope Spyrarum sub concavitate manus latentium. Neque tamen, aut ex honestate rei, aut ex testimonio Magistri Cæremoniarum, aut ex Paræciæ, & Oratoris paupertate adduci potuit, ut precibus annueret. Quod Judicium pari conditione sequuta est in *Abellinen. Irregularitatis* 7. *Jul.* 1770. *in Thesaur. resol. tom.* 39 *pag.* 187., *&* 197. in qua preces exponebantur Sacerdotis, qui ex Apopletico morbo impotens factus erat, ne Calicem sustineret, dum pro populo elevatur, aut verba Canonis recitantur *omnis honor*, *& gloria*: neve S. Hostiam supra Calicem frangere posset, ejusque particulam dividere, quæ inde in Calicem immittitur; licet etiam preces testimonio MagistriCæremoniarum munitæ essent, qui referebat, nihil periculi, aut indecentiæ in dispensatione subesse posse.

Vestræ vero nunc erunt partes EE. PP. perpensa etiam Paræciæ necessitate decernere.

An sit locus dispensationi in casu &c.

ROMANA REDUCTIONIS, SEU SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. Exposuerant Sodales Archiconfraternitatis SS. Sacramenti in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, ingens adeo esse Societatis præfatæ creditum in administratione legati pii Magdalenæ Bessoni pro sumptibus litium actarum ad hæreditarias Domunculas, quæ in *Burgo S. Angeli* sunt, obtinendas proque illarum reparationibus, ut nedum remotissima esset spes assequendæ ex pensionibus redintegrationis, sed & remotissimum missarum adimplementum, quas pia jussit testatrix in animæ suæ, aliorumque expiationem. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

næ

Alterutrum idcirco postularant, sive nimirum decernendam missarum suspensionem, donec Societas reintegretur, sive illarum ad annuas quinque tantum reductionem. Et hæc quoad prædictas domunculas, non comprehensa ampliore ad *Arcum Puritatis* sita Domo, quæ ab eodem etsi procedat legato, tamen distinctam in Codicibus Sodalitii Sedem Scripturæ habet, calculorumque rationem.

Post auditum Eminentissimi Ursini Votum, de quo fuerat rogatus, proposita est Caussa in Congregatione diei 21. Junij 1783. placuitque Eminentissimis Patribus rescribere = *dilata, & Eminentissimo Protectori juxta instructionem* =

Instructio quatuor capitibus circumscribebatur: & *primo*, quod ex codicibus colligeretur missarum numerus in legati caussam quotannis celebratarum, fructusque itidem ex legato hactenus percepti: *Secundo*, quod calculus sumptuum domuncularum, tum litium pro iisdem actarum: *Tertio, & quarto*, quod instrumentum cum R. Fabrica stipulatum, & legati status activus, passivusque ederentur.

Singulis accuratissimè fecit satis Eminentissimus Protector veluti EE. VV. habebunt ex Sodalitii summario, quod cum Libello circumfertur. Sed præterea Ratiocinatoris calculos dispunxit, correxit, & opportune separavit, distinguens amplioris domus statum a statu domuncularum, concluditque, Creditum Archiconfraternitatis, quoad domunculas esse in sc. 524. 35. ½ proindeque annuendum putat reductioni missarum ad annuas quinque. Quo vero ad ampliorem domum redigit creditum ad sc.291.85. subductis sc. 248. 91. ad domunculas pertinentibus, quæ ratiocinator per errorem junxerat, aucto credito ad scut. 540. 76. & in voto est = *nullum esse præfiniendum certum missarum numerum, sed statuendum, ut ex ejus reditibus, deductis necessariis impensis tot celebrentur missæ in ratione obulorum* 20. *vel saltem* 15. *pro unaquaque, quia manutentionis expensæ venit etiam consulendum* = veluti legere est in informatione, quæ circumfertur.

Quoad domunculas si partita scut 248. 91., quæ actas lites in Tribunali Rev. Fabricæ complectitur, ad examen revocetur, aliquam forte subire poterit imminutionem: Nam quoad scuta 33. 50. soluta Fabricæ pro compositione, & cessione cum Societas utramque sibi acquisiverit, jam sequi videtur eam summam in Caussam debiti non esse

Le-

Legato pio adscribendam. Quod ipsum procedit de impensis primae litis actae vigore cessionis contra Fumeos. Caeterum ampliores esse quidem impensae debuerunt posterioris litis contra eosdem Fumeos, quae ad plures Instantias traducta fuit, & semel, & iterum plenae Congregationis judicium subivit, donec possessionem domuncularum Societas denique ingressa est. Itaut si quoque hujusmodi creditum ex parte minuatur, attamen in longiora tempora societatis reintegratio traducenda videtur. E conspectu praesertim modici reditus, qui ducto calculo postremi decennii ad annum 1783. non excedit scuta 250. 92 ½ a quibus subducantur oportet annui Canones in libris sex cerae albę, ac impensae restaurationum, & litium.

Similiterque in errorem incidisse Ratiocinator videtur, quoad domum ampliorem. Cum enim ad illam instaurandam census in sorte scut.500.impositus fuisset anno 1760. super ipsa domo, & impensae ad scuta 594. 61 ½ conscendissent, debitor totius integrae summae legatum pium constituitur; Subduci enim debebant scuta 500. nempe sors dicti Census, quae haud recensetur a Ratiocinatore inter partitas introitum componentes, cum vicissim in exitu, & ad creditum societatis ponatur integra restaurationum impensa in scut.594. 61 ½, quae fere tota ex sorte d. Census confecta fuit.

Resumpto itaque Folio dictae Congregationis 21. Jun.1783. placeat EE. VV. statuere.

An sit locus reductioni, seu potius suspensioni Missarum in casu &c.

MACERATEN. MASSÆ COMUNIS. In Ecclesia Cathedrali quatuor numeranturMansionarii ex fundatione Bernardini Pellicani, qui oneri subsunt servitii choralis, cantus Missarum Conventualium, recitationis divinarum cum Canonicis horarum, celebrationisque nonnullarum Missarum. Singulis pius testator in suis anni 1601. Codicillis praebendas designavit distinctas: duobus nimirum primis duo praedia certis finibus circumscripta, aliisque duobus binas domos, ac praeterea scuta sexcenta cuilibet in tot censibus perpetuis. *Sess.22. cap.6. & Sess.25.cap. 8. de Reform.*

Exinde factum est ex longęvi temporis edacitate, quod majore censuum parte deperdita, vix rata scutorum circiter biscentum supersit. Hinc, binarum praebendarum redditibus admodum imminutis, consequens fuit ne-

negligentia in oneribus a testatore jussis cum Ecclesiae detrimento, quin punctaturis, aliisque remediis, attenta fructuum tenuitate occurri huic malo posset.

Eques Julius Pellicani, qui earumdem omnium patronatum obtinet; re perpensa, ac opportunitate capta vacationis unius Mansionariatus ex duobus integras adhuc servantibus praebendas, supplex huic Sacrae Congregationi fuit pro reductione quatuor praebendarum ad Massam comunem, opinatus, voluntati testatoris, servitioque Ecclesiae sic certius consultum iri.

Auditus Episcopus rem confirmat desuper expositam, jungitque literis suis, tum fundationem, tum aliorum trium Mansionariorum, & Capituli Cathedralis consensum plenis praestitum suffragiis. Et immo addit iis speculum redituum demonstrativum, ac peritorum judicio munitum, ex quo conjicitur, fructus omnes quatuor praebendarum actu constitui in annuis scutis 202. 72 $\frac{1}{2}$, quae in comunem Massam redacta congruum unicuique emolumentum praestabunt. Itaque nedum laudat, sed apprimè, & maxime pro reductione ad Massam comunem in voto est.

Sacra haec Congregatio grandi cum cautela in voluntatum commutationibus procedit, diligentissima custos moniti Tridentinae Synodi *in cap. 6. Sess.* 22. *de Reform.*. Et si justa, ac necessaria Caussa cogit, sequitur ejusdem Synodi dispositionem *in cap.* 8. *Sess.* 25. *de Reform.*, ut nimirum in opus voluntati testatoris magis proximum commutatio fiat; veluti saepissimè, & praesertim *in Catanien.* 5. *Aprilis* 1732., *& in alia Catanien.* 18. *Julii* 1733.

Observandum vero in re praesenti, quod etsi testator Pellicanus cuilibet suam destinaverit Mansionario praebendam; Mens tamen illius, quae in omnibus dispositionibus principem obtinet locum, potissimè conversa fuisse videtur in Ecclesiae majus servitium, ac in Dei cultum ampliorem. Quoties idcirco eo pergit praebendarum ad Massam comunem reductio, ut demum divino, Ecclesiaeque servitio satius consulatur, magis haec voluntatis declaratio, quam commutatio definitur *Rota decis.* 14. *tit.* 22. *de legat.*, *& fideicom. cor. Falconer.*

Concurrentibus propterea, & Patroni postulatione, & Mansionariorum, Capitulique consensibus, & Ordinarii suffragio, sapientiae EE. VV. erit decidere.

An sit annuendum reductioni praebendarum ad Massam comunem in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. *Junij* 1785. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda*

EXcepta prima, & poſtrema, ſeptem reliquæ ex anteactæ Congregationis Folio ſuperfuerunt, deque iis omnibus EE. VV. erit ſententiam ſapientiſſimè edicere.

CAMERINEN. PAROCHIALIS. Propoſito Dubio in Congregatione diei 16. Maii 1778. = *An Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S. Venantii teneatur nominare Vicarium Curatum S. Petri Terræ Belfortis* = reſcriptum fuit *Affirmativè juxta Votum Epiſcopi* =. *Seſs.* 21. *cap.* 4., *&* *Seſs.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

In Voto Epiſcopus fuerat, partem aliquam Parochiæ S. Euſtachii ejuſdem Terræ adiungendam meritò eſſe Parochiæ S. Petri, quatenus hæc ex Sacræ Congregationis judicio reintegranda fuiſſet, ne una parochianis affluat quam plurimis, & alia veluti eſuriat.

Duo abs præfata reſolutione ſibi onera imponi Capitulum S. Venantii intelligens, alterum ſcilicet nominandi Vicarium Curatum S. Petri Belfortis, & alterum novi populi ullo abſque emolumento aſſumendi, petiit, obtinuitque iterum audiri. Sed nec profuit in contradictorium viribus inſtauratis deſcendere; Namque in Congregatione diei 15. ſuperioris Januarii Emi Patres reſpondere = *in deciſis & amplius*, *& ad mentem*, *& mens eſt*, *quod Epiſcopus incumbat omnino diligenti executioni*, & *ſubinde referat eidem Sacræ Congregationi* =.

Rebus ſic ſe habentibus, Parochus S. Euſtachii, de cujus diſmembratione Paræciæ ſemel, & iterum deciſum fuerat, preces huic Sacræ Congregationi porrexit, ut nunquam, nec auditus nec vocatus, audiretur in re graviſſima, in qua quin de juribus interpellaretur ſuis, expoliari ſe ſentiit.

Præ boni, rectique ratione, & ex judicii ordine decebat audiri. Quia verum Cauſſa petit, ut animarum ſaluti quam citius conſulatur, idcirco ſine mora, & in hujuſce Folii capite deſcribitur, ut illam EE.VV. expeditiori reſolutione dignentur.

Fatetur S. Eustachii Parochus in porrectis precibus, dismembrationi coram Episcopo olim assentitum fuisse, cum in Caussæ primordiis fuerit requisitus, citò tamen pœnituisse, rebus satius elucubratis, pensatisque. Et præsertim, quod pensione defecta, qua tunc gravabatur, potis modo est alium sibi Cappellanum habere in Sacramentorum administratione adjutorem. Cum paratus propterea sit sumptu suo adesse populi spiritualibus necessitatibus, veluti Sacra Congregatio mandabit, inficiatur, dismembrationi esse locum.

Porrò, ait, Tridentina Synodus *Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* duos tantum casus proponit, iisque jubet providendum: Scilicet ubi *populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo*. Hic primus casus. Quæ autem illi providentia? Hæccine = *cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum* =.

Casus alter est distantiæ, & difficultatis accessus = *In iis vero, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt* = In hoc autem alio Casu Episcopos alloquens sic habet = *Novas Parochias, etiam invitis Rectoribus juxta formam Constitutionis Alexandri III., quæ incipit ad audientiam, constituere possint* =.

Aut ergo, prosequitur, dismembratio jubetur ob populi numerum, aut ob gravem itineris difficultatem. Si ex numero, Sancta Synodus provideri jussit cum aliorum adjunctione Sacerdotum, non cum Paræciæ dismembratione. Sin autem ex itinere difficili, tunc dismembrationem utique præcepit, sed cum novæ erectione Paræciæ. Nunquam vero mandavit populi partem ad aliam in eodem loco sitam Parochiam transferri, itaut maneat eadem semper distantia, eademque itineris difficultas.

Ad hæc Belfortis populus subsumit, nonne ipsemet est S. Eustachii Parochus, qui suum in manibus Episcopi Consensum præstitit, non oscitanter quidem, sed gravissimis caussis eidem expositis? Et ipse est, qui testimonium imo perhibuit = *essere riuscita, e tuttora riuscire di sommo pregiudizio a questo popolo la riferita di lei mancanza* [scilicet Paræciæ S. Petri) *e perciò sarebbe pur troppo necessario, che si continui ad aver sempre la medesima Cura. Poiche essendovi in questa Terra una sola Parochia con un Territorio di considerabile estenzione, e di non mediocre scabrosità, e di un numero di* 1300. *Anime in circa, la me-*

menoma parte delle quali risiede entro la nominata terra, non può un solo Curato supplire a tutte le particolari incombenze =.

Serò itaque pænituit, postquam Sacra Congregatio, suum ipsius Votum in Episcopi Voto amplexa, dismembrationem præcepit. Addit insuper, quam de dismembratione, magis propriè de Parochiarum divisione rem modo esse. Nam finibus Parochiarum nunquam præstitutis juxta Tridentinæ Synodi sanctionem *in Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* cuilibet Parocho suberant familiæ huc, & illuc per territorium dispersæ. Hinc factum est ex Vicariorum S. Petri negligentia, & ex dexteritate nimia Parochorum S. Eustachii, quod pertinentiis obliteratis, confusioneque inducta, Parochus S. Eustachii in partem suam familias ferè omnes adduxerit. Re verum sic stante, non esse procedendum cum dismembrationum rigore, sed cum regulis de comuni dividundo.

Quamvis S. Venantii Capitulum novam à me non obtinuerit audientiam, propatereaque audiri non deberet, attamen suum distribuens libellum, duo præsertim observanda iterum proponit. Et in primis, tres Vicommannorum familias ab unico Sancte Vicomanni descendentes parochiam S. Petri dudum deleruisse, parochia Sancti Eustachii in propriam adlecta. Non esse hinc amplius in illarum arbitrio positum, ad primam redire. Procedit enim discessus, reditusque facultas, ubi fines parochiarum distincti sunt, & ubi consequenter parochianus ab domicilio constituitur. Secus in re præsenti, in qua per familias nominatas, non per domos divisio manebat. Sin minus unicuique familiæ vagari absurdè licuisset, modo unum seligendo sibi parochum, modo alium, & iterum a posteriore discedere, & ad primum redire. Quæ si maneant, renunciandum esse, dudum defecisse S. Petri Paræciam, statim ac familiæ ad aliam transgredi paræciam S. Eustachii maluerunt.

Deinde, etsi familiis regredi licuisset, non tamen ex boni æquive ratione licere, ut novo aliarum animarum onere prægravetur parochus S. Petri, & quidem sine emolumento, cumque gratuita exoneratione Parochiæ S. Eustachii. Nullibi quippe in Tridentinæ Synodi sanctionibus habetur, unam pro alia parochiam esse prægravandam, sed provisum dumtaxat sive additamento alterius Sacerdotis, sive dismembratione in novam parochiam.

Sacra hæc Congregatio religiosissima Tridentinæ Synodi Custos nunquam probavit neglectam Parochiarum divi-

sionem enixè volitam in *Seff.* 24. *cap.* 13. *de reform.* In difmembrationibus verò pro casuum circumftantiis variè definivit; veluti legere eft in *Thefauro refol. tom.* 1. *pagin.* 328. 346., *&* 371. *tom.* 2. *pag.* 32. 56., & 315. *tom.* 5. *pag.* 299. 307. 317. 380. 398., & 413. *tom.* 7. *pag.* 185. *tom.* 9. *pag.* 9. *tom.* 10. *pag.* 83. *tom.* 33. *pag.* 83.

Placeat EE. VV. refumere folia diftributa pro Congregationibus dierum 13. Septembris 1778., & 16. Maii 1779. quæ sunt in *Thefauro refol. tom.* 46., *&* 47. ac poftremum folium pro Congregatione diei 15. fuperioris menfis Januarii, collatifque partium juribus definire.

An fit ftandum, vel recedendum a decifis, etiam quoad difmembrationem parœciæ S. Euftachii in cafu &c.

In decifis, & amplius, & præfigatur Epifcopo terminus fex menfium pro executione, & referat.

Seff. 10. *cap.* 7. *& Seff.* 22. *cap.* 11. *de Reform.*

CIVITATIS CASTELLI.

An, & quomodo fit indulgendum beneplacitum Apoftolicum in cafu &c.

Affirmativè juxta votum Epifcopi, & juxta mentem a D. Secretario explicandam.

Seff. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

SPOLETANA.

An, & quomodo fit confulendum Sanctiffimo pro reductione Miffarum 706. in cafu &c.

Affirmativè ad formam præcedentis indulti, & Epifcopus incumbat meliorationi bonorum, & perquifitioni inftrumentorum fundationum.

Seff. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

SENOGALLIEN. IRREGULARITATIS.

An fit concedenda difpenfatio in cafu &c.

Affirmativè facto verbo cum Sanctiffimo.

RA-

RAVENNATEN.

An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione concordiæ in casu &c.

Sess. 24. cap. 14. & Sess. 25. cap. 9. de Reform.

Ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

BURGI S. SEPULCHRI.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

Negativè.

ROMANA REDUCTIONIS, SEU SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM.

An sit locus reductioni, seu potius suspensioni Missarum in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de reform.

Affirmativè juxta votum Eminentissimi Protectoris, servata quoad Missas celebrandas ex reditibus Domus ad Arcum puritatis manuali, solutis utensilibus.

MACERATEN. MASSÆ COMMUNIS.

An sit annuendum reductioni præbendarum ad Massam Communem in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. & Sess. 25. cap. 8. de Reform.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. *cap.* 12. *de Reform.*

PISAUREN. DECIMARUM. Septem Cathedralis Ecclesiæ Pisauri ad annum 1589. Canonicos numerabat, cum S. M. Sixtus V. octavum adjecit, Parochialitate Ecclesiæ S. Leonardi suppressa, animarum Cura in ipsam Cathedralem, & Parochialem limitropham translata, reditibus, bonisque illius in novæ præbendæ dotem Massæ Capitulari applicatis, ipsoque Parocho in cœtum cooptato Canonicorum. Quia vero reditus omnes eidem Parocho Sixtus ad vitam reservarat, ideo illius in Canonicatu Successor, conciliata sub annum 1609. cum Capitulo concordia, cessit Massæ comuni bona nonnulla, decimis exceptis, sibique retentis.

Canonicatum hujusmodi obtinet Sacerdos Carolus Petrucci. Cum is viderit plures defecisse familias, quæ olim domos incolebant intra fines suppressæ Parochiæ sitas, illarumque hæredes, alibi in Civitate habitantes, decimarum sibi præstationem abnuere, censentes propriis Parochis deberi veluti personales, seu Sacramentales, licet ipse, prædiales esse, putet, supplicem huic Sacræ Congregationi libellum detulit, ut ex Sententia definiret, ad decimarum sui favore solutionem teneri, tum hæredes præfatos, tum & alios, qui alio migrarint, sive in posterum migrassent.

Provisionali decreto Eminentissimus Antecessor interinæ decimarum exactioni, depositoque opportunè prospexit. Votumque decessoris Ordinarii de more requisiti Oratoris postulationi latissimè favit.

Probavisse, Parochi confidunt, Decimam frumenti in Pisaurensi Civitate, & Agro præstari in ratione unius ex mensuris viginti: hoc tamen pacto, quod habitantes in Territorio, & in Parochia, cujus intra fines & prædia sita sunt, integram proprio Parocho decimam solvunt; Qui vero sive in Territorio, sive in Civitate Parochias incolunt diversas a Parochiis Prædiorum, dimidiam pendunt decimam Parochiæ habitationis, dimidiamque Parochiæ, cui Prædia subsunt; atque ita ex parte prædialis decima est, quæ perpetuo manet, & ex parte personalis, quæ personam toties sequitur, quoties ab una Parochia ad aliam divertat.

Et sic constare, *primò* ab antiquiore Episcopi informatione huic S. Congr. sub annum 1665. reddita: *Secundò* ab ejusdem S. Congreg. resolutione edita die 9. Septembris anno 1679. in Causa Pisauren. decimarum, in qua proposito dubio = *An regulares, & loca pia teneantur solvere de-*

ci-

cimam integram, *vel medietatem* = rescriptum fuit = *teneri pro medietate* = *Tertiò* a duabus Sententiis A. C., alia anni 1714., & alia anni 1782. *Quartò* ab plenissimo hujusce veritatis testimonio sub annum 1742. reddito, tum a Camerario Capituli Cathedralis, tum a tribus Civitatis Parochis, quibus recentiores alii testes accedunt: omnes seu antiquiores, seu recentiores de personalis decimae variabilitate ex parochia in parochiam fidem facientes.

Ex quibus consequitur, probationem consurgere tutissimam consuetudinis hujusce, quae in hac decimarum Materia maximè dominatur, tum nec injustam magis, nec repellendam certius esse posse Canonici Petrucci postulationem, quae eò pergit, ut vigentem tanta firmitate consuetudinem evertat, utque, juribus parochorum deletis, decimas sibi perpetuò aucupet non suas.

Nec rem mutare, seu volitum a Sixto viginti familiarum suppressae Parochiae S. Leonardi consensum, seu translatam illarum subjectionem in Cathedralem; seu plurimam canonicalis praebendae imminutionem, quae ab earumdem extinctione familiarum enascitur. Quid enim, ajunt, ad praesentis definitionem indaginis haec pertinent? Non equidem consensus, & translatio. Prout namque narratum Pontifici fuerat, majorem parochianorum partem translationi assentiri, utique praescribi decebat in literis Apostolicis, quod de hujusmodi Consensu coram Ordinario judice executore constaret. Non inde tamen sequitur, eas fuisse familias Cathedrali perpetuò addictas, etsì priori relicta, seu alienata Domo, ad aliam digredi parochiam fortè maluissent,

Nec pariter praebendae imminutio Canonicalis. Praeter quam quod enim expositam non nihil inficiantur imminutionem; ut ut ea sit, ex rei natura procedit: Scilicet ex natura decimae variabilis, quae incremento subest, & decremento; ita ut si fuerit hactenus imminuta, augeri etiam potuit, sive in posterum fortasse poterit.

Haec Parochi. Jura Canonici Petrucci, licet moniti, nondum accepimus.

In decimarum materia, si res inter Ecclesias praesertim sit, consuetudo principem tenet locum, eique obsequendum esse, certi juris est ex censura textus literalis *in cap.* 18. *cum sint*, *in cap* 20. *Ad apostolicae de Decimis* = *Quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur*, *tu eligas in hoc Casu*, *quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum* = & *in Cap.* 32. *In aliquibus eodem titulo*, ubi = *Illae quippe decimae necessariò soluendae sunt*, *quae debentur*

ex

ex lege divina, vel loci consuetudine approbata = S. Tom. 2. 2. quæst. 87. art. 2. Fagnan. in Decretal. lib. 3. cap. Cum contingat. de decim. num. 18.

Cum autem decimarum inter unam, aliamque Ecclesiam partitio, seu præstatio uni potius, quam alteri Ecclesiæ, sit præter, non contra jus, ideo nec immemorialis, nec centenaria necesse requiritur; Sed imo quadragenariam, atque etiam decennalem satis esse sæpè definivit *Rota decis.* 279. *num.* 2. *part.* 2. *rec. decis.* 82. *num.* 5. *cor. Clemente*, *& in Cracovien. Decimarnm* 29. *Novembris* 1752. §. 13. *cor. cl. mem. Card. Elephantutio*.

Propterea inquiratur opportet, num satis probata consuetudo sit; & quatenus de probatione dubitatio desit, inquirendum pariter est, num ex consuetudine fuerit inductum, quod decimæ natura sua prædiales, veluti ex frumentis præstandæ, evaserint pro medietate personales, seu Sacramentales favore Parochi habitationis, firma quoad aliam medietatem prædialitate favore Parochiæ, cujus intra fines prædia prostant. Si namque decimarum medietas effecta sit personalis, seu Sacramentalis, hoc quidem in casu variabilis evasit, ac transitoria de parochia in parochiam, eodem fermè modo, quo parochianorum emigratio ex una in aliam contingit. Ita Lucius 3. ad Archiepiscopum Strigoniensem *in Cap Ad apostolicæ* 20. *de decimis*, & tradunt *Piringh. in Jus Canon. titul.* 35. *de Decimis num.* 84. *tom.* 3. *Vanespen. Jur. Ecclesiast. part.* 2. *tit.* 33. *cap.* 3. *num.* 12. *Fagnan. in decretal. lib.* 3. *cap. Contingat de decim. num.* 53. *Rota decis.* 1291. *num.* 18. *cor. Lancetta*.

Lis acta est in hac Sacra Congregatione sub annum 1765. inter parochum S. Juliani districtus Pisauri; in cujus paræcia octennium Opitius Mazza transegerat, ibique obierat, & Parochum Cathedralis Ecclesiæ, cujus intra limites domum Urbanam retinens instructam, illamque sæpe repetens, Sacramenta in ipsa Cathedrali cum familia sua quotannis receperat, eique decimas Sacramentales præstiterat. Cum itaque in primo dubio disputaretur = *An Rectori Ecclesiæ parochialis Sancti Juliani Trivii antiqui sint restituendæ decimæ Sacramentales, de quibus agitur, & a quo tempore* = die 8. Junii dicti anni responsum fuit = *ad primum Negativè*, & *amplius* = prout videre est in *Thesauro resolut. tom.* 34. *pag.* 83., & 89.

Quibus ad examen revocatis, EE. VV. rogantur Sententiam dicere de dubio.

An, quomodo, & cui sint solvendæ decimæ in casu &c.

Die

Die Sabbathi 9. Julii 1785. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DUæ priores Causæ relatæ in Folio præteritæ Congregationis decisæ in ea non fuerunt, adeoque hodie ab EE. VV. definitionem expectant.

MACERATEN. MASSÆ COMMUNIS:
An sit annuendum reductioni præbendarum ad Massam communem in casu &c.

Sess. 22 [illegible] & Sess. [illegible] 8. de Ref[illegible]

Affirmative facto verbo cum Sanctissimo.

PISAUREN. DECIMARUM:
An, quomodo, & cui sint solvendæ decimæ in casu &c.

Sess. 25. cap. 12. de Reform.

Affirmativè juxta solitum, nempe ad normam informationis Episcopi anni 1675., & amplius.

ROMANA. Bellisarius Amidei testamento jussit institui Canonicatum in Ecclesia Collegiata Sancti Eustachii annui reditus scut. 120. *e quanto alle funzioni ed obblighi del Coro voglio che il medesimo Canonico ne sia esente, e soltanto possa obbligarsi ad inter-*

Sess. 21. cap. 3. de Reform. Sess. 22. cap. 3. de Reform. Sess. 24 cap. 12. de R[illegible]

venire nelle Solennità dell' Santissimo Natale, di Pasqua, e di S. Eustachio.

Nonnullæ controversiæ exortæ sunt inter Canonicum Fornice possessorem Canonicatus Amidei, & Capitulum, quarum definitionem ab hac S. Congregatione expectant. Commissæ fuerunt Eminentissimo Aquaviva Diacono, qui super omnibus sententiam suam aperiret.

Quoad primum ex infrascriptis Dubiis opinatus est de solo Paschate Resurrectionis testatoris verba accipienda esse; Et merito; nam in quibusvis dispositionibus sive per contractum sive per ultimam voluntatem verba accipere oportet secundum obviam, & communem quam habeant intelligentiam non vero juxta improprias quæ fortasse irrepserint significationes; potissimum si huic ipsi obviæ communique intelligentiæ ipsa adstipuletur disponentis voluntas. Quamvis autem nomine Paschatis per quamdam veluti impropriationem etiam Festa Pentecostes, & Natalis donentur, ut legere est *apud Hurtad. tract. de interdictis dist. 7. num.* 24.; tamen & communis repugnat loquendi usus, & voluntas resistit Testatoris a cujus mente adeo latior illa, & veluti abusiva significatio aliena fuit ut expresse addiderit Natalem Domini, non additurus porro aut superflue additurus si a propria legitimaque significatione deflectere voluisset.

Secundum quod attinet; Eminentissimus Aquaviva exemplo nixus quarumdam Cappellaniarum, quæ erectæ sunt in Liberiana Basilica a quondam Dominico Bonanni cum onere interessentiæ *nelli giorni solenni solamente, cioè di Natale, Pasqua, Ascensione, Corpus Domini, Pentecoste, e Madonna della Neve* uti referebant Cappellani possessores, & ex testamenti lectione cognovit, deferensque eorumdem Cappellanorum testimonio, se non interesse deponentium nisi ipso die solemni non tamen aut in Sabbato Sancto, aut diebus qui solemnitatem consequuntur, & solum in primis Vesperis *della Madonna della Neve*, hinc conclusit quod Canonicus Amidei *possa obligarsi ad intervenire in Coro i soli tre giorni dell' anno che sono di Natale, Pasqua di Resurrezzione, di S. Eustachio cominciando al più dai primi Vèsperi di tali Festività*. =

Verum quidquid sit de anted. exemplo, latum videtur intercedere discrimen inter præceptã interessentiam *nelli giorni solenni*, ut in casu Cappellaniarum Bonanni, & aliam vicissim volitam, ut in casu præsenti *nelle solennità*. Verius quippe videtur sub hac ultima nuncupatione nedum primos, sed & eos tres vel duos qui consequuntur dies contineri

tineri. *Avila part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 3.* ibi = *In explicando autem quid intelligatur nomine festi, est difficultas. Aliqui intelligunt primos dies Paschatum non reliquos; sed probabilius est intelligi etiam omnes dies Paschatum* = *Hurtad. tract. de interdict. diff. 7. num.* 24. ubi post relatos dissentientes Doctores ait = *Sotus vero, & Avila docent, & merito, comprehendi omnes dies festos. Et in primis in Paschate Resurrectionis, & Pentecostes id non potest negari quia omnes illi dies festivi tantum pertinent ad illa mysteria, & in eorum honorem observantur: In Paschate quoque Nativitatis negandum non est reliquos dies festivos post primum sive duos sive tres etiam pertinere ad festivitatem Nativitatis quamvis principalius ad alios Sanctos, & observari non tantum in eorum honorem, sed etiam in honorem Nativitatis saltem duos post primum, sicut fit in aliis Paschatibus.*

Pariter festivitatum exordia a primis Vesperis, & respective a Missa quæ canitur in Sabbato Sancto desumenda esse prosequitur idem *Hurtad. loc. cit.* ibi = *Incipiunt autem singuli dicti dies festivi a primis Vesperis quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem exceptis festivitatibus Resurrectionis, & Pentecostes quæ incipiunt a Missa Vigiliæ, quia in earum vigiliis Missa per anticipationem fit de ipsis festivitatibus; finiuntur autem festivitates singulorum dierum in Completorio inclusive* = *Diana Concil. tom. 5. tract. 4. num.* 3. ibi = *Notandum hæc festa accipienda esse a primis Vesperis juxta morem quo Ecclesia solet festivitates inchoare. Adde Festum Paschatis posse sumi a Sabbato a Gloria in Excelsis Sacri diei Sabbati, quia Ecclesia censetur tunc inchoare festum Resurrectionis, non tamen comprehenduntur octavæ.*

De tertio ita sentit Eminentissimus Diaconus: Detrahenda prius esse ab integro reditu Canonicatus sc. 60. pro onere Missæ perpetuæ, & tertiam partem reliquorum sc. 60. pro quotidianis distributionibus esse assignandam, quæ in eos dies distribui debeat quibus Canonicus Amidei interesse debet: & in hoc utramque partem convenire refert: Dissentiri autem quia Capitulum censet commodo Canonicorum cedere debere fallentias Canonici Amidei, & vicissim Canonicus Amidei Ecclesiæ fabbricæ applicandas esse censet, aut saltem ex æquo eumdem admitti debere ad fallentias suorum Canonicorum. Quod ultimum cum Capitulum onus subeat manutentionis Ecclesiæ placuit Eminentissimo Diacono, & concludit *su di che le parti non dissentono.*

Pro hac definienda quæstione præ oculis habendæ videntur

duæ Tridentinæ ſanctiones quarum alterá *Seſſ.* 21. *cap.*3. *de Reform.* jubetur ſegregatio tertiæ partis redituum Canonicatuum, dignitatum, perſonatuum &c. ejuſque inter præſentes diſtributio; Altera *Seſſ.* 22. *cap.* 3. eadem ſegregatio præcipitur proventuum, dignitatum, perſoſonatuum &c. ejuſque in caſu non ſervatæ intereſſentiæ applicatio fabbricæ Eccleſiæ, et, ſi illa non indigeat, in uſus pios ab Epiſcopo deſignandos. Contradictoriæ non ſunt dictæ duæ ſaluberrimæ ſanctiones, ut ſæpiſſime S. hæc Congregatio definivit teſte *Fagnan. in cap. quia nonnulli num.* 22., *& ſeqq. de Clericis non Reſid.* Ita enim habet *Bened. XIV. Inſt.* 108. *§.* 7. *num.* 41. ibi = *Sed repugnantia tollitur ſi diſcrimen ſtatuatur inter dignitates, quæ proventus ex menſa Capitulari percipiunt, & inter dignitates, quæ ſecretos ab ea proventus habent. Itaque illæ dividendæ ſunt inter præſentes, hæ vero fabbricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco aſſignandæ*.

Cum itaque Canonicus Amidei ſuos habeat reditus a menſa Capitulari diſtinctos res definienda videretur pro applicatione diſtributionum juxta cenſuram *Seſſ.* 22. *capitol.* 3.

Brevis eſt de quarto dubio contentio. Non enim impugnat Capitulum quod Canonicus Amidei poſſit aliis diebus præter eos qui ſunt a teſtatore deſignati intereſſe; Immo jugis hæc intereſſentia reſponderet Capituli votis. Negat Capitulum poſſe eum Choro, & Altari pro alio deſervire; uti enim refert Eminentiſſimus Diaconus, narravit ei Capitulum == *Che ſecondo l'uſo della ſua Chieſa li Canonici, e Beneficiati partiſcono il loro ordinario ſervizio in due ſettimane alternative una diceſi dell' Arciprete l'altra del Canonico Decano, e che li Canonici dell'una poſſono ſupplire le veci dei Canonici e beneficiati dell'altra e non altrimenti* =. Ex hac autem non contradicta diviſione colligit Eminentiſſimus Aquaviva non poſſe Canonicum Amidei Choro, & Altari deſervire pro alio = *Sinchè egli non ſi faccia aſcrivere in una delle mentovate due ſettimane dell'ordinato alternativo ſervizio della Chieſa* =

Quidquid itaque ſit an poſſit Canonicus Amidei experiri, & petere ut quoniam ipſe ſimpliciter, & abſolute receptus fuit in Canonicum alterutri hebdomadæ, cæterorum Canonicorum ad inſtar adſcribatur, antequam id obtinuerit pro alio deſervire non poterit contra morem invectæ alternativæ, cum hujuſmodi innoxiæ conſuetudines nihil illaudabile continentes ſint omnino ſervandæ, ut in propo-

ſito

fito statutorum Capituli methodum circa Ecclesiæ servitium præscribentium dixit *Rota in Majoricen. juris amovendi musicos* 4. *Februarii* 1729. §. *pro eo coram cl. me. Card. Millino*, *& in Osnaburgen. optionis* 13. *Jan.* 1730. §. *Nullum cor. eodem*.

De quinto dubio innuere videtur Emus Diaconus jus esse Canonico Amidei interveniendi Capitularibus Congr., dummodo *come egli stesso ammette non vi si debba trattare di amministrazione di beni rendite ed interessi alla massa del Capitolo appartenenti*. Addit tamen = *D'interesse per altro della massa Capitolare vuole ragionevolmente anche intendersi qualora debba risolversi cosi della elezzione conferma o rimozione de' Cantori e Ministri a quali da cotesta massa si paga il salario; come delle occorrenze della Chiesa alle quali suole supplirsi a spese della Massa medesima* = =

Justissima videtur exceptio Capitularium Congregationum quibus interesse Canonicus Amidei non potest, partim ab ipso admissa partim ab Eminentissimo Aquaviva accurate explicata. Iis autem sepositis semel ac Canonicus Amidei simpliciter, & absolute in Canonicorum numerum adlectus est & acceptatus, non videtur cur a cæteris Capitularibus Congregationibus excludi debeat ad quas eo ipso quod Canonicus est, accedere jure potest ut advertit *Fagnan. in c. cum M. Ferrariensis de Constit. n.* 25., *& seqq.*, *& in cap. dilectus il primo de præb.*, *& dignit. num.* 2..

Demum ad ultimi dubii definitionem præmittere necesse est quemdam Bandoni onus hæredibus suis imposuisse = *dover dare nel giorno di S. Eustachio una dote l'anno in perpetuo di sc.* 25. *moneta ad una povera Zitella da maritarsi, e da cavarsi a sorte tra dodici o quindeci oneste Zitelle concorrenti cioè sei da nominarsi dai sei Beneficiati della detta Chiesa (di S. Eustachio) e le altre da nominarsi dal Signor Arciprete, e da tutti gli altri Sig. Canonici pro tempore della detta Chiesa, e loro Coadiutori* =

Eminentissimus Diaconus excludendum censuit ab hoc jure nominandi Canonicum Fornice, & quemcumque illius Sucessorem, quia visum ei est testatorem ad solos Canonicos, & Beneficiatos antiquæ erectionis respexisse, idque ex ipso numero apparere puellarum nominandarum nempe *dodici*, *o quindici Zitelle*; tunc enim Canonici, & beneficiati erant in totum tresdecim, habendusque erat respectus ad verosimiles coadjutores pariter a testatore ad nominandum admissos; & concludit = *Rifletto an-*

ancora che siccome non potrebbe aver la nomina un nuovo Benefiziato qualora vi fosse oltre li sei ammessi e indicati da esso testatore, così non mi pare che possa averla un nuovo Canonico il quale si affaccia e sopraviene oltre il numero de Canonici Coadjutori, che il testatore stesso ebbe in vista nel tempo, nell'atto, ed all'effetto medesimo =

Considerandum nihilominus esset an legati substantia in eo posita sit ut singuli Canonici, & Beneficati puellam eis benevisam nominent, sortes deinde in plures nominatas conjiciantur, & illa in quam sortes ceciderint dotem sc. 25. obtineat. Quo præsupposito numerus ille *dodici o quindici Zitelle* uti et alter *sei Beneficiati* demonstrative potius quam taxative usurpatus videri potest. Axioma juris est in quacumque implexitate standum esse potius pro sensu demonstrativo quam taxativo ad regulam quam sæpe exornavit *Rota decis.* 320. *num.* 12. *part.* 10. *ac decis* 176. *num.* 5. *part.* 19. *tom.* 1. *Recen.*, & *coram Ludovis. decis.* 516. *num.* 8., quod ipsum, & nominandarum puellarum incertitudo suadet = *dodici, o quindici Zitelle* = & verisimilis testatoris voluntas, qui si coadjutores canonicos non exclusit, multo minus a jure nominandi Canonicos superadditos a pia fidelium largitate rejecisse censendus est.

Utramque partem Eminentissimus Aquaviva admonuit, ut quoniam S. huic Congregationi quæstionem detulerant in ea jura sua datis hinc inde allegationibus tuerentur. Verumunanimi consensione responderunt se non litis æstu sed solius indagandæ veritatis studio hasce quæstiones omnes proposuisse, quarum definitionem, qualiscumque ea futura sit, libentissime a sapientissimis PP. expectabunt. Infradicendis itaque Dubiis dignabuntur EE. VV. respondere.

I. *An Canonicus Amidei teneatur interesse choro etiam in solemnitatibus Epiphaniæ, & Pentecostes, vel potius in solis Solemnitatibus Sanctissimi Natalis, Paschatis Resurrectionis, & S. Eustachi in casu &c.*

II. *An sub nomine solemnitatum Sanctissimi Natalis, & Paschatis comprehendantur illi tres, & respective duo dies qui primum consequuntur, & interessentia incipere debeat a primis Vesperis solemnitatum in testamento præscriptarum, & in Sabbato Sancto, in casu &c.*

III. *An, & quomodo, & cujus favore mulctandus sit Canonicus Amidei si non intervenerit statis a testatore diebus, & quatenus favore Canonicorum præsentium, an vicissim etiam ejus favore cedere debeant fallentiæ aliorum Cano-*

nonicorum iis diebus quibus Canonicus Amidei interesse debet, in casu &c.

IV. *An Canonicus Amidei possit choro interesse aliis diebus præter eos qui a Testatore præcipiuntur, & altari inservire pro alio Canonico in casu &c.*

V. *An Canonicus Amidei possit interesse Congregationibus Capitularibus quando non agitur de administratione redituum Capituli aut de expensis ex eis faciendis, sed de Ecclesia, & cultu Divino in casu &c.*

VI. *An Canonicus Amidei jus habeat nominandi puellam uti alii Canonici pro consequutione subsidii dotalis sc.25. relicti ab Innocentio Bandoni in casu &c.*

Ad 1. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 2. affirmative ad primam partem quoad duos dies consequentes Festum Paschatis, quo vero ad dies consequentes Festum Natalis negative ad primam partem, & quoad secundam partem affirmativè.

Ad 3. Facta assignatione tertiæ partis juxta votum Eminentissimi Diaconi, fallentias esse erogandas juxta Decretum Sess. 22. cap. 3. arbitrio ejusdem Eminentissimi Diaconi.

Ad 4. Affirmative juxta votum Eminentissimi Diaconi.

Ad 5. Affirmative juxta votum Emi Diaconi.

Ad 6. Affirmative.

ALATRINA SERVITII CHORI. Quesitum fuit in hac Caussa = *An, & quomodo Capitulum cathedralis ecclesiæ Alatri inservire debeat, etiam tempore Adventus & Quadragesimæ, & in octava corporis Christi, aliisque octavis privilegiatis* = Eoque dato dubio in Comitiis diei 24. Aprilis superioris anni 1784. placuis Eminentissimis PP. respondere = *Affirmativè juxta decretum in Caussa Ferentina diei 3. Augusti 1782.* *Sess.24.cap.12. de Reform.*

Visa enim fuerat hæc Capituli Alatrini disputatio admodum accedere ferentinatis Capituli disputationi. Nam in utraque res erat de tempore, & modo servitii Choro præstan-

ſtandi; Et in utraque immemorialis allegabatur conſuetudo, ſimulque difficilis, & impervius hyemali præſertim tempore acceſſus.

Alatrinus Epiſcopus, qui Zelo permotus Domus Dei, cultuſque divini, quæſtionem in Capitulum moverat de accuratiore ſervitio quotidie, non alternis diebus præſtando in Adventu, & in octava Corporis Chriſti, atque etiam in Quadrageſimæ diebus ad Completorium, decretoque ſuo ſic exequi edixerat, noviter poſt cauſſæ propoſitionem alias ad hanc Sacram Congregationem litteras dedit, referens fortuito quædam ſciviſſe, quæ ante ignorabat, quæque in ſuæ exonerationem conſcientiæ ponderanda offerebat.

Monumenta hæc ſunt, quæ ſuis incluſit litteris. Et primo triumCanonicorum examen in SacraViſitatione an.1598. confectum, a quo emergit, ſervitium chori, quod antea nullum obſervabatur, indictum fuiſſe a Præſule de Graſſis Viſitatore Apoſtolico cum alternativa, feſtis diebus exceptis.

Secundò, decretum ab Epiſcopo interpoſitum anno 1709., Canonicis ſemel & iterum convocatis, ibique præſentibus, quod ita ſe habet = *quilibet Canonicus ad Chori ſervitium adſtrictum ſe] ſentiat quolibet die feſtivo de præcepto, nec non die anniverſaria conſecrationis Eccleſiæ, diebus feſtis Converſionis, & Commemorationis S. Pauli Apoſtoli titularis Eccleſiæ Cathedralis, diebus feſtis S. Xiſti Papæ primi, & Martyris protectoris, videlicet &c. nec non die ſexta Auguſti feſtum Transfigurationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, omnibus diebus Adventus, Quadrageſimæ, & Octavæ Corporis Chriſti juxta noviſſimum decretum Viſitationis Apoſtolicæ habitæ de anno* 1706., *reliquo tempore alternatis hebdomadibus inſerviat, ita tamen ut quilibet complere teneatur ſervitium novem menſium juxta diſpoſitionem Sac. Concilii Tridentini &c.*

Tertiò, decretum Epiſcopi Guerra in Sacra Viſitatione anni 1720., cujus tenor eſt = *Etsi Canonici fruantur alternativa, tamen ſervitium novem menſium præſtare debeant, ut alias nobis reſpondit Sac. Congregatio Concilii, & item bo. mem. Epiſcopus Fundanus, & Viſitator apoſtolicus declaravit, & ideo tempus Adventus Domini noſtri Jeſu Chuiſti, & totius octavæ Corporis Chriſti addidit quotidiani ſervitii ultra totam Quadrageſimam, ut compleretur d. ſervitium novem Menſium. Sed cum inoleverit abuſus, ut tempore Quadrageſimæ non interſint Canonici omnes ad Completorium, & Matutinum ſequentis diei, ſed*

ſex

sex tantum, qui de hebdomada dicuntur, & tempore Adventus, & Octavæ Corporis Christi ad Vesperas & Completarium, quarum omnium horarum si dematur servitium, nullus profectò implere potest tempus novem mensium, prout quilibet tenetur. Propterea declaravit, ipsos Canonicos teneri ad interessendum omnibus horis tam matutinis, quam vespertinis toto tempore Quadragesimæ, adventus, & octavæ Corporis Christi. Aliàs non interessentes punctari mandavit =

His adjungit duorum Canonicorum nuperas depositiones, qui capitulari in Archivo vidisse testantur, chartam pergamenam antiquam, in eaque conscriptum, Canonicos Cathedralis semper residere etiam per substitutum, monitosque de iis voluisse Concanonicos. Et illorum alter liberculos punctaturarum invenit, in quibus fallentiæ adventus, & Quadragesimæ adnotantur.

Hinc Episcopus, quæ dicta sunt conjungens iis, quæ in sua retulerat priore informatione, consequitur, non immemorialem consuetudinem a Canonicis posse allegari, sed corruptelam, & refractarium abusum. Cum liquidò constet, nec Episcoporum decretis, nec Sacræ Congregationis responsis parere voluisse,

Post hæc autem idem Episcopus sic concludit = *Unum tantum mihi cordi est, ut non dedignentur præ oculis habere, quæ aliàs enunciavi de Montis asperitate, in quo Cathedralis Ecclesia sita est: de perdifficili hyemali tempore ad eam accessu: de ventorum fragore, & sibilis, deque aeris rigore, quem præ omnibus ego ipse sentio, & tandem de tenui Canonicatuum valore, qui computatis oneribus varius est; aliqui enim vel non attingunt, vel non excedunt, vel parum superant annua centum scuta. Quæ quidem EE. VV. clementiam, æquitatem, commiserationem, & gratiam expustulare videntur* =

Resumpto itaque folio Congregationis diei 28. Aprilis anni Superioris, novo responso EE. VV. dignentur sequens dubium.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. Odoardus Cybo Patriarcha Constantinopolitanus testamento quod condidit 3. Januarii 1705. duas fundavit Cappellanias annui reditus sc. 50. pro unaquaque *lasciando per fondazione di dette Cappelle scudi tremila del censo che tengo col Signor Conte Camerata d'Ancona*. Nominationem Cappellanorum suis hæredibus reliquit per ea verba dispositionem claudentia *incaricando il mio Erede e Successori di sempre nominare li due Sacerdoti che attualmente abbiano la Confessione*. Onus vero Cappellanis indixit *di una Messa al giorno per l'Anima mia nell'Altare Privilegiato &c. di assistere alli divini Officii in Coro nelle Feste principali dell'anno, e particolarmente della detta Chiesa [di S. Pietro di Massa], di udire in essa le Confessioni ed uno di loro in quella della Madonna di Misericordia nelle Feste di maggior Concorso* =

Die 24. Octobris 1765. instante Serma Massæ Ducissa Episcopus Lunen. Sarzanen. de consensu Capituli alteram ex dd. Cappellaniis in Archidiaconatum ordinaria auctoritate erexit in Ecclesia S. Petri Massæ firmisque manentibus oneribus a testatore impositis edixit= *Choro interesse debebit diebus a pio Testatore præfinitis, atque etiam in Festo Purificationis B. M. V. ad candelarum Benedictionem, Processionem, & Missam; idem faciat die Dominico in Ramis Palmarum ac Feria quinta, sexta, & Sabbato Majoris Hebdomadæ: Solemnes Missas cum primis, & secundis Vesperis decantabit in die Nativitatis Domini, in Dominica Resurrectionis, & in Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, quando tamen Abbas &c. decantare non valet: Intersit Capitulis in quibus de rebus ad Ecclesiam spectantibus agendum sit sub eadem pœna cui subjacent Canonici* = Juspatronatus Sermæ Massæ Ducissæ reservavit, *seu* potius intactum reliquit. Dotem hujusce Archidiaconatus eamdem, quæ Cappellaniæ; esse dixit nempe sc. 80. Massensium per Ducalem Cameram præstandorum, quorum 60. pro celebratione Missarum, & assistentia Confessionibus essent, reliqua sc. 20. pro onere residentiæ, & assistendi Choro.

Idem ille Archidiaconus Allegretti qui antedictam erectionem meruit, supplicat hodie pro diurnorum Sacrorum reductione ad eum numerum, qui respondeat eleemosinæ duorum juliorum in eorum singula. Exponit reditum Archidiaconatus efferri ad sc. 48. monetæ Romanæ, quæ fere respondent sc. 50. in testamento enunciatis, & sc. 80. Massensibus in erectione Archidiaconatus expres-

fis;

ſis : ex his ſc. 36. pro diurni Sacri eleemoſina ; & onere aſſiſtendi Confeſſionario , & ſc. 12. pro ſervitio Chori , reſidentia , aliiſque ut ſupra . Aſſentitur Serma Maſſæ Duciſſa ; plaudit etiam Epiſcopus pro informatione , & voto de more auditus , qui manualem eleemoſinam a ſolidis decem ad duodecim nuper auctam in ſua Diæceſi refert .

Dignum animadverſione eſt, poſtulari reductionem Sacrorum in fundatione impoſitorum , quæ S. Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *de Reform. cap.* 5. intacta manere voluit , cujus rei rationes affert *Fagnan. cap. ex parte de Conſtit.* , & ex eo *Benedictus XIV. in ſuo opere de Synodo Diæceſana lib* 13. *cap. ult.* §. 18. , & 26. ubi etiam hujus Sac. Congregationis reſcriptum refert ſub diem 3. Martii 1597. datum Epiſcopo Ferrarienſi, & menſe Octobris dicti anni Archiepiſcopo Mediolanenſi, & 11. Maii 1630. datum Epiſcopo Burgi S. Donnini . Sed hæc Conciliaris ſanctio de ſolis loquitur beneficiis , & ſi ad quaſcumque pias diſpoſitiones extenderetur numquam aut rari admodum eſſent caſus in quibus de Sacrorum reductione agi poſſet .

Non minori ſedulitate inquirendum erit , an potiuſquam ſit locus reductioni Sacrorum ſint reformanda alia onera, & præſertim ea quæ ultra fundatoris præſcriptum ſuperaddita fuerunt . Regula hujus Sac. Congregationis in præſumpta teſtatorum voluntate ſundata, ea ſemper fuit , ut cætera alia pia opera reformarentur , antequam Sacrorum numerus diminueretur , ut teſtatur *Fagnan. in Cap. ex parte num.* 34. *in fine* ; & conſonum Epiſcopo Cremonenſi per litteras datum ab hac S. C. reſponſum anno 1586. affert *Bened. XIV. loc. citat.* §. 23. Utcumque autem manualis eleemoſina a ſolidis 10. ad 12. creverit, Archidiaconatus reditus , inſpecta diſpoſitione teſtamentaria , nedum pares diurnæ celebrationi ſunt , ſed neque probantur excedere juſtam mercedem pro ſuperaddito in eodem teſtamento onere excipiendi Confeſſiones , & aſſiſtendi Choro diebus Feſtis Solemnioribus , præſertim Eccleſiæ S. Petri .

Denique in erectione Archidiaconatus teſtatur Epiſcopus ſe ad eum actum proceſſiſſe = *Audito Capitulo , ejuſque habito conſenſu , atque etiam Cappellani , & poſſeſſoris recenſitæ Cappellaniæ*. Videri ergo poſſet ſepoſita etiam teſtamentaria diſpoſitione Patriarchæ Cybo, inſpectaque ſola Archidiaconatus erectione , quæſtionem agi de reductione Sacrorum per contractum acceptatorum , quibus

in terminis absoluta est, & inconcussa hujus S. C. Sententia, reductioni auscultandum non esse, solamque querelam læsionis acceptanti relinqui in distito separatoque examine expendendam *gloss. in C. Clericus victum distinct.* 91. *Monacell. tom*.4. *formul. legal. num.* 466., *Bened. XIV. loc. cit.* §.26.

Vicissim Archidiaconus Allegretti ejus quam postulat reductionis æquitatem ex eo conatur ostendere quod hæc commutatio potius quam reductio suffragiorum sit. Nam licet facta reductione ob superaddita Archidiaconatus onera minor erit Sacrorum numerus, alia tamen pio institutori accedunt Suffragia ex Missa conventuali, Officiis mortuorum, præcibusque quæ pro benefactoribus funduntur, ità ut commutationi huic voluntatis cum Ecclesiæ decore conjunctæ ipsa favere videatur testatoris voluntas *Lotter. de re benef. lib*.7. *quæst.* 43. *num.* 67. *De Luca de Miscell. disc*.33.*num*.18., *& de testamentis disc*.72. *num*.15., & 16.

Dignentur itaque EE. VV. respondere.

An, & quommodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative in omnibus.

S. ss. 22. cap. 6. de Reform.

ASTEN. Duarum Missarum singulis diebus celebratione Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Astensis præsertim obstringitur, unius scilicet in Aurora, & alterius in meridie. Utrumque onus propriam habet, distinctamque Caussam. Primum ab ejusdem Ecclesiæ Archidiacono Jacobo de Gentis proficiscitur. Cum ille nimirum parvam S. Joannis Ecclesiam in claustro sitam Cathedralis Ecclesiæ instaurasset, obtinuit a sa. mem. Xisto IV., quod duo simplicia beneficia aliàs sibi collata, alterum sub invocatione S. Redegundæ, & alterum Sancti Bartholomei, unirentur quotidianis distributionibus favore Capituli cum obligatione Missæ in Aurora, & in dicta parva Ecclesia quotidiè celebrandæ.

Secundam Missam voluit Canonicus Joannes Maria Guttuari, qui, legatis Capitulo scutis 1250. sub censuali fænore collocatis, mandavit ex fructibus scuta quinquaginta Sacerdoti quotannis tribui, qui Missam singulis diebus, & in Meridie celebraret; quodque reliqum ex fructibus supererat, destinavit annuis quatuor anniversariis.

Placuit capitulo a longo tempore per suos Beneficiatos, per-

perque Canonicos viciſſim facere ſatis utrique celebrationi, quam aliis delegare potuiſſet. Verum denique intellexerunt Canonici, & Beneficiati, incommodum ipſis quandoque hoc fieri matutinæ, meridianæque celebrationis onus; cum non infrequenter contingat, ſeu valetudiniscauſſa, ſeu a capitularibus obligationibus impediri, in quibus quidem circumſtantiis aut non inveniretur aut non ſine difficultate inveniretur Sacerdos, qui vellet ſupplere. Idcirco re maturè in Comitiis expenſa, ex omnium Sententia per humilem libellum hanc S. Congregationem Capitulares precati ſunt, ut Miſſarum onus utrumque, matutinum, & meridianum, gratioſe velit transferre nunc pro tunc cum vacaverint, in binas alias reſidentiales Cappellanias, ſcilicet Miſſam Auroræ in Cappellaniam SS. Petri, & Pauli, Miſſamque meridiei in Cappellaniam S. Ambroſii; Hoc tamen pacto, quod Capitulum quinque hebdomadalibus Miſſis gravetur, nempe duabus pro Cappellania SS. Petri, & Pauli, ac tribus pro Cappellania S. Ambroſii, tum etiam obligatione utrique Cappellano præſtandi pro Miſſarum eleemoſina obolos duodecim, & dimidium juxta Miſſarum perpetuarum vigentem taxam.

Requiſitus Epiſcopus non diſſentitur. Refert autem, beneficium S. Redegundæ a Xiſto IV. unitum Maſſæ diſtributionum cum Miſſæ obligatione in Aurora ſufficere eleemoſinæ præſtationi ad taxam perpetuarum. Non ſic quoad legatum Gottuari. Deperdita enim rata Legati in ſcutis 250., annui fructus reliquæ ſortis non excedunt ſcuta 41., & obolos 97. ex quibus eſt ſatisfaciendum Miſſæ Meridianæ, & quatuor anniverſariis. Quo verò ad duas Cappellanias SS. Petri, & Pauli, ac S. Ambroſii, in quas onera utriuſque Miſſæ in Aurora, & in Meridie transferri Capitulum poſtulavit, admonet, primam in menſe ordinario vacaſſe.

Plures inſtantia Capituli petitiones, & commutationes faciendas complectitur. Prima eſt oneris Miſſæ in Aurora tranferendi in Cappellaniam SS. Petri, & Pauli. Secunda transferendi oneris Miſſæ Meridianæ a Legato Guttuari in Cappellaniam S. Ambroſii. Tertia, & quarta ſunt de oneribus aliis Miſſarum tum a Cappellania SS. Petri, & Pauli, tum a Cappellania S. Ambroſii in Capitulum viciſſim transferendis.

Concilium Tridentinum in *Seſſ.* 22. *cap.* 6 *de Reform.* ſic habet = *in Commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debent* = Quocirca

circa perquiratur necesse est, num justæ, & necessariæ caussæ sint, ex quibus translationes hujusmodi petuntur.

De beneficio S. Redegundæ, quod Xistus IV. Massæ distributionum univit, Episcopus ait, *nullam insufficientiæ, vel modi eleemosynam solvendi occurrere difficultatem*. De beneficio verum S. Bartholomei pariter unito nullum in sua relatione Sermonem instituit.

Potius de insufficientia legati Guttuari ad Missæ Meridianæ, & anniversariorum celebrationem testari videtur propter legati capitalis imminutionem.

Videndum propterea erit, num quoad Missam in Aurora sit translationi annuendum, etsi Capitulum adimplere per Canonicos, & Beneficiatos non compellatur, sed aliis Sacerdotibus possit Missæ celebrationem delegare.

Videndumque pariter quoad legatum Guttuarii, an sit locus translationi oneris Missæ Meridianæ. Dubium hinc proponitur.

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus sit annuendum in Casu &c.

Dilata, & ad Emum Gerdil pro voto auditis.

Sess. 24. cap. 4. & 5. de Refor.

SERVIEN. LEGATORUM. Moriens Franciscus Ranieri in usufructu uxorem, & in proprietate Venturam Antonium Ranieri fratrem patruelem instituit. Duobus uxorem annuis Legatis gravavit: Scilicet scutis 25. in beneficium Altaris SS. Rosarii erogandis, ac Missis biscentum quotannis in animæ suæ expiationem. Eadem quoque legata, sed in duplum aucta, hæredi proprietario post uxoris obitum indixit.

Num hæc perpetua sint, num temporanea, præsentis subiectum quæstionis est. Præstat testamenti verba referre. Scilicet hæc sunt = *item per ragione di Legato lascia, che dall'infrascritto suo Erede proprietario, seguita la Morte di essa sua Erede usufruttuaria, siano pagati annualmente scudi 50. al Massaro pro tempore del Ven. Altare della B. Vergine Maria del SSmo Rosario sudetto in due rate, come sopra: cioè a S. Michele, e per Pasqua di Resurrezzione da spendersi in beneficio di detto Altare a volontà di esso Massaro, e amministratori a maggior gloria di Dio, e di Maria Vergine SSma.*

Item

Item per ragione di Legato, e in suffragio dell' Anima di detto testatore lascia, e comanda, che dall' infrascritto suo erede universale, seguita la morte della sudetta sua erede usufruttuaria, siano fatte celebrare Messe da Requiem numero 400. in suffragio dell' anima di esso testatore annualmente =,

Finito usufructu, Ventura Antonius Ranieri cum in dubitationem venisset de utriusque legati post eum progressivitate, humiliter SSmo Domino Nostro Papæ supplicavit, ut rem delegaret Cerviensi Episcopo definiendam, Sed remissis huic Sacræ Congregationi precibus, auditus de more idem Episcopus fuit, qui rescribens professus est rem adeo sibi in ancipiti positam videri, quod transigendam esse libentius consuleret.

Legati perpetuitatem Sodales Rosarii tuentur, Nonne, inquiunt, Legatum natura sua perpetuum est? Nisi ab testatoris cognita voluntate argumenta dentur temporaneitatis. *Rota in Romana Legati super Capitalibus Venetiarum 20. Januarii 1758. §.9. cor. bon. mem. Canilliac*.

Adeo verum argumenta hujusmodi, quæ temporaneitatem præseferant, deesse, quod imo caussæ piæ favor duo præsertim efficiat: nimirum, ut in benigniorem, latioremque sensum accipienda verba sint: utque sub hæredis nomine nedum primus, sed hæredes quoque veniant ulteriores, nisi clara in oppositum testatoris voluntas elucescat. *Card. Petra ad Constit. 10. Innocentii 3. Sect.3. num.44.tom.2.pag. mihi 323. Amostat. de Caus. piis lib.1. cap.13. num.10., & 17. Rota in Romana Legatorum, & Eleemosynarum 5. Maii 1755. §.11. cor. clar. mem. Card. Caprara*.

Quæ utique retinenda securius esse, quia Caussæ piæ favore etiam misso, sententia *Ulpiani* fuit, quod = *hæredis appellatio non solum ad proximum hæredem, sed etiam ad ulteriores hæredes refertur. Nam & hæredis hæres, & deinceps, hæredis appellatione continetur* = sunt verba *Leg. 65.*, *& iterum Leg.170. ff. de verb. signif.* cui accessit Imperator *Justinianus in Leg. in annualibus legatis 22. ff. de annuis legat.*

Eo quoad primum legatum maximè attento, pium nempe testatorem jussisse, scuta quinquaginta quotannis numerari Massario Altaris Rosarii. Cum etenim Altari scriptum fuisse legatum, non Massario, certi juris sit, plane consequitur, perpetuum esse renunciandum, eodem fermè modo, quo Altare perpetuum est. Sic in proximis terminis decisit *Modestinus in Leg. Annuam pecu-*

niam

niam 6. ff. de annuis legat., & *Scævola in Leg. Annua 20. §. Attia ff. eod.* rationemque notat *Glossa in verb. in perpetuum*.

Nec renunciandum secus fore de secundo Missarum legato. Si namque animæ suæ favore testator Uxorem gravatam voluit annuis Missis ducentis: Si & Missis quadringentis fratrem patruelem primum hæredem: quisnam dicet, Uxore, & Fratre, & anima sua remotiores magis dilexisse hæredes, illosque absolvere ab onere maluisse, quod his, quos in primis honoraverat, imposuerat?

Non facessente, taxativè scriptum fuisse in utroque legato = *dall' infrascritto suo Erede* = Ea quippe dictio natura sua est relativa, & demonstrativa hæredis in testamento inferius nuncupandi. Et quamvis taxandi, coercendique sermonis vim quoque præstet, hæc tamen vis magis, quam necessaria, conjecturalis est, proindeque non operatur, si contrarium prævaleat voluntatis argumentum.

Hæc Rosarii Sodales. Nec Ventura Antonius quidquam hactenus protulit.

De hac perpetuitatis, sive temporaneitatis quæstione actum sæpè fuit in Sacra Congregatione.

In *Urbanien. Legati* 14. *Junii* 1704. testator scripserat = *Voluit, quod infrascripti hæredes teneantur celebrare facere Missam unam qualibet hebdomada. Amplius voluit, quod teneantur dd. hæredes quolibet anno in perpetuum celebrare facere in dicta Ecclesia festum S. Antonii cum duodecim Missis ad minus: quod si non fecerint, Rector Plebis facere teneatur, & postea gravare dd. Hæredes, & Successores* = proposito idcirco dubio = *an onus Missæ pro qualibet hebdomada injunctum in primo ex prædictis legatis sit perpetuum, vel potius expiraverit per obitum hæredum institutorm* = rescriptum fuit = *Affirmativè quoad primam partem, & negativè quoad secundam* = ut in *lib.* 54. *decret. pag.* 237.

In *Camerinen. Legatorum* 21. *Junii* 1721. Petrus Gentilis Berardi, Eufrasiam Uxorem instituens, sic legaverat = *ordina, e comanda, che l'infrascritta sua Erede sia tenuta, e obligata fare ogni anno l'officio nella festa di S. Pietro nella detta Chiesa, e Cappella con quel numero di Messe, che potrà avere in detto giorno di S. Pietro* = Deinde Eufrasia, instituto secundo Viro Carolo Piccinini, ita mandavit = *item lascia un' Officio l'anno di dieci Messe per l'anima sua, durante la vita del Sig. Carlo nella detta Chiesa di S. Francesco de Minori Conventuali. Item lascia un'Officio l'anno di dieci Messe per l'anima del Signor Pier Gentile*

tile Barardi da farsi nella sopradetta Chiesa di S.Francesco = Duobus ideo propositis dubiis : scilicet = I. *An legatum Petri Gentilis sit perpetuum* = II. *An Legatum Eufrasiæ sit perpetuum* = Sacra Congregatio respondit = *Ad primum negativè* = *Ad secundum Legatum pro anima Eufrasiæ esse temporale , & perpetuum pro anima Petri Gentilis* = Veluti *in Thes. Resol. tom.2. pag.*45. , & 47.

In *Civitatis Castellanæ* 28. *Augusti* 1723. Martha hæredibus legatum imposuit = *item jure legati &c. mandavit per infrascriptos ejus hæredes celebrari fieri quolibet anno in perpetuum Missas duodecim , nempe unam quolibet mense in Altari SSmi Salvatoris pro salute animæ suæ , & suorum prædecessorum* = quæsitum fuit de Legati temporaneitate ad vitam hæredum , seu perpetuitate , & Sacra Congregatio judicavit , fuisse perpetuum . Veluti in *Thes. resol. d. tom.*2. *pag.*361. , & 369.

In *Montis Falisci* 18. *Novembris* 1724. Dominicus Gentilis institutis filio , & Nepote , mandavit his verbis = *quod infrascripti ejus hæredes statim post obitum ipsius teneantur dispensare , & dare omnia ejus vestimenta pauperibus &c.*, & *similiter teneantur annuatim celebrari facere unum Anniversarium , & Missas annuales in dicta Ecclesia S. Petri &c.* = Cumque proposita fuissent quinque Dubia, quærebatur in primo = *An onus Anniversarii , & Missarum Annualium sit perpetuum , vel potius temporale ad vitam hæredum testamentariorum* = eidem rescriptum est = *ad primum negativè ad primam partem , & affirmativè ad secundam , & in reliquis satis provisum in primo* = habetur in *Thes. Resol. tom.*3. *pag.*98. , & 106.

Pro similium legatorum perpetuitate respondit in *Romana Legati* 10. *Januarii* 1733. , *in Ravennaten.* 14. *Novembris dicti Anni* , prout in *Thes. Resol. tom.* 6. *pag.* 5. , & 187. , & *in Cæsenaten. Onerum Missarum* 10. *Martii* 1738. *in Thes. Resol. tom.*8. *pag.*96. 97. , & 109.

Proponitur itaque Dubium .

An constet de perpetuitate , seu temporaneitate legatorum piorum , de quibus agitur , nempe ad vitam Venturæ Antonii Ranieri hæredis gravati in casu &c.

Non proposita cum sequentibus .

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

PLACENTINA MISSÆ CONVENTUALIS. Relatis in Folio Congregationis 18. Septembris 1779. precibus Canonicorum Collegiatæ S. Florentii Oppidi Florentiolæ, & Episcopi informatione, propositum fuit Dubium = *An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis* = quod in sequenti Congregatione diei 27. Novembris responsum excepit = *Affirmativè ad dies festos ad quinquennium, & ad mentem* = Mens autem ea fuit Episcopo significata, quod is videret, & referret, *an per suppressionem alicujus ex Canonicatibus primo vacaturi, & unione fructuum ipsius iis Canonicatibus, qui tenuiores sunt, augeri possint usque ad summam, & reditum, qui sufficiat, itaut amplius locus esse non possit petitæ absolutioni a debito celebrationis Missæ Capitularis pro Benefactoribus ad formam Constitutionis Benedictinæ = Cum semper oblatas =*.

Urgente quinquennii termino, iterum Canonici supplicarunt, exponentes, massæ Capitularis, & præbendarum angustias, prout erant, adhuc manere. Qua de re precibus Episcopo remissis pro Informatione, & Voto, & præsertim, ut referret juxta mentem Sacræ Congregationis, ab illius responso accepimus duos vacasse Canonicatus a die captæ resolutionis: alterum per obitum Francisci Moii ex recentioribus Canonicis, qui honorarii nuncupantur: & alterum, quem obtinebat Joannes Baptista Petrucci ex antiquioribus Canonicis, quos de Massa vocant. Primum Decessor Episcopus unioni faciendæ destinaverat, sed intercedentibus Regii Principis Officiis apud SSmum, collatum fuisse. Secundum vero idem decessor Episcopus contulit morato Sacerdoti, existimans, minus convenire, quod exiguus numerus sex antiquiorum Canonicorum imminueretur, qui portionem Collegiatæ illustriorem constituunt.

Observandum præterea proponit, Florentiolæ Oppidum pauperibus Sacerdotibus abundare, quibus, congruum ipsi videtur, potius consulere cum Ecclesiasticis reditibus licet exiguis, quam spem imminuere ex Canonicatuum unione. Suas propterea preces oratoribus Canonicis adjungit.

Resumpto Folio Congregationis 18. Septembris 1779., placeat respondere Dubio.

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

TU-

TUDERTINA. Cappellaniam Ecclesiasticam instituit anno 1733. Angelus Bonelli sub titulo SSmae Virginis de Monte Carmelo in Ecclesia Parochiali Castri Melezzoli Tudertinae Diaecefeos *con l'infrascritta riserva, cioè che mi riservo il gius nominandi &c. che il Cappellano pro tempore sia tenuto celebrare all'Altare della sudetta Cappella quattro Messe la settimana in perpetuo &c.*, *come anche celebrare tutti li giorni festivi dell' anno alla suddetta Cappella nelli quali possa prestare la sola presenza senza obbligo dell' applicazione, e mancando sia tenuto bonificare del proprio a favore di detta Cappella tante volte quante mancarà giulii tre moneta, e similmente sia tenuto ed obbligato assistere alle Confessioni del Popolo di Melezzole, quando sarà chiamato, ed anche sia tenuto ed obbligato alla residenza in detto Castello di Melezzole, e non altrimenti &c. perchè così &c.*

Sess.24. cap.13. de Reform. Sess. 22. decret. de observ., & evit. in celeb. Miss. Sess.25. cap. 5. de Reform.

In postrema vacatione Patroni praesentarunt Clericum Horatium Mancini, annos natum circiter vigintiquinque: At Ordinarius sese in contradictorem erexit, & eumdem minime esse instituendum arbitratus est, quia visum est ei dictam Cappellaniam qualitatem requirere actu Sacerdotalem; & quia etiamsi esset habitu Sacerdotalis, intra annum tamen ad Sacerdotium conscendere Orator non poterat, uti solummodo Tonsura initiatus.

Instante ergo Clerico Horatio Mancini proponitur infrascriptum Dubium.

Ut judicari tuto queat num Cappellania, vel Beneficium sit actu Sacerdotale, vel solum habitu prae oculis habenda est theorica, quam primus omnium invexit *Abb. in C. Cum in cunctis* §. *inferiora num.* 10. *de elect.*, nimirum quod vel qualitas Sacerdotalis adnectitur actui praesentationis, nominationis, collationis, & tunc cum qualitas adesse debeat secundum tempus verbi, & actus, cui adnectitur, hinc Cappellania vel Beneficium dicitur actu Sacerdotale; aut qualitas Sacerdotalis respicit, & adnectitur exequutioni, & prosequutioni obtentae nominationis, praesentationis, collationis, & tunc Cappellania, vel Beneficium censetur esse Sacerdotale habitu tantum. Regulam hanc amplexum deinde semper fuit S.Rotae Tribunal in multis Decisionibus quas refert *decis.216.num.1. part. 2. Recent.*, & S. haec Congregatio in bene multis resolutionibus quas recenset *Fagn. in Cap. Abbates de aetat.*, & *qualitat. num.44.*, *& pluribus sequentibus*.

Perspicuum autem videtur ex relatis testamenti verbis qualitatem Sacerdotalem in exercitio non autem in actu praesentationis a testatore requisitam fuisse, cum singula ver-

ba qualitatem Sacerdotalem requirentia longe distent ab actu nominationis, & adhæreant immo exercitio, & muneribus a Cappellano subeundis. Nec momentosa est lex excipiendi confessiones, & residendi in loco, quæ duo considerat, & amplectitur Episcopus pro inferenda qualitate actu Sacerdotali. Etenim utraque lex indicitur a jure nominatis, vel institutis ad Parœcias, & tamen nemo dixerit, eas esse actu Sacerdotales, itaut promoveri ad eas nequeant qui intra annum ad Sacerdotium ascendere possunt contra expressam censuram Textus *in C. Licet Canon*, & *cap. commissa de elect. in 6.*, & *in Clementina Ne in agro §. cæterum de Statu Monach.*

Quod vero addit Episcopus etiamsi Cappellania esset tantummodo Sacerdotalis habitu, illius tamen incapacem esse Oratorem Mancini utcumque in ætate 25. annorum constitutum, quia utpote sola tonsura initiatus ad Præsbyteratum ascendere intra annum non posset, id oppido alienum a veritate est. In promptu enim sunt dispensationes a Summo Pontifice impetrandæ, & quæ legitima concurrente causa nunquam denegantur. Clara est *censura cap. si is 2. de instit. in 6. Si is ad quem Rectoris præsentatio in aliqua Ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in Sacris præsentat ad eam &c. ipsum decernimus admittendum* = & ad eum textum ita adnotari monet *Ferraris verbo Cappellania num. 42. Vacante aliqua Ecclesia Parochiali Patronus illius Ecclesiæ præsentavit Titum Clericum in Minoribus Ordinibus Diœcesano &c. utrum propter istum defectum quia non est promotus ad Sacerdotium sit repellendus a beneficio?* Respondet *quod propter defectum Sacri Ordinis non est a Beneficio repellendus dummodo alias fuerit idoneus, & possit promoveri ad S. Ordines infra annum* = In quibus perspicue præsupponitur posse intra annum ad Sacerdotium promoveri, etiam eum qui Sacris Ordinibus nondum est initiatus.

Addit Orator Mancini qualitati habitu Sacerdotali duos adstipulari vacationum status quos non negat Episcopus, sed eos affirmat nullas exerere vires posse e conspectu claræ, ut ipse putat, disponentis voluntatis. Quin etiam advertit in duobus aliis Statibus actu Sacerdotes præsentatos fuisse; Verum incongruum non est, ut Cappellania habitu Sacerdotalis conferatur iis, qui prægnantiorem habent qualitatem actualis Sacerdotii.

Dubium est

An Cappellania de qua agitur sit Sacerdotalis actu, vel habitu, & ad effectum de quo agitur in casu &c.

Die

Die Sabbathi 30. Iulii 1785. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

HAbent EE.VV. in præſentis Folii capite tres cauſſas quæ indeciſæ ſuperfuerunt in ſuperiori proximaCongregatione. Sex reliquæ ex ordine ſubſequentes noviter proponuntur.

CERVIEN. LEGATORUM. *Seſſ.24. cap. 4. & 5. de Reform.*

An conſtet de perpetuitate, ſeu temporaneitate legatorum piorum, de quibus agitur, nempe ad vitam Venturæ Antonii Ranieri hæredis gravati in caſu &c.

Affirmativè ad primam partem, negative ad ſecundam.

PLACENTINA MISSÆ CONVENTUALIS. *Seſſ. 25. cap.4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni applicationis Miſſæ Conventualis in caſu &c.

Affirmativè ad dies feſtos de præcepto.

TU-

Seſſ.24.cap.13. de reform.
Seſſ.22. decret. de Obſerv. , & evit. in Celebr. Miſſ.
Seſſ.25. cap. 5. de reform.

TUDERTINA.

An Cappellania . de qua agitur , ſit Sacerdotalis actu , vel habitu , & ad effectum , de quo agitur in caſu &c.

Cappellaniam eſſe Sacerdotalem habitu , & inſtitutionem dandam eſſe Horatio .

Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.

CONSENTINA IRREGULARITATIS. Ab Eccleſia excedens Sacerdos Auguſtinus Frezza , in qua Sacrum expleverat,cum fratrem diffugientem vidiſſet, Nuntiatumque Juliani cultro illum inſequi diſtricto , commotus periculo , in aggreſſorem irruit , cultro ſpoliavit , ad necem percuſſit . De crimine in plurima hominum frequentia admiſſo , a Curia eccleſiaſtica inquiſitus ,quin latitaſſet , in carceribus ſe ultro conſtituit , delictum faſſus eſt , defenſionibus renunciavit , lubenſque acceptavit ſententiam , a qua exul eſſe ad vicennium juſſus fuerat .

Quadriennio nec exacto , hanc Sacram Congregationem adivit , demiſſèque precatus eſt pro diſpenſatione ab irregularitate ; ſed rejectus ex reſcripto diei 8. Maii ſuperioris anni 1784. = *Supplicet expleto exilii tempore* = novas obtulit preces die 3. Julii ſequentis , ſuper quibus de more interrogatus Archiepiſcopus Conſentinus retulit , vera eſſe , quæ ſuperius expoſita ſunt , & inſuper ſcribebat = *Conſtat igitur ,ſatisfactam jamdudum fuiſſe Partem , fiſcum vero in præſens ſatisfieri , & dictum Sacerdotem Frezza , tam antea ,quam poſtea perpatratum delictum bonis , caſtigatiſque moribus fuiſſe imbutum ; imo & ad præſens laudabiliter ſe gerit , ſemper tamen ſuum deplorando reatum ; eo magis quia exul a Patria vitam miſerrimè ducit . His accedunt calamitates Calabriæ , quæ depauperaverunt patrimonium ejuſdem, ex quo vitæ recipiebat ſubſidia* = & votum aperiens ſuum proſequitur = *Ne igitur cum dedecore characteris Sacerdotalis pro ſui ſubſtentatione panem mendicare videatur , celebratione miſſæ , utpote a Patria , & tota mea diœceſi longe diſtans , dignum reputo* = Ea tamen non obſtante informatione Eminentiſſimi Pa-

Patres die 11. Septembris anni ejusdem rescripserunt = *in decretis sub die* 8. *Maii currentis anni* =

Supplex iterum adest, & exhibet in forma probante Archiepiscopi decretum, quo ab ulterioris Exilii pæna absolutus fuit.

Neque per industriam, neque per insidias homicidium admissum fuisse, constat ab Archiepiscopi Informatione; ideoque in re præsenti non obtinere dispositionem canonicam in *Cap.* 1. *de homicid. volunt.* Videndum propterea, num casu acciderit, seu vim vi repellendo, quorum sermo est in *Clementina unica de homicidio*, & in *Trydentina Synodo cap.* 7. *sess.* 14. *de reform.*

Quamvis Sacerdos Orator ex inopinato in rixam, & Fratris periculum venerit, non tamen casuale fuisse vulnus videtur, quo Nunciatum læraliter percussit. Ille enim dicitur casus, qui ex opere præter operantis prævisionem & voluntatem procedit juxta definitionem *D. Thomæ* 2.2. *quæst.* 64. *art.* 8., & *plene Fagnan. in cap. ad Audientiam* 12. *de homicid. tom.* 5. *pag.* 131., & *seqq.*

Potius dici posset, prout naturali ex impulsu accurrisse, ut fratri in tanto vitæ discrimine opitularetur, ita vim vi repellendo, aggressorem percussisse. Sin vero potuit Fratris vitam licitè tueri, potuisse quoque videri posset, ejusdem Aggressoris vim, feriendo propulsare. Namque scimus, quemlibet de jure naturæ, seu de Jure gentium teneri ad necessariam Patriæ, & Parentum defensionem *L.* 1. *§. Jus gentium ff. de just.*, *& jur.*

Fagnanus, qui admodum laudatur a *Vanespenio in Jure Ecclesiastico par.* 2. *tit.* 10. *cap.* 7. negans cum opinione communi, licere Sacerdoti occidere, aut mutilare in Parentum, ac Propinquorum defensionem, sic ait in *Cap. petitio* 24. *de homicid. lib.* 5. *num.* 10. *pag.* 140. = *Quamobrem, ut concludamus, cum in proposito dubio duo quæruntur, videlicet, an Ecclesiastici possint arma capere pro defensione patriæ, & parentum, & an propterea incidant in Irregularitatem. Quoad primum videtur respondendum, Ecclesiasticis licere adesse, & hortari ad eum modum, quo S. Thomas declarat, sed non pugnare manu propria. Quo vero ad secundum, si aliquem percusserint, licet male fecerint percutiendo, si homicidii, aut mutilationis conscientia eos non remordeat, non incidunt in irregularitatem. Casus est ad litteram in hac decretali &c.* =

Ratio est, quia sicuti *Clemens V.* fuit primus, qui regulam generalem in certis nominatis casibus limitaverit; veluti observat *Thomassin. discipl. Eccles. part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.*

num. 10., quem refert, & sequitur *Vanespen. loco citato num.* 7., & 8, ita casibus iis sepositis, quos Clemens voluit exceptos, regula in reliquis manere firmiter debet, & obtinere. Quare concludit *Fagnanus loco pariter citato num.* 10 = *Cum enim regula sit, quod irregularis efficiatur, qui aliquem interficit, aut mutilat, nec ab hac regula reperiantur excepti, nisi casus furiosi, infantis, seu dormientis, & illius, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem, ut in dicta Clementina, stabimus regulæ quamdiu non probatur exceptio* = & hanc eamdem Sententiam late defendit ex DD. plena manu congestis *Pignatell. consult.* 20. *n.* 5. *tom.* 7.

Etsi verum incursus in irregularitatem excusabilis non sit; hujusmodi tamen irregularitatem esse dispensabilem *Fagnanus* tenere videtur *loc. cit. num.* 15. ubi agens de necessitate patriæ defendendæ ab Infidelibus, & hæreticis tradit = *Ejusmodi enim irregularitas est dispensabilis ad instar illius, quæ contrahitur ex homicidio ob necessariam Parentum defensionem, ut in subjecta declaratione Sacræ Congreg. Concilii, videlicet an Concilium cap.* 7. *Sess* 24. *dum agit de repellendo vim vi a Persona propria, ut irregularitas sit dispensabilis, habeat etiam locum in Persona Patris, sacra Congregatio censuit habere locum. Nam permissio vim vi repellendi, & alium offendendi pro tutela sui Corporis juxta L., ut vim &c. habet locum etiam pro tutela Patris, vel Filii, Mariti, vel Uxoris &c.* = Quæ si procedant in Filio, Marito, & Uxore, cur non procedent in Fratribus, quos inter tantus charitatis ordo intercedit? *Rota in Rec. decis.* 388. *num.* 17. *part.* 5. *tom.* 1., & *decis.* 179. *num.* 6., & 7. *part.* 14. & de fratre accurrente ad rixam fratris tradit *Calderò decis. Cathalon.* 65. *n.* 67. 77. 79., *& seqq.*

Observandum est in re præsenti, oratorem lethali vulnere percussisse Nuntiatum, postquam illius cultrum occupaverat, eumque inermem constituerat, itaut potius, quam ad fratris, suique defensionem, ad vindictam vulnerasse dicendus sit. Ablato enim cultro, nullum amplius vitæ discrimen subibat, quo sine discrimine neque a Jure civili excusatur *Farinacc. in prax. quæst.* 125. *numer.* 353., & 388., & *Calderò dicta decis.* 65. *num.* 27. neque a jure canonico *in Clementina unica de homicid. Pignatell. consult.* 20. *num.* 6. *ad fin. tom.* 7. quia Pontifex se ipsum glossavit dicens = *de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat Aggressorem* =

Sacra Congregatio *in Taurinen. Irregularitatis* abnuit dispen-

pensare Diaconum, qui a clamoribus excitus Matris suæ, ac Sororis, & accurrens, Sclopum explosit in Patruum gladio districto obviam sibi venientem in *Thes. res. t.* 39. *pag.* 257., *& seqq.*

Advertendum tamen, quod ab Oratore inflictum fuit Adversario suo vulnus in ipso instanti, & in ipso iræ, & pugnæ calore. Cum namque *iracundia ab omni consilio, & mente deturbet, ut dum quis irascitur, insanire credatur. S. Hieronymus in Epistola ad Decentium*, hinc Orator quadam condignus excusatione videtur, ut dispensationem possit obtinere ab irregularitate, in quam dubio procul incidisse certum est ex *cap. Quia te* 38. *distint.* 50.

Quibus omnibus cum favorabili sui Episcopi Informatione pensatis, reliquum erit decernere.

An sit locus dispensationi in Casu &c.

Negativè, & expectet.

TERRACINEN. DISMEMBRATIONIS, ET ERECTIONIS PAROCHIÆ. Caussa isthæc, novis licet facti quibusdam circumstantiis vestita, suum ab anno 1739. repetit initium. Expositum tunc fuerat ab Curiæ Episcopalis promotore fiscali, unicum cathedralis Ecclesiæ parochum, qui, & choro addicitur, omnibus parochiæ oneribus vacare non posse; indeque, & scandala proficisci, & nonnullos sine parocho, ac sine sacramentis è vita discedere = *perchè la Città di Terracina fa presentemente* 2495 *anime, e per sei Mesi dell' anno vene sono* 400. *di più di forastieri* = Cum ergo postularetur in primis in Ecclesia S. Joannis parochialitatis reintegratio, ac in Caussæ deinde progressu reintegratio similiter alterius Ecclesiæ S. Mariæ in Posterula, tria hinc dubia proposita fuere; nimirum *I. An sit locus reintegrationi parochiæ* *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

chiæ in ecclesia S. Mariæ in Posterula , & quatenus negativè , *II. An sit locus erectioni novæ parochiæ in Ecclesia S. Joannis* . Et quatenus negativè , *III. an , & quomodo sit providendum in casu* = Sed bis resolutione dilata , tertiò scilicet die 6. Junii 1739. rescriptum est = *Ad I. , & II. Negative , ad III. pro deputatione alterius coadiutoris ab episcopo eligendi cum provisione sc. 20. de quibus agitur , & onere occurrendi indigentiis parochianorum* , & *signanter degentium extra Civitatem juxta modum ab episcopo præscribendum* = prout in *Thesaur. resol. anni* 1739. *t.* 9. *pag.* 51. 55. , & 65.

Post annos quatuor , & quadraginta Terracinensis Episcopus , cum ab populi plurimo incremento usque ad numerum 4000. , ex illa die confecto , intellexisset , nec Cathedralis parochum , nec binos Coadiutores suos , ad animarum necessitatibus occurrendum , esse satis , supplicem Sanctissimo Domino nostro PioSexto libellum obtulit , petens parochiæ illius dismembrationem , & alterius erectionem in Ecclesia S. Joannis , in Collegiatam Insignem a beneficentissimo in omnes Pontifice nuper erecta .

Cum vacaret per obitum Præpositura , quæ in Collegiata dignitas unica est , occasionem nactus , postulavit , Præpositum in novum parochum constitui cum assignatione partis populi , quam in precibus ostendit , cumque illius favore decimarum , & funeralium emolumentorum applicatione , jure Cathedrali reservato baptizandi , ac baptismorum oblationes percipiendi. Præterea septem conditiones a Pontifice probandas exhibuit , quarum sermo opportunus suo loco redibit .

Placuit Eminentissimo Cardinali Prodatario , cui preces hujusmodi remissæ fuerant, rem graviori indigentem examine, delegare huic Sacræ Congregationi , quæ die 27. Martii 1784. rescripsit = *eidem Episcopo pro informatione, & Voto audito utroque capitulo per Secreta suffragia , eisdemque præfixo termino ad deducendum jura sua in S. Congreg.* , & *referat de insufficientia remedii a S. Congr. per rescriptum diei* 6. *Junii* 1739.

Retulit Episcopus de indicto termino , adjunxitque litteris suis animadversionum folia , quæ ab utroque sibi Capitulo porrecta in rem fuerant . Et allegans ingentem populi accessionem , brevissimè se expedivit ab expetita ratione circa insufficientiam remedii a S. Congreg. dati

ex

ex antiquiori rescripto anni 1739. Denique primam libelli sui postulationem temperans, sic votum exposuit suum = *Arbitrarer, vel erigendam esse novam parochiam in Collegiata insigni Sancti Joannis, prout in meis precibus, & in præd. folio signato litt. D. vel assumendos in Ecclesia Cathedrali duos alios Vicecuratos, congruo tamen assignato stipendio solvendo per Capitulum, penes quod cura residet habitualis, & emolumenta funeralium, modo ex incremento populi multum adaucta, percipit, adempta tamen Vicecuratis ipsis obligatione ministrandi Missis, & divinis officiis, ne animarum cura eo tempore negligatur* =

Rebus ita constitutis, Terracinæ Comunitas & ipsa suum porrigens libellum, laudabat quidem novæ Parochiæ in Collegiata S. Joannis erectionem, sed modos non satis approbans pro Congruæ constitutione ab Episcopo delectos, scilicet de funerum, Matrimoniorum, & eleemosinarum colligendarum emolumentis applicandis, quæ a pauperibus retrahenda, sive nullius, sive minimæ æstimationis esse, ajebat; & signanter de decimis eidem assignandis, quas Cathedralis arbitrarias, & minusculas olim exigebat, nec ab annis plurimis modò exigit, opinata est, tutiorem offerre propositionem, de unione nimirum facienda redituum, quos obtinet B. Mariæ gratiarum Societas. Cum enim ii ad summam sc. 130. circiter pertingant, & onera ad scuta 40., jam in Parochi utilitatem reliqua cederent scuta 90.

Auditus iterum de his Episcopus, narravit, Societatis reditus non excedere scuta 119.; & onera constitui in scutis 65. ideoque superesse scuta 54.; Confratres vero dissentiri, è converso assentiri Collegiatæ Canonicos, dummodo sacræ non perturbentur functiones. Et conclusit = *Arbitrarer, ad rem facere, vel unionem præfatæ Ecclesiæ Gratiarum præpositturæ insignis Collegiatæ S. Joannis pro congrua parochiali, cum constructione tamen Oratorii impensis Communitatis propè dictam Ecclesiam pro peragendis piis operibus a confratribus Congregationis, adjuncto ipsis onere associandi SS. Sacramentum; vel assignationem erigendæ parochiæ bonorum stabilium annui reditus scutorum 54., quot supersunt eidem Congregationi* =

Post hæc EE. VV. exponere per summa capita conditiones alias non præteribo, quas Episcopus in novæ Parochiæ erectione statuendas in primo suo libello proponit, ad ordinem, quietemque utrumque inter Capitulum ser-

 van-

vandam. Causæ namque, & capiendæ resolutionis multum interest prænoscere, quæ supersint decidendæ quæstiones, quatenus de novæ Parochiæ in Collegiata S. Joannis erectione Eminentissimis Patribus placeat decernere. Septem sunt, veluti supra monebam, conditiones.

Et prima est quod per hujusmodi novam erectionem Paræciæ antiquiora anni 1701. concordata non lædantur inter Cathedralis Capitulum, & tunc Beneficiatos S. Joannis stipulata, neque additiones insertæ in nuperrima Collegiatæ erectione: Et excepto Præposito, qui a Choro Collegiatæ, & ab accessibus ad Cathedralem sit semper immunis, quoties paræciæ curis vacet, reliqui ejusdem Collegiatæ Canonici debeant ad Cathedralem de more statis diebus accedere, seclusa nocte SS. Natalis, seclusisque tribus postremis majoris hebdomadæ diebus.

Secunda, quod Præposito liceat intra paræciæ limites tantum Crucem Parochialem erigere in funeribus ducendis, & in processionibus, firmis tamen concordatis manentibus.

Tertia, quod Cathedralis possit in omnibus processionibus, etiam intra novæ paræciæ limites elevare Crucem; & Collegiatæ Capitulum intervenire teneatur sub una Cathedralis Cruce, indulta Præposito Stolæ deferendæ facultate.

Quarta, Funerum emolumenta ad solum Præpositum pertinere, & in iis taxam esse servandam, quæ in Cathedralis Constitutionibus statuitur. Sin autem invitetur Capitulum, salvo funere ut supra, Canonici cum Præposito emolumentorum participes sint, Cathedralis taxa servata.

Quinta, si ad funus in nova paræcia contingat accersiri Cathedralis Capitulum, Collegiata ad Cathedralem accedat, & inde sub unica majoris Ecclesiæ Cruce omnes procedant. Præpositus vero defuncti Parochus officium, & Missam canat, licet Cathedralis Capitulum intersit. Habeat emolumenta Capitulum ejusdem Cathedralis, prout in suis Constitutionibus num. 10. disponitur, & Capitulum Collegiatæ prout ibidem in §. præcedente.

Sexta, Societas SS. Sacramenti in Cathedrali erecta contribuat pro unica, & prima vice necessarias impensas pro Pyxide, Pluviali albo, humerali, umbella parva, & magna cum hastis, aliisque. Et interea in paræcia Socie-

cietas alia erigatur, quæ honorificæ SS. Viatici delationi ex eleemosinis infra parœciæ limites colligendis incumbat.

Septima, Novus Parochus festis diebus Missam applicet pro populo, & sumptibus suis libros habeat Parochiales. Simulque in recognitionis testimonium præstet Cathedrali libras ceræ sex in binos distributas cereos quotannis.

Quamvis agendum de his singulis fuisset suis sub congruis dubiis inter utrumque Capitulum, audita quoque Societate SS. Sacramenti, cui, quin excitetur, nonnulli sumptus imponuntur; Attamen quatuor dumtaxat compræhensa dubiis Caussa proponitur, partibus convenientibus, & ad propositionem festinantibus.

Ad I. Episcopus, qui solus libellum suum hactenus produxit, protestatur, veluti suis in informationibus, ad utrumque se esse paratum: sive ut nova parœcia in Collegiata S. Joannis erigatur; sive ut duo alii in Cathedrali suis sumptibus Præsbyteri Vicecurati addantur, qui Choro minimè addicti, parœciæ oneribus ad animarum salutem, & præsertim agri Terracinensis, toto animo, omnique studio operam navent.

Cæterum magis urget, quod nova parœcia in Collegiata S. Joannis constituatur, & illius Præpositus in Parochum renuncietur. Non enim, inquit, amplius dubitandum superest de populi nimio incremento post annum 1739. statim ac ea de re utrumque Capitulum, & ipsa Comunitas secum libentissimè conveniunt. Populus excrevit in Civitate, in pomæriis, in suburbio, in Agro; & animæ circiter quatuor mille modo numerantur, quadringentis non compræhensis alienigenis, qui venationi, & piscationi in hyeme ad Sylvas, & Maris oras incumbunt.

Præterea. Quantum a Civitate plurimi distent, a nonnullis testibus probatissimis narratur, qui de Cathedrali sic habent = *è distante dall'osteria, e torri verso il mare circa mezzo miglio, più e meno: Dall'osteria verso Roma, ed Eremi circa un quarto di miglio: dalla tenuta del Signor Baron Gavotti, dove per solito vi sono, e dimorano di continuo per la Coltura circa cento e più persone, tre miglia circa: Dalla Torre di Badino, e Fiumara, dove è solito, che vi dimorano, oltre i pescatori barche di passaggio ne tempi cattivi co loro Marinari circa due miglia: dalli Pantani Cedui, dove sogliono star sempre applicati*

cir-

circa 100. e più tagliatori nell'inverno, circa quattro, cinque, e più miglia: dalla Dogana di Montagna, dove l'inverno sogliono esservi da circa 50. pastori, due, e tre miglia circa: Dalla Dogana di Maremma, detta la Dogana piana, dove sogliono d'inverno, oltre li Cacciatori Norcini risedervi circa cento e più pastori, dieci miglia circa, più e meno =

Ergo cum ad impossibilitatem veluti phisicam redigatur, duos Cappellanos cum invalido Archipresbytero posse omnium adesse spiritualibus indigentiis Parochianorum, sive propter ingentem illorum numerum, sive propter distantiæ graviorem difficultatem; Necesse consequitur, tanto providendum esse Animarum periculo, facta populi dismembratione, novaque Paræcia constituta, sic litteralissimè mandante *Tridentina Synodo Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.*

Sin autem, Episcopus prosequitur, magis placeat, binos alios in Cathedrali constituere Cappellanos Curatos, non pauperem censum, sed congruum assignandum illis esse, ut alacri animo possint Paræciæ onera subire: itemque absolvendos eosdem esse a Choro, a Missarum celebratione, sive assistentia, & ab omni erga Capitulum servitio.

Ad II. Quæritur hic de Confinibus novæ Paræciæ statuendis, quatenus EE. VV. in sensum descendant decernendæ dismembrationis. Episcopus modum divisionis exposuit in supplici suo libello Summo Pontifici porrecto, qui per extensum circumfertur. Modus ille sibi de re sæpius, diligenterque cogitanti, visus est aptior, & æquior. Cum autem a contradictorum nemine hac ex parte reprehendatur, putat, præscriptam divisionem esse servandam.

Ad III. In themate semper novæ Paræciæ in Collegiata S. Joannis erigendæ, duplex ab Episcopo modus providendi oblatus fuit. Primus in dicto suo supplici libello: alter in sua super comunitatis precibus informatione. In primo reditum Præpositi, si futurus Parochus erit, calculat ad summam usque scutorum 138. 50. scilicet ipsius Præposituræ fructus in scut. 58. 50. deinde decimas in scut. 30. & funerum, aliorumque emolumenta in sc. 50. exceptis Baptismis. In secundo autem, quem putat expeditiorem, censuit Præposito applicanda tot societatis gratiarum bona stabilia annui reditus scut. 54., quot illius onera adamussim excedant. Sic enim cum incertis novo Parocho honestè satis, & congruè providebitur.

Re-

Reluctantia non obstante, sive societatis ad redituum intercisionem, & aliorum onerum erga Paraeciam assumendorum: sive comunitatis ad novum Societati Oratorium apud Parochialem Ecclesiam construendum. Non siquidem audienda Societas, quae cum ad pietatis operas sit instituta; nequit, a dedecore procul, abnuere contributum in tantum salutis Animarum opus, quod omnium religiosissimum est. Minusque comunitas. Nam si urget ipsamet novam Paraeciae erectionem, maximam illius praenoscens necessitatem: Sique populi sui tantam utilitatem accipiet, & sentiet, correlativum utique erit, & aequum, quod & incommodi patiatur aliquid. Nec levius pati decet Oratorii constructione; Cum fortasse posset ad graviora onera subeunda sive ipsa, sive populus suus compelli, caeteris deficientibus subsidiis, ex auctoritate *Concilii Tridentini in Sess.* 21 *cap.* 4. *de Reform.*

Ad IV. Episcopus hoc unum esse dignum observatione, existimat, decere scilicet, aliquam matrici Ecclesiae praerogativam servare, sive in perpetuum majoritatis suae monumentum, sive ut mitius, qua decet laedatur.

Cathedralis Capitulum non comparet, & Comunitas licet ab Episcopo excita ad jura sua deducenda, silet. Libellos Capituli Collegiatae, & Societatis B. Mariae Gratiarum nondum excepimus, Alia verò Societas SS. Sacramenti Cathedralis neque monita fuit.

Scitissima est dispositio Tridentinae Synodi *in Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.*, quae duos casus proponit, & utrique consulit. Ubi scilicet *populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere*, mandat, Sacerdotes alios pro necessitate adjungi. Ubi vero *locorum distantia, aut difficultas* intercedit, novas jubet erigi Parochias, *etiam invitis Rectoribus*.

Fortasse utraque Capitis pars videtur in rem praesentem concurrere; nimirum Populi numerus in Civitate, & Suburbio, ac distantia, & difficultas in agro Terracinensi. Videndum hinc erit, num si Parochianorum numero in Civitate, & Suburbio benè consulatur, aut ex novae Paraeciae in Collegiata erectione, aut ex duorum Cappellanorum additamento in Cathedrali, equè providebitur locorum distantiae, & difficultati.

Observandum quoad novae Paraeciae erectionem, Capitulum Collegiatae in foliis animadversionum huic Sacrae Congregationi datis inficiari, praepositurae reditus ad annua scuta 58. 50. conscendere. Incertos enim, inquit, esse, prout fructus praediorum incerti sunt, Praeterea im-

imminutos fuisse a quibusdam necessariis alienationibus, & imminui ab onere Missarum in scut.8. itaut renunciari vix possint in scut.30. 50.

Inficiatur quoque decimarum applicationem. Quia ab annis plurimis decimæ non solvuntur, & in antiquiore ætate nonnulli Parochianorum sive nihil præstabant, sive farinæ pusillum, sive ova, sive alia minuscula. Absurda vero res esset, quod Collegiatæ Parochiani ad decimas compellantur, a quibus Parochiani Cathedralis manent immunes.

Cum Parochiani, inquit, pauperes ut plurimum sint, quin ex funeribus emolumentum Præposito accedet, onus, & sumptus gratis seppelliendi frequentissimè excrescet. Sublatis autem funerum emolumentis, vix incerta ex matrimoniis supererunt, quæ exigua similiter sunt. Majora quidem esse, dicit, emolumenta baptismorum, in quibus Parentes ampliore largitate erga Parochum uti solent, sed hæc ab Episcopo reservari Cathedralis favore adversus decretum *Concil. Trident. in Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

Sic nisi quid minimum retrahi posse ab colligendis eleemosynis, quod in Civitate plurimi Collectores sint. Pauper ergo Præpositus erit, & pauperior, si debebit Cappellanum Curatum sibi habere adjutorem; itaut nec Parochiæ erit satis, nec sibi poterit decentem præstare exhibitionem, veluti dignitati suæ convenire videtur.

Plurima addit alia, tum de oneribus subeundis Olei, Cerarum, sacrarum Suppellectilium; tum de antiquæ transactionis pactis cum Cathedrali; tum de aliis nonnullis, quæ spectant conditiones in Libello Episcopi descriptas, quæque diffusa nimis oratione indigerent.

Videndum denique, an tot inter disputationum anfractus de Paræciæ in Collegiata erectione, expeditior sit aliorum duorum Cappellanorum deputatio, de qua in Episcopi voto; sive deceat, quod alia capiatur etiam temporanea provisio.

Dubia itaque proponuntur.

I. *An sit locus erectioni novæ Parochiæ in Ecclesia Collegiata S. Joannis, seu potius deputationi aliorum duorum Vice-Curatorum in Ecclesia Cathedrali ad effectum dumtaxat exercendi Curam Animarum, itaut sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 6. *Junii* 1739.

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & qui Confines sint assignandi novæ Parochiæ.*

III. *An, ex quibus reditibus, & in qua summa sit providendum.*

IV. *An*

IV. *An sit locus erectioni fontis Baptismalis in Ecclesia Collegiata S. Joannis in Caju &c.*

Affirmativè pro erectione novæ Pareciæ in loco designando, & quoad omnia ad Emum Carrara cum facultatibus S. Congregationis.

CAMENECEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Honuphrius Piasechi Sacerdos Camenecensis Diœcesis Ritus Græci uniti, dum Parochi Kuniszezovacensis munus agebat, uxoricidium intra Paræciæ septa a quodam Matthia Zingari perpetratum audivit. Ignorantia, an zelo, vel alia de causa motus in exemplarem de Reo vindictam, modo penitus insueto, & barbaro sumendam consensit. Cogitanti enim Dispositori (hoc nomen ut puto dignitatis criminum ultioni præpositæ) sepellire superstitem Virum cum cadavere uxoris in pluribus favit, & adhæsit. Ipse etenim Reum quærentes associavit; ipse illius adsportationi adstitit, ipse passus est, ut dum lugubri comitatu cadaver defunctæ Uxoris trahebatur, etiam Uxoricida fune in collum injecta ligatus traheretur; ipse, postquam Uxori parentatum est confessionem Uxoricidæ excepit, & ad mortem disposuit, a Parochianis de re hujusmodi rogatus non improbavit, Uxoricidam in tumulum descendere, & decumbere jussit super defunctæ Uxoris cadaver, terramque super corpus decumbentis projecit. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Hujusce criminis pervulgata fama, Parochus in judicium vocatus tamquam atrocissimi, & voluntarii homicidii particeps habitus est, ac proinde irregularis declaratus, beneficio privatus, & ad carceres formales per 18. menses subeundas, demum ad spirituales expiationes condemnatus fuit. Parochiani quoque ob generalem consensum præstitum ad peculiarem mulctam damnati fuere.

Facti hæc summa est, quæ a transmisso obscuro, intricatoque processus restrictu colligi potuit.

Sacerdos nunc temporis impositam jam eluisse pænam exponit, humiliterque dispensationem ab irregularitate a Sacra Congregatione postulat.

Episcopus exposita ab Oratore confirmat votumqpe suum pro dispensatione aperit in hæc verba = *Preces dicti Præsbyteri in adjacenti hic exaratas per omnia veritati esse consonas, eumdemque judicato pœnali, a quo, & Partis, & Fisci satisfactio dependebat, obedientissime paruisse, & pœnam reatus sui totaliter eluisse attestor, quem uti bonorum morum Sacerdotem misericordia, & gratia petita dignum esse opinor, quia ob omissum Beneficium, cujus fuit legitimus possessor, & inhabilitatem præfatam ad alia quæcumque obtinenda in miserabili statu permanet, ipsum ideo Clementiæ Sac. Congregationis submississime commendo.*

Notissimæ sunt canonicæ sanctiones a Sacrosancta Tridentina Synodo renovatæ, ut ii qui per insidias, aut per industriam, aut voluntate alterum occiderunt, ab Altare Domini arceantur, & omni beneficio officio ordine perpetuo carere jubeantur *Sess.* 14. *Cap.* 7. *de Reform.* In censuram porro hujusce Tridentinæ sanctionis non solum is incidit, qui solus voluntarium homicidium committit, sed qui vel factis, vel verbis in illud cooperatur, ut considerat *Fagnan. in Cap. de cætero de homicidio num.* 8, *& seqq.*, & prælverat *Alex. III. Oxoniensi Episcopo scribens, & relatus in cap. sicut dignum de homicidio* ubi per gradus distinguens reatum eorum, qui in nece Sancti Cantuariensis Archiepiscopi partem habuerunt, hæc habet = *qui potuit hominem liberare a morte, & non liberavit, eum occidit: Constat ab homicidii reatu immunes non esse qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.*

Dubitatum quidem olim fuit an Tridentinum Decretum, qua in parte voluntariis homicidiis spem aditumque claudit obtinendæ dispensationis, etiam promotos ad Sacros Ordines complecteretur. Eam in rem jussit Paulus V., ut coram se Congregatio haberetur, in qua sexdecim Cardinales interfuere. Non is fuit hujusce Congregationis scopus, ut quæreretur, posset ne Summus Pontifex cum promotis dispensare super irregularitate ex homicidio voluntario. De hoc ne dubitatum quidem, immo neque quod posset etiam cum non promotis dispensare pro suprema sua in Ecclesiam potestate. Hoc unum in disceptationem veniebat, an quando S. Pontifex cum promotis dispensat super hac irregularitate, Tridentinæ Legi derogare videatur. Paucis itaque dissentientibus fere com-

communi suffragio definitum est, Tridentinum in hac parte non comprehendere promotos, sensumque Congregationis die 2. Septembris 1613. Summus Pontifex approbavit, ut refert *Fagnan. in cap Henricus de Clerico pugnante in duello num.* 23., *& plurib. seqq.*

Huic nixa principio S. hæc Congregatio mitius semper cum promotis egit; sed nihilominus plura desideravit, ut dispensationi locum esse censeret. Consideravit enim quantum temporis a patrato homicidio excesserit, ut inde colligi possit, an illius memoria exciderit, nullumque scandalum, & nullus horror, ex quo vir homicidii particeps in Altari ministret, timeri valeat: Expendit etiam an ab eo tempore ab Altaris Ministerio sese abstinuerit; an pacem a defuncti parentibus obtinuerit, & cum Fisco concordaverit: An fuerit alias bonæ conditionis, & famæ: An post delictum semper laudabiliter, & caste vixerit; idque per Literas testimoniales sui Ordinarii ostendat; aliaque id genus plura. Sed ante omnia homicidii qualitatem præ oculis habet, sit ne adeo inhumanum, insuetum, tantaque cum atrocitate, & scandalo conjunctum, ut quodammodo cogatur Ecclesia, etiam cum promoto a sua severitate non discedere.

Porro quidquid sit de anteactis moribus Oratoris, cui vita opponitur rixarum, litium, & ebrietatis plena licet non satis probetur; quidquid de emendatione post patratum crimen, actaque post illud laudabili vitæ ratione, ut testatur Episcopus; quidquid de satisfactione partis, & Fisci, de qua pariter idem Episcopus; qualecumque demum sit ferendum judicium de tempore post patratum delictum elapso, quod vix duos excedit annos; Adeo nova & barbara est qualitas delicti, cujus Honuphrius Orator fuit particeps, tantaque cum crudelitate, omniumque offensione conjuncta, ut piaculum fere videri queat eum ad exercitium Sacerdotalis Ordinis redintegrare per dispensationem ab Irregularitate. *Fagnan. d cap. Henricus num.* 35., & in longe molliori casu edixit Sac. hæc Congreg *in Derthonen. Irregularitatis* 1764., *& in Aquinaten. Irregularitatis* 8. *Aprilis* 1775., *ac in Melevitana Dispensationis* 10. *Januarii* 1778., in qua illud gravius in homicidio a Sacerdote perpatrato concurrebat, quod foeminam baculo ad necem percussam, putabatur semivivam ex edito Domus in inferius atrium projecisse.

Totius rei gestæ serie perpensa dignabuntur EE. VV. definire.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab Irregularitate, in casu &c.

Negativè absque spe gratiæ.

Sess.25. cap.4. de Reform.

AMERINA TRANSLATIONIS MISSARUM. Fundavit anno 1673. bon. mem. Canonicus Studiosi in Ecclesia sub invocatione Bmæ Virginis posita apud Castrum Focii in Agro Amerino Cappellaniam cum onere quinque Sacrorum in singulas hebdomadas ad Altare SS. Theodori, & Viti celebrandorum. Ita enim habetur in ejus codicillis = *In mei &c. D. Studiosus &c. asserens se condidisse testamentum per acta mei, & inter cætera reliquisse Altari SS. Theodori, & Viti suis sumptibus constituto jure legati, & pro ipsius dote scut.* 830. *cum onere celebrandi Missas tres pro qualibet hebdomada, & volens d. dotem ampliare &c. ampliavit in scut.* 500., *quæ eidem Cappellæ reliquit cum onere celebrandi in eodem Altari alias duas Missas, & in primum Cappellanum nominavit D. Morettum, qui debeat officiare, & celebrare dictas Missas, & eo deficiente debeat imposterum nominare Illustrissimus & Reverendissimus Episcopus Amerinus.*

Anno circiter 1715. dicta Ecclesia cum reditibus omnibus data fuit Cisterciensibus reformatis Congregationis Sancti Bernardi. Possessores autem dictæ Cappellaniæ jugiter impleverunt, ut narratur, impositum ut supra Sacrorum onus, tam cum nondum Cisterciensibus data, quam cum iisdem tributa ut supra d. Ecclesia fuit per medium quoad hoc posterius tempus Cistercensium, soluta iisdem eleemosyna obulorum decem tantum. Nunc autem exponit hodiernus Cappellanus Sandri nolle amplius Cistercienses pro eleemosyna obulorum decem celebrare, petere immo ut ea augeatur, & præterea ut utensilia a Cappellano solvantur.

Instat ergo, ut quoniam suæ Cappellaniæ reditus ad scuta cir-

-circiter 48. efferuntur, uti Episcopus testatur, onera vero Sacrorum ad rationem Eleemosynæ obolorum 10. ascendunt ad scut. 26., quibus si addantur collectæ, & onera manutentionis, & dictum prætensum augumentum eleemosynæ, & solutio utensilium, aut nihil, aut fere nihil Cappellano superesset, instat inquam pro translatione Sacrorum ad Ecclesiam Cathedralem.

Anceps olim fuit S. hujus Congregationis judicium an pro Sacris in Ecclesiis Regularium celebrandis deputari possent Sacerdotes Sæculares. Placuit alias ab ipsis Regularibus esse celebranda, ut ex resolutione *diei* 16. *Novembris* 1657., quam refert *Nicol. lucubr. canon. lib.*3.*tit.*3. *de Regular. num.* 15. Postea visum est licere hæredi, aut alteri ad Sacrorum celebrationem obligato deputare quem vellet etiam Presbyterum Sæcularem, ut *in Maceraten.* 15. *Martii* 1692., & *in Romana* 1. *Decembris* 1708. *quas refert Monacell. Tom.* 4. *suppl. ad Tom.*2. *num.*192. Iterum reditum est ad priorem Sententiam *in Romana Eleemosynæ Missarum* 5. *Septembris* 1716., & *in Bituntina Missarum* 19. *Novembris* 1729., *& in Mediolanen. celebrationis Missarum* 12. *Maii* 1736. Demum arrisit æquissima distinctio, quod vel onus Sacrorum in ipsam Ecclesiam Regularem directum est, traditis ei, assignatisque fundis, & tunc videtur a Testatore habitus fuisse respectus non solum ad Sacrificii meritum in expiationem Animæ suæ, sed ad levamen quoque Regularium in loco degentium ab iisque proinde solis sacra celebranda esse; vel onus impositum est hæredi vel alteri, & hoc diffito in casu integrum esse, creditum fuit, obbligato ad celebrationem etiam Sacerdotes Sæculares deputare, ut *in Terracinen. celebrationis Missæ quotidianæ* 20. *Maii* 1752. *ad primum Dubium*.

Cum itaque ex relatis testamenti verbis appareat onus celebrationis Sacrorum impositum fuisse Cappellano, jam quæstio nulla esse potest, quin liceat Sacerdotem Sæcularem pro dicta celebratione deputare. Tanto autem securius quia in mente Testatoris nullus obversari poterat favor erga regulares, qui tunc in Ecclesia de qua supra, non existebant, & qui post quadraginta & amplius annos ad eam fuerunt traducti.

Posset ergo Carolus Sandri hodiernus Cappellaniæ possessor, & Romæ degens per Sacerdotes Sæculares sibi benevisos Sacra Cappellaniæ imposita in dd. Ecclesia, &

Al-

Altari celebrare. Sed hinc in promptu statim esset legitima translationis causa. Attenta enim loci qualitate per tria milliaria a Civitate dissiti, & in montis cacumine positi *non solum difficile* (inquit Episcopus) *Oratori redderetur Sacerdotes ad hoc paratos invenire, sed ad minus duplicandum erit stipendium*. Id quod ex præmissis late excederet Cappellaniæ reditus.

Regulares autem in loco degentes quatenus augumentum eleemosynæ petant, solutionemque utensilium rem postulare omnino indebitam existimat Episcopus. Proindeque factis negant in se onus celebrationis suscipere eidemque translationi aditum aperiunt, quemadmodum aperirent, si verbis reluctarentur uti censuit *Sac. Congregatio Episcoporum & Regularium*, & *Sac. hæc Congregatio in Resolutionibus quas refert Ferraris in verbo Missæ Sacrificium art. 4. num. 23.*

Rem porro immeritam postulare Cistercienses si petunt eleemosinæ augumentum solutionemque utensilium censet Episcopus ex iis quæ transcribuntur ab illius relatione=*Quidquid sit de stipendii auctione volita forsan à citatis Partibus, quæ, certe nescirem, quo jure vel titulo expeti vel desiderari possit, levi fundamento niti pariter existimo eorum alteram rationem suppellectilium rependendarum. Certum enim est ab anno* 1673. *quo initium duxit Cappellania usque ad eorum accessum per Ecclesiam ipsam contributa semper fuisse omnino ad sacrificium necessaria utpote quæ ab eleemosinis quotidianis & proventibus & capitalibus adeptis manutenenda intotum erat etiam ex dispositione Brevis Urbani VIII, dum orta fuerat controversia super administratione redituum ejusdem pii loci inter Communitates ac Episcopum cui a Pontifice commissa extitit = conversio, & applicatio* [sunt verba Brevis] *ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ, pro cultu divino, & Ecclesia manutenendis, ac pro aliis sibi necessariis & eidem Ecclesiæ utilibus fieri debeant = Ab hac mente Pontificis & ipsa operis pii natura non dissensisse morem usitatum reperio ex quadam informatione typis edita & per Episcopum anno* 1712. *ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium directa dum agebatur de Monasterii hujus erectione, ubi datis calculis de introitu, & exitu, adscribit postremam partitam hoc pacto conceptam = Spesa dell' olio per le lampadi, cera, vino, e suppellettili Sagre per la celebrazione delle messe* = Prosequitur narrando actum immissionis Cister-

ftercienfium ad poffeffionem capitalium Ecclefiæ, & affumptionis onerum in fua Cancellaria deeffe, & concludit quod hæc utenfilium poftulatio *duriffima plane effet eo fortius quia idem hujus Cappellaniæ fundator celebris fuit* [erga Ecclefiam de qua agitur) *largitor*.

Opinatur itaque translationi annuendum etiamfi PP. Ciftercienfes expreffe diffentiant; tanto autem libentius quia nullum exiguo populo Caftri Foccii irrogatur præjudicium, & quia in Cathedrali Ecclefia, ad quam poftulatur translatio, teftatoris cadaver fepultum eft. Modum hunc gratiæ apponendum credit Epifcopus = *Ne undequaque altare prælaudatum fuis fraudetur obfequiis opportunum crederem relinquere ei* [Oratori] *onus Miffæ unius quolibet menfe ac trium in fefto SS. Titularium non omiffa interim debita & decenti ejufdem Altaris confervatione fumptibus Cappellani* =

Judicabunt Eminentiffimi PP. an translatio, quæ jufta ex præmiffis videri poteft, quatenus Ciftercienfes augumentum ælemofinæ petant, æque jufta videatur, fi folam poftulent utenfilium folutionem.

Dubium eft =

An petentibus PP. Ciftercienfibus augumentum elæmofinæ & folutionem Sacrorum utenfilium fit annuandum translationi Miffarum ex quomodo in cafu &c.

Negativè.

ROMANA ALIMENTORUM. Eo devenit Julius de Roffi, ut ex miferabili bonorum cedendorum beneficio perfonæ fuæ confulere debuerit. Ut fubfidia vitæ fibi compararet, converfus eft ad Confraternitatem SS. Annuntiationis in Ecclefia B. Mariæ fupra Minervam. Habuit hæc confraternitas fub anterioris Sæculi initium a pio viro Paulo Paganini confpicuam fummam fcutor. 30. mil., ut ex fructibus dotes pauperibus puellis diftribueret, nominandis tamen pro medietate a loco pio, & pro medietate alia ab Nepte fua Magdalena Theodofii de Roffi uxore, & deinde a filiis, hæredibus, & fucceffforibus. *Seff.22. cap. 0. de Reform.*

Citò Familia de Roffi indiguit auxilio hujufce Relicti. Et fæpè obtinuerunt Oratoris proavus, & avus: pater, & patrui, eorumdemque fæminæ ferè omnes, ipfeque Orator pro filiabus fuis, five antiquitùs a fummorum Pontificum

ficum beneficentia, sive posteriùs ab hac Sacra Congregatione, semper tamen ea super fructuum medietate, in qua iisdem a Paganinio Jus nominandi puellas reservatum fuerat.

Hæc fructuum medietas sub annum 1781. ex prioribus favore fæminarum assignationibus ad scuta quatuor, & octoginta redacta fuerat, cumque his desuper duæ Julii filiæ alimenta postulassent, Sacra hæc Congregatio rescripsit die 12. Martii ejusdem anni = *Affirmativè juxta votum nempe ad rationem scutorum duorum cum dimidio mensualium pro qualibet a die vacati assignamenti* = veluti constat ex *Thesauro resol. tom.* 50. *pag.* 84., *&* 86.

Alimenta itaque Orator precatur sibi decerni in menstruis sc. 5. ex eodem medietatis residuo, ex quo illius binis filiabus alimenta decreta fuerunt. Idcirco plurimam, in qua cum aliis filiis suis versatur, paupertatem probat testium depositione, & imo parochi sui, qui de gravissima, & extrema ipsius indigentia fidem perhibet. Nec dubitandi locus superesse videtur, statim ac debuit ad bonorum cessionem descendere, ut a personalibus creditorum executionibus redimeretur.

De Jure hujusce familiæ de Rossi alimenta, dotesque consequendi, sæpè, lateque actum est in hac Sacra Congregatione. Quod habetur ex Foliis diei 10. Februarii, & 26. Martii 1748. *in Thesaur. resol. tom.* 17. *pag.* 19., & 30. diei 3. Augusti ejusdem Anni *in d. Tomo pag.* 65. diei 8. Augusti 1167. *tom.* 36. *pag.* 143., *&* 157. diei 12. Martii 1774. *tom.* 43. *pag.* 48., & 60. diei 19. Aprilis 1777. *tom.* 46. *pag.* 68. die 7. Augusti 1779. *tom.* 48. *pag.* 91., & diei 12. Maii 1781. *tom.* 50. *pag.* 84.

Cum tamen, alimentis subductis duarum filiarum in Narniæ Monasterio educationis causa degentium, quibus ex dicto rescripto diei 12. Maii 1781. scuta quinque in menses singulos fuerunt assignata, residuum in scutis 24. vix maneat; Orator supponit, summam scutorum 500. superfuisse ex acto multiplico pro Annæ alterius suæ filiæ dote, quæ ante annum 1781. Matrimonium inivit cum sola dote scutor. 700.

Ab sodalibus SS. Annuntiationis, licet monitis, nihil hactenus deducitur. Grave non sit EE VV. respondere infrascripto dubio.

An, & pro qua summa, & a quo tempore ex residualibus scutis 84. *monetæ provenien. ex fructibus medietatis pii relicti Paganini pertinen. ad Successores Magdalenæ Pagani-*

ganini de Rubeis ut locus præstationi alimentorum favore Julii patris Annæ, Mariæ, & Victoriæ de Rubeis in casu &c.

Non proposita cum sequenti;

CARPENCTORATEN. DISMEMBRATIONIS. In agro Venaysino, & Diœcesi Carpenctoratensi prostat oppidum Montilii, quod galli dicunt *Monteux*. Oppidum, inquam, cujus habitatores, territorio comprehenso, numerum bismille circiter sub sæculi hujus initium non excedebant. Cæpit inde populus in dies augeri; domus oppidanæ, olim incolis veluti viduæ, modo plenæ sunt. Et imo populi frequentia effecit, ut novæ in Pomæriis consurgere visa sint ædificia. Ditatum incolis territorium quoque est, & ea præsertim pars extrema, quæ a loci natura nuncupatur *les Palus*. Steriles illæ terræ, aquisque stantibus olim inundatæ, Heris ingratæ suis, nec ligoni, nec aratro suberant, calamorum vix feraces, herbarumque palustrium. Ars deinde potuit in iis, quod natura invidebat. Namque aquarum libertate ex ordine cohibita, scindi, serique patiuntur, uberes admodum factæ. Consequens hinc fuit, cæpisse agricolas ibidem habitare: jamque tercenti, & amplius sunt. Quibus si reliqui, & Territorii, & oppidi habitatores jungantur, omnium numerus est 3257. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

Oppidi consules ad SS. Pium Sextum Pontificem Maximum preces detulerunt suas, & hujusmodi narrato populi incremento, impares esse exponebant tot animarum saluti tres tantum Sacerdotes: scilicet Parochum, binosque illius coadiutores, qui soli sunt in peramplæ paræciæ administratione, quique in Ecclesia parochiali intra oppidum resident.

Sed misereri maximè opportere habitatorum regionis *les Palus*, quæ trans Torrentem *Sorquè* sita est, & duas circiter Leucas ab oppido, & paræcia distat. Longum iter, impervium, difficile, ac periculis plenum, præ-

ferti n in hyeme, dumque tenet glacies asperrima terras. Namque ii, si pueri, & adolescentes sint, in Fidei erudimentis non instruuntur: Si majores, & omni in ætate constituti, nec pastoris sui vocem, nec verbi Dei prædicationem audiunt, & in festis diebus Missæ Sacrificio sæpissimè nec adsunt, vetante duarum leucarum tum distantia, tum difficultate, frequentibusque Torrentis inundationibus; Sin autem auras vitæ agunt extremas, sine Sacramentis, & sine parocho moriuntur. Precabantur itaque mandari, quod a decimatoribus Monachis S. Benedicti Montis majoris presbyter alius in oppidi paræcia Parocho, & duobus coadiutoribus addatur, quodque nova Ecclesia ædificetur in regione *les Palus*, eique proprius pastor constituatur.

Huic Sacræ Congregationi delegatis precibus, auditi sunt Episcopus Carpentoratensis, & Archiepiscopus Avenionis.

Episcopus incrementum populi confirmans, laudat alterius præsbyteri deputationem in parochi adjutorium; Et quoad novæ Ecclesiæ, sive Succursalis, sive parochialis institutionem in contrada *les Palus*, scribit = *hæc opinor, necessaria est* = Advertit autem: Consules Montil i litem alias vigentem super quarti presbyteri additione sub annum 1696. cum decimatoribus transegisse, pluribus stipulatis pactionibus, quarum altera fuit, scilicet Liti a consulibus renunciandum esse, & decimatoribus licere, paræciæ servitium cum parocho, & duobus coadiutoribus præsbyteris, prout antea, prosequi.

Archiepiscopus in iis, quæ dicta sunt, cum Episcopo convenit, & veluti de quarto præsbytero opinatur, transactionem esse servandam, ita necessariam censet novæ parochialis, sive succursalis ecclesiæ erectionem, quam circa sic habet = *Constat in facto, quod locus dictus les Palus, alias neglectus quoad Culturam terreni, paucas haberet mansiones, & consequenter incolas, sed post cursum annorum viginti usque adhuc multæ domus fuerunt extructæ, quamplurimæ familiæ degentes, & numerus populi magis magisque auctus. Constat insuper, quod distantia d. loci les Palus ad Ecclesiam parochialem sit valde considerabilis. Etenim ex loco dicto de Pont des Vaches ad oppidum Monteux est di tre quarti di lega, distantia vero du Pont des vaches ad fines des Palus di cinque quarti di lega; ita ut videatur omnino circa medium loci les Palus prope domum Joannis Ludovici Danis necessariam esse erectio-*

ctionem novæ ecclesiæ pro populo , novam domum , & novam congruam favore præsbyteri , qui in adjutorium parochi , & populi a parochiali ecclesia distantis exerceat functiones parochiales in ecclesia succursali =

Et concludit = *Reliquum est aliquid dicere , cujus expensis fieri debeat Constructio ecclesiæ succursalis , novæ domus , & nova congrua præsbytero assignanda . Regulæ Juris in hac re decernunt, quod Priores decimatores , ex eo quod decimas exigunt , teneantur pro parte ad constructionem novæ Ecclesiæ , novæ domus , & ad solutionem totius congruæ , nec non dationis , & manutentionis omnium articulorum , qui necessarii sunt pro decenti servitio ecclesiæ , ita ut si reditus decimarum non sufficiat , tunc habitantes loci cogi possunt , uti singuli solvere summas deficientes . Verum hoc timendum non est , quia Priores annuatim recipiunt pro decimis summam librarum 1400. Et satis quoad hoc provisum videtur a Concil. Trident. sess. 21. cap. 7. de Reform.* =

Quinque infrascriptis dubiis caufa comprehenditur , quorum prima duo spectant quarti præsbyteri additionem in oppidi parochiali Ecclesia, reliqui ad Ecclesiam pertinent noviter erigendam in regione *les Palus* .

Ad I. Consules ajunt , plenissimè comprobasse tum populi incrementum in ipso Montilii oppido , tum in Territorio , seclusa quoque regione *les Palus* . Eamque nitide proficisci probationem ab testibus annosis, a juratis Parochi . & Coadiutorum depositionibus , a parochialibus Codicibus , ac denique ab Episcopi , & Archiepiscopi relationibus . Quid ni ! ipsummet parochum , suosque duos Coadjutores ingenuè fateri , satis eos non esse tanto incolarum numero , partim in oppido habitantium , partimque per agros peramplæ regionis huc , & illuc dispersorum . Cui quidem confessioni factum ipsius Episcopi consonat , qui tempus paschale ea de Caussa prorogare sæpè debuit . Nihil ergo post hæc exoptandum amplius superesse , ut , in rem præsentem venisse Casum , intelligatur , de quo *Tridentina Synodus decisit in Sess. 21. cap. 4. de Reform.* . Quod nimirum = *populus ita numerosus sit , ut unus rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis , & Cultui divino peragendo* = Quæ autem huic providentia casui ? hæc equidem consultissima = *Cogant Rectores , & alios , ad quos pertinet , sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere , quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda , & cultum divinum Celebrandum* =

Nec mirum, quarti præsbyteri necessitatem de die in diem crevisse. Cum enim Minorum conventualium anno 1776. suppressum fuisset Coenobium, in quo tres Sacerdotes ad Confessiones approbati alebantur, defuit hinc populo hujusmodi spirituale subsidium, pariterque Missæ defuerunt, quas festis in diebus ii celebrare consueverant in Ecclesia Feudi Beauchamps intra paræciæ confines siti, ac in alia Beatæ Virginis gratiarum rurali Cappella.

Etsi vero non inficientur actam anno 1696. transactionem super quarti præsbyteri additamento, de qua in relationibus cum Archiepiscopi, tum Episcopi sermo est; Attamen non eam obstare in re præsenti, reponunt. Si namque post transactionis tempus milleni homines, & ultra in Parochia aucti sunt, de plano sequitur, quod sicuti transactæ litis subiectum gravem subivit immutationem, ita, & viribus imminuta sit ipsa transactio. Omnium quippe firmitas contractuum maneat opportet, rebus sic stantibus, non secus, ex auctoritate *Textus in Leg. cum quis ff. de solut.*

Ad II. Si a Transactione, inquiunt, excludatur casus, non prævisus plurimi incolarum incrementi, quis neget, stipendium quarto presbytero a decimatoribus esse præstandum? Transactione enim subducta, ad juris dispositionem reditus fit, a qua edocemur, illos ad Ecclesiæ onera obstringi, qui ejusdem Ecclesiæ fructus, reditusque sibi colligunt. *Laureux differt. Can. Cap.* 14. *n.* 10. *Anaclet. in jus Conon. lib.* 3. *tit.* 48. §. 1. *num.* 26. *Rot. in Treviren. reædificationis ecclesiæ parochialis* 5. *Julii* 1782. §§. 2. 3. & 9. *Coram bo. mem. Mannelli.*

Ad III. Donec manebit, prosequuntur, novum veluti consurrexisse populum in regione *les palus* trans torrentem *Sorquè*, illumque duas circiter leucas a paræcia distare, de quibus nemo hactenus dubitavit, omnesque conveniunt testes cum parocho, suisque coadjutoribus, cumque Archiepiscopi, & Episcopi relationibus, toties non dubii juris erit, novam ibi Ecclesiam cum novo pastore constituendam esse, sic jubente Alexandri III. provida dispositione *in Cap. ad audientiam de ecclef. ædific.*, quam *tridentina Synodus* resumpsit *in Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.*

Neque adlaborandum multò esse, quò nimirum loci ædificanda Ecclesia sit. Nam certè locus seligatur opportet, qui sit incolis, quibus succurrendum est, commodior,

Hunc

Hunc autem locum Archiepiscopus Avenionis designavit his verbis = *Videtur omnino circa medium loci les palus propè domum Joannis Ludovici Danis , necessariam esse erectionem novæ Ecclesiæ pro populo* = eique lubens adhæsit Episcopus Carpentoratensis . :

Ad IV. quæritur in hoc dubio , cujus sumptibus & Ecclesiæ , & domus rectoralis ædificia confici debeant , & qui Sacrarum Suppellectilium subministratione , & conservatione onerandus sit . Brevissimam , dicunt Consules, hanc esse quæstionem . Etenim ad omnia teneri Matricem Ecclesiam , sive illos, qui Ecclesiæ fructibus potiuntur , dudum definivit ipsemet Alexander III. in dicto *Cap. ad Audientiam de Eccles. ædific.* , & Sacrum Concilium Tridentinum *in d. Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.*

Qui propterea ex decimis quotannis retrahunt libr. 14000., de quibus Archiepiscopus , & Episcopus in eorum relationibus testantur , ii equidem ad ædificiorum , quæ necessaria sunt , elevationem , & ad Sacrarum Suppellectilium perennem exhibitionem meritò obstringuntur . *Kloc. de Contribut. cap.* 10. *num.* 34 *Vanespen. Jus Eccles. univ. part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 5. *num.* 5. & 6 *Barbos. in decret. lib* 3. *de eccles. ædific. num.* 7. *Tondut. resol. benefic. cap.* 39. *num.* 9. *Sperell. decis.* 68. *num.* 4 *Panimoll. decis.* 6. *adnot.* 8. *num.* 28. & 32. *Rota decis.* 106. *num.* 2. *coram Clemente , & in Leodien. Ampliationis ecclesiæ , & late alium* 4 *Julii* 1783. §. 11. *coram Illustrissimo De Salm.*

Ad V. Eorum, quæ dicta sunt, a Consulibus sustinetur, consequentiam esse non dubiam , a decimatoribus præstandum esse Rectori novæ Ecclesiæ stipendium cum decimarum congrua assignatione *Fagnan. in cap. cum contingat de decimis num.* 44. *Panimoll. decis.* 15. *num.* 31.

Quæ verò pro stipendio summa taxanda sit , postulant , ab EE. VV. pro arbitrio existimari , hoc uno præ oculis retento , quod etsi Carpentoratensis Episcopus in sua relatione putet , congruam novi Rectoris pari passu censendam esse cum Cappellanis curatis , seu secundariis Paræciæ, attamen observetur opportet , quod novus rector qua principalis , non qua secundarius , omni pastorali officio incumbere debebit . Et huic casui satis provisum esse ex constitutione S. Pii V. , quæ incipit = *ad exequendam* = diei 1. Novembris 1567.

Ad Caussæ opportunitatem videri præsertim poterunt *Lunen. sarzanen. dismembrationis Parochiæ* 8. *Martii* 1732.

in

in Thesaur. resol. tom. 5. pag. 299. & seqq. Pisauren. 19. Aprilis 1766. in tom. 35. pag. 83. & seqq. Brictinorien. Congruæ 14 Decembris 1782. tom. 51. pag. 183.

Hactenus Consules Montilii Jura sua protulerunt: Dubia, quæ proponuntur, sunt:

I. *An sit locus additioni quarti præsbyteri in Ecclesia parochiali oppidi Montilii.*

Et quatenus Affirmativè.

II. *An & cujus sumptibus sit ei assignandum stipendium.*

III. *An, quomodo, & quo in loco territorii les Palus sit erigenda Cappella, seu Ecclesia succursalis.*

Et quatenus affirmativè.

IV. *An, quibus mediis, & cuius expensis sit construenda Cappella, seu Ecclesia succursolis, ac domus pro habitatione præsbyteri Cappellani, nec non subministranda sacra suppellectilia, & respectivè manutenenda.*

V. *An, quibus modis, & cujus expensis sit persolvendum stipendium eidem presbytero, & in qua quantitate in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 20. Augusti 1785. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUÆ Duæ priores recensentur Causæ in superiori Congregatione proponi non potuerunt. Reliquæ septem nunc primum referuntur.

ROMANA ALIMENTORUM.

An, & pro qua summa, & a quo tempore ex residualibus scutis 84. monetæ provenien. ex fructibus medietatis pii relicti Paganini pertinen. ad successores Magdalenæ Paganini de Rubeis sit locus præstationi alimentorum favore Julii patris Annæ, Mariæ, & Victoriæ de Rubeis in casu &c. — *Sess. 22. cap. 6 de Reform.*

Affirmativè in sc. 4. quolibet mense incipien. a prima Augusti currentis.

CARPENCTORATEN. DISMEMBRATIONIS. — *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

I. *An sit locus additioni quarti præsbyteri in Ecclesia parochiali oppidi Montilii.*

Et quatenus Affirmativè.

II. *An & cujus sumptibus sit ei assignandum stipendium.*

III. *An, quomodo, & quo in loco territorii les Palus sit erigenda Cappella, seu Ecclesia succursalis.*

Et quatenus affirmativè.

IV. *An, quibus mediis, & cujus expensis sit construenda Cappella, seu Ecclesia succursalis, ac domus pro habita-*

tatione presbyteri Cappellani, nec non subministranda sacra suppellectilia, & respective manutenenda.

V. *An, quibus modis, & cujus expensis sit persolvendum stipendium eidem presbytero, & in qua quantitate in casu &c.*

Ad primum negativè, & amplius.
Ad secundum provisum in primo.
Ad tertium affirmativè juxta votum Archiepiscopi.
Ad quartum, & sextum dilata.

Sess 25. cap. 9. de Reform.

ALATRINA. In novum contradictorium archipresbyter Tricca descendit viribus auctis, ut Ecclesiæ libertatem suæ tueatur, utque a patronatu Cappellæ S. Bartholomei familiam de Rubeis depellat, quæ in postrema colluctatione victrix ea de re ab arena discessit.

Relata hæc caussa fuit in folio congregationis diei 9. Aprilis hujus anni. Deindeque iterum relata, propositaque est in Congregatione diei 7. Maii superioris, quatuor porrectis dubiis, nimirum I. *An favore familiæ Rossi constet de patronatu Cappellæ* S. *Bartholomei existen. in Ecclesia Archipresbyterali terræ Vareni*. II. *An liceat d. familiæ retinere infra ambitum d. Cappellæ Scamna, & Sedilia, ita ut sit standum vel recedendum a decisis sub die 24. Novembris 1781. quoad dictam familiam Rossi tantum*. III. *An liceat Archipresbytero, seu Rectori ejusdem Ecclesiæ, sive cuilibet alteri suprad. Scamna, & Sedilia amovere, & respectivè in ea apponere, & retinere Confessionarium, vel aliud quodcumque impedimentum, inaudito, & invito patrono*. IV. *An, & contra quos constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda* = Quibus EE. VV. rescripserunt = *Ad I. affirmativè, ad II. Affirmativè, dummodo divinis non præstet impedimentum, & juxta hunc modum recedendum a decisis. Ad III. negativè. Ad IV. dilata.*

Quò levius Archipresbyter de Cappellæ patronatu aliàs egerat in antecedenti propositione, non satis fortiter paratus, eò accuratius ex facto, & ex Jure rem modo

per-

pertractare aggressus est in moderno, quem distribuit, libello, a quo novae momenta defensionis ad patronatus exclusionem EE. PP. accipient.

Ad I. Observandum est, in re partes exerceri, quae spectat sæculum sextum decimum; Donatio enim jurispatronatus anno 1570. ab Alatrino Episcopo confirmata fuit. Postquam igitur EE. VV. præ oculis habito hujusmodi temporis lapsu ea expenderint quæ adversus hujus Bullæ Episcopalis legalitatem afferuntur, vim, & efficaciam dictæ Bullæ quod attinet, animadvertere dignabuntur, quod *Du-Cange in suo Glossario* ubi scriptores mediæ, & infimæ latinitatis refert, in *verbo Capella* adnotat, promiscue accepta olim fuisse verba *Capella*, & *Capellania*. *Vanespen. Iur. Eccles. part.* 2. *tit.* 16. *cap.* 2. *num.* 7., *& tit.* 18. *cap.* 4. *num.* 11. *Pignatell. consult.* 98. *ex n.* 25. *tom.* 6., & plene *Fagnan. in Cap. exposuisti num.* 3. *de Præbendis*, ubi quod *ut plurimum Capella, Altare, & Capellania pro eodem accipiuntur* =

In *decis.* 618. *coram Coccino* res erat de Cappella ante annum 1527. erecta, ubi *num.* 2. dicitur = *pro faciliori intelligentia firmarunt Domini, quod Cappella S. Nicolai est beneficium Ecclesiasticum* = in *decis.* 254. *part.* 2. *rec.* edita anno 1609., queritur, num Cappella sit beneficium Ecclesiasticum, seu legatum pium, numque Sacerdotale, aut secus. In *decis.* 65. *part.* 3. *rec.* edita anno 1603., querebatur similiter, num Cappella esset beneficium, & an Sacerdotale, & residentiale.

Videndum idcirco, quid sibi velint verba bullæ episcopalis, in qua oratio incipit a nuncupatione *jurispatronatus super Cappella*, & prosequitur tum in proæmiali parte, tum in dispositiva sermo de *Jurespatronatus* cum relativis dictionibus, *hujusmodi*, *idem*, *prædictum*; cumque iis, & donatio in primis confirmatur, deindeque causative, & illativè jus præsentandi admittitur = *ita ut loco præd. D. Bernardinæ inposterum jus tibi præsentandi servatum esse intelligatur ad dictam cappellaniam* = Si qua vero in bulla dubietas insit, videndum, num ex successivis temporibus, ex Sacris Visitationibus, aliisque actis, factisque, testibusque, dubietatis solutio præstetur: nempe an ea vincant quæ in facto afferuntur pro omnimoda exclusione vel limitatione patronatus ad solum jus præsentandi, seu potius quæ pridem adducta fuerunt a familia de Rubeis pro tuendo patronatu super toto corpore Cappellæ.

Observandum, an post longævæ fugam ætatis, satis sola confirmatio probet originarium Bernardinæ donantis

patronatum, seu Cappellæ, seu utriusque, scilicet Cappellæ, & Cappellaniæ; quin antiquioris fundationis, & donationis monumentum repetere necessum sit. Eo in bulla opportunè animadverso, quod ante confirmationem, publicis ædictis sæpe moniti omnes fuere, ad jura eo de super patronatu, si quæ haberent, sua producenda.

Ad II., & III. A primi dubii decisione utrumque maxime dependet. Hodie tamen datus est ab archipresbytero contradictæ Cappellæ modulus archetypus, ut loci angustia, ac difficultas scamnorum in ea continendorum subiiciantur oculis. Modolus hic mihi traditus fuit ut illum EE. VV. in Aula exhibeam. Putat autem Archipresbyter per solam illius inspectionem cognosci illico posse impedimentum quod divino servitio controversi scamni retentio affert. Num,& quod Archipresbyter sibi velit, exinde illustretur, videndum.

Ad IV. erit expendendum, an, seu attentata, vel secus renuncietur scamni, sedisque remotio, ac respectiva fractio, & combustio, locus tamen sit semper restitutioni, & fracti scamni, & combustæ sedis; & an satis probetur, quis ille sit, qui abstulit, fregit, combussit, ut is tantum condemnari queat.

Resumptis propterea foliis, ut supra, distributis, placeat EE. VV. de infrascriptis dubiis decernere.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis.*

II. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis.*

III. *An sit standum, vel recedendum a decisis.*

IV. *An, & contra quos constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda in casu &c.*

Dilata.

Sess 22. cap.6. de Reform.

NULLIUS SANCTI LAURENTII IN CAMPO COMMUTATIONIS VOLUNTATIS = Hujusce habetur relatio caussæ in folio distributo pro Congregatione diei 11. Decembris superioris anni 1784. in qua proposito dubio = *An sit locus commutationi voluntatis* = red-

redditum est responsum = *Negativè* = veluti in *Thesaur. resol. tom* 53. *pag*.241.

Redeunt ergo Patres familias, Decuriones S. Laurentii in Campo, totiusque Abbatiæ, & ex novæ audientiæ beneficio confidunt, ab EE. VV. consecuturos fore recessum a decisis. Cur enim, ajunt Patres familias, non erit ipsis commutationis gratia concedenda, si testatoris dispositio in ipsorum petentium dumtaxat vergit beneficium? Porrò legatum ita scriptum est = *Ma quanto ai beni stabili, cioè la mia Casa posta nel borgo di S. Lorenzo in Campo confinante &c. ed insieme la tenuta, o possessione posta nella contrada &c. doppo che sarà seguita la Morte della detta Elisabetta mia erede, nomino, dispongo, e sostituisco l'Ospedale di detta Terra di S. Lorenzo governato dalla comunità per mezzo di amministratori, o priori, acciochè prenda il possesso, e sia padrone dei sopradetti beni stabili, e ancora dei Censi perpetui, che si saranno creati &c. con obligo alli detti Amministratori, e priori di esso, che li frutti delle sopradette tenute, e de Censi si convertano in grano, e se ne faccia ogni anno in una, o più volte limosine in grano medesimo, e in quella quantità di misura, che parrà alla loro prudenza, acciocchè possa compartirsi a tutti abitanti nella terra di S. Lorenzo, e si abbia riguardo al tempo più rigido, e nevoso dell'inverno: cioè di fare la distribuzione del grano dal mese di Decembre fino alla Pasqua di Resurrezione seguente, nel quale la povertà suole estremamente patire, & i fatiganti non possano uscire alla Campagna, e che la detta distribuzione non si faccia ad ogni povero in particolare, ma alle loro case, e famiglie: Come per esempio una misura di grano alla famiglia di Sempronio, un altra alla famiglia di Cajo, e una simile alla famiglia di Tizio* =

Quoties propterea illæmet familiæ, & domus legatariæ commutationi libentissimè assentiuntur, ut, renunciata ab iis frumenti modica distributione, reditus omnes bonorum in alterius Ludimagistri salarium convertantur, toties nihil obstare posse videtur, quin ex communi placito volita commutatio fiat: Nonnè siquidem familiis legatariis pro meliori bono licebit, juri suo renunciare?

Nec esse comparandam, prosequuntur, modicam frumenti mensuram cum divite Scholarum compendio, quod in ipsorum filios in scientiis instituendos veluti effundetur. Quæ namque familiis utilitas, si pro exiguo frumenti pondere, brevissime consumendo, compellantur, adolescentes sibi suos habere, qui hebescunt, & languent

In otio malorum pessimo, & in litterarum ignoratione.

Nec ab ipsarum familiarum praejudicio disjungi praejudicium rerum oppidi publicarum; quae cum indigeant optimis consiliariis, & magistratibus, administrationi suberunt hominum aut stupidorum, aut rudium, & imprudentium. Cum ex opposito = *nihil est, quod magis conferat ad reipublicae felicitatem, quamquod puerilis aetas ad omnem informetur sapientiam; cum enim sit Spiritus Sancti effatum: adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea: inde poterit respublica optimos rectores, & administros sperare, ac jure sibi polliceri*; veluti totidem verbis dixit *Benedictus XIV. de Synod. diaec. lib.5. cap.11. §.1.*

Sed gravius esse, in quod propter Scholarum defectum incidit Coetus Ecclesiasticus, cumque eo populi totius Abbatiae, infortunium. *Doctrina sine vita* (verba sunt Concilii Aquisgranensis anni 816. Can. 20.) *clericum contemptibilem reddit, & vita sine doctrina inutilem facit.*

Non haec sine Scholis, sine praeceptoribus consequi possunt. Populus ergo rudis cum illiterato Clero manet, & nisi gratia commutationis accedat, manebit. Nonnè potissima haec sunt, ut brevi frumenti mensurae praeferantur? Hinc Parochi tum oppidi S. Laurentii, tum aliorum abbatiae locorum, lugent amare tantam calamitatem, tantisque optant malis remedium salutare. Et in primis Parochus oppidi diffusa utens oratione, inter caetera sic habet = *Isthaec profectò est hujus terrae, & ditionis calamitas, & infelix conditio. Solis tantummodò Grammaticae praeceptis, & Humanitatis exordiis ex inevitabili necessitate dimittere, & absolvere. Heu inmanis conditio jugibus, amarisque lacrymis deploranda, quam verbis exponenda* = & infrà = *hic permultae sunt Cappellae, Altatistatus, legata perpetua Missarum, quorum numerus quinque millies excedit. Complures extant Sodalitates, singulae Cappellani opus habentes &c. undenam tantae habilitatis Sacerdotes eligi quiverint? non aliunde, nisi ex illorum Catalogo, qui tantum Gramaticae, & Humanitatis percurrere potuerunt* =

Prosequitur Parochus Castri S. Andreae = *Vitia, ignorantia, & turpis egestas inundat: languent artes, torpet natura ipsa pigro quodam stupore otiosa, imbecilliora reddita prae inopia intra ignorantiae necessitatem, subliniora etiam detinentur ingenia. Testis sum ego ipse, & Deus scit, quia non mentior, plures a me compertos fuisse juve-*

nes

nes clericali militiæ adscriptos, & *ad Aram jam properantes*, *in tanta Cathechismi*, *Concilii*, & *rei Sacræ ignorantia demersos*, *ut misericordia motus*, *apud me excolendos retinere non recusaverim* = Eique accedit plenis suffragiis *Parochus Castri Montis Folii*.

Late convenit Abbas commendatarius, qui testatur etiam de Comunitatis inopia, cujus status passivus, quin minuatur, quotannis excrescit,

Addunt his Oratores, condignum animadversione esse, non adeo firmiter in frumenti distributionem prospexisse pium testatorem, ne ullo unquam tempore deficeret. Imo consideranti sibi, quod in temporis decursu Monialium monasterium posset excitari, placuit, bona omnia hæreditatis suæ in illud liberè transferre, distributione frumenti penitus deleta. Si ergo de Monasterii erectione recogitans, veluti de meliori bono, distributionem postposuit, voluntati illius repugnare non videtur eiusdem distributionis in melius commutatio. Sique alloqui hodie posset Vir patriæ suæ amantissimus, utique putandum est, quod Scholis erigendis in tanto patriæ squallore, & amaritudine utraque manu assentiretur. *Piton. discept. Eccles.* 69. *num.*4. 5., & 15. *tom.*3.

Hæc Oratores. In ultimarum voluntatum commutationibus justam, & necessariam causam intercedere oportere, Tridentina Synodus mandavit in *Sess.* 22. *cap* 6. *de Reform.* novitque pariter, necessariam admodum esse adolescentium institutionem; proindeque Seminariorum cum Scholis erectionem enixim præcepit in *Sess.* 23. *cap* 18. *de Reform.* Idcirco erit videndum, an veluti justa, & necessaria renunciari debeat novæ Scholæ institutio in S. Laurentii Oppido, in quo, & in tota, qua latè patet, Abbatia, unus dumtaxat est Ludimagister modico conductus censu ad Gramatices, & Humanitatis primordia edocenda.

Deinde inquirere operæ pretium erit, num sicuti Patres familias in conventum coacti constituere numerum 120., quorum unus, & nonaginta Suffragium in commutationem præstarunt, reliquis dissentientibus, ita minor hic numerus a majori obligari potuerit, ut distributionum præjudicium æquo animo patiatur. Eo præsertim attento, quod dissentientes genus fortasse constituunt operariorum, quibus testator consulere in primis voluit, cum scripserit = *Si abbia riguardo al tempo più rigido, e nevoso dell'Inverno &c. nel quale la povertà suole estremamente patire, e i fatiganti non possono uscire alla Campagna* =

gna = & quatenus in re præsenti nec vincat, nec cogat, videndum supererit, an expediat, quartam, seu aliam distributionis partem dissentientibus servare.

Denique videndum, an, præmissis non obstantibus, bonum universale totius populationis, tum laicorum, tum clericorum: tum Spirituale, tum temporale: præferendum sit bono quorumdam particulari, quod testator ipse è conspectu Monasterii Monialium erigendi facillimè posthabuit:

*Piton. in d. discept. Ecclesiast.*69. *ex num.*6. *tom.* 3. aliquas refert Sacræ hujus Congregationis resolutiones rei præsenti admodum affines, & *num.*37. decretum sa. mem. Benedicti XIII. super Dotium commutatione in erectionem Collegiatæ. Videri ad rem poterunt *Vicen. commutationis, & applicationis, & Fulginaten. commutationis voluntatis* 20. *Novembris* 1762. *relat. in Thesaur. resolut. dicti Anni tom.*31. *pag.* 240., *&* 242.

EE.VV. dignentur Sapientissimo responso sequens dubium. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.*

Prævio recessu a decisis pro gratia commutationis ad decennium facto verbo cum SSmo,

Sess. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

ALATRINA. In Relatione quam occasione Visitationis Sacrorum Liminum Alatrinus Episcopus transmisit, ab hac S. Congregatione definiri postulat, sit ne cogendus Parochus unitarum Ecclesiarum Parochialium S. Simeonis, S. Luciæ, & S. Silvestri non solum duas, ut hactenus præstitit, sed tres Missas pro populo applicare, & respective ut applicentur curare singulis diebus festis. Narrat porro anno 1635. auctoritate Apostolica Parochialem S. Simeonis unitam fuisse alteri Parochiali S. Luciæ, deperditum vero unionis decretum, *deprehendi tamen ex actis S. Visitationis Episcopi Guerra &c. ad annum usque 1720. per Sacerdotem a Parocho singillatim deputatum in Ecclesia ipsa S. Simeonis singulis diebus Festis celebratum pro populo religiose fuisse, nec omissum alterum in Ecclesia S. Luciæ*. Anno 1724. in libro utriusque Paræciæ cujus frons a Vicario Generali dicti Episcopi Guerra inscripta est, adnotatum legitur *unam tantum Missam applicandam pro populo eam nempe*, ut narrando prosequitur idem Episcopus, *quæ primum celebrari con-*

sue-

suevit in S. Luciæ nunc autem, interdicta Ecclesia, celebratur in S. Simeonis. Sequenti anno tertia Parochialis S. Silvestri prædictis auctoritate ordinaria unita fuit, *quin Parochus sacrum pro populo fieri facere non solum in S. Silvestri verum, & S. Luciæ templo umquam omiserit*.

In ea est opinione Episcopus, quod antecessor Episcopus Guerra, qui Concilio Romano sub Benedicto XIII. aut per se, aut per Procuratorem interfuit, usus datis in eo facultatibus, duas Missas pro populo applicandos in Ecclesiis S. Simeonis, & S. Luciæ ad unam reduxerit; advertit tamen alia Missarum onera ab eodem imminuta legi, hoc autem non legi. Rogat itaque, ut S. Congregatio rem definiat per congruum infrascripto Dubio responsum.

Præmittendum videtur, quod juxta famigeratam Canonistarum regulam *in Cap. sicut unire* 8. *de excess. Prælatorum* plures Paræciæ possunt insimul uniri aut *extinctive*, aut *subjective*, aut *æque principaliter*. Certum videtur, quod si plures Paræciæ extinctive uniantur nulla amplius adest, aut adesse potest obligatio applicationis Missæ; destruitur enim per dictam unionem Paræcia, quæ extinguitur, neque amplius populum, & Parochum habet, ita ut absurdum esset inquirere, an in ea ulla vigeat obbligatio Missæ pro populo applicandæ. Verum si unio subjectiva est, multoque magis si æque principaliter, tunc sicuti antiquus populus, & antiqua Paræcia existunt, ita vigere quoque præceptum debet applicationis Missæ pro populo, quod veluti a divino jure descendens explicavit Tridentina Synodus *Sess.* 24. *cap.* 1., & Benedictus XIV. in Encyclica *Cum semper oblatas ad* universos Episcopos Italiæ. Ita alias sensit S. hæc Congregatio *in Lucen. applicationis Missæ pro populo 26. Februarii* 1774. *resolut. die* 12. *Martii dicti anni*.

Post dictas Encyclicas Litteras Episcopus Lucen. in Galæcia edixerat pro universa sua Diæcesi, ut Parochi, qui duas haberent unitas Paræcias, duas item Missas pro populo applicarent, vel applicari curarent. Delata fuit S. huic Congregationi edicti justitia, quæsitumque = *An Parochi duabus Ecclesiis Parochialibus præpositi teneantur Dominicis aliisque festis diebus Missam in unaquaque Ecclesia sive per se, sive per alium applicare pro populo in casu &c.* Respondit autem S. Congregatio = *Affirmative exceptis tantum Parrochiis unitis unione plenaria & extinctiva, & scribatur Episcopo juxta mentem* =.

Por-

Porro unionem Parochialium S. Simeonis, & S. Luciæ (quæstio enim nulla esse potest de Parochiali S. Silvestri in qua Missa pro populo sine contradictione applicatur) non fuisse omnimodam, & extinctivam, cum tabulæ unionis deficiant, ab effectibus tantummodo cognoscere possumus. Semelac igitur liquet ex Episcopi narratione longo post unionem intervallo applicatas in utraque Ecclesia fuisse Missas pro populo, ex hac ipsa observantia legitima factorum præsertim absconditorum interprete colligere tuto possumus unionem non fuisse extinctivam. Præterquam cum unioni beneficiorum jura repugnent, magisque a jure discedat extinctiva unio quam cæteræ, hinc in qualibet implexitate contra illam præsumendum est.

Dissimulandum non est in quadam *Huscana* 17. *Januar*. 1756. quæsitum ab hac S. Congregatione fuisse, an Collegiata S. Mariæ del Piano, quæ ex unione octo Ecclesiarum Parochialium, & septem non Parochialium coaluerat, teneretur applicare tot Missas pro populo quot erant unitæ Parochiales; & S. Congregationem dubio, quod in hæc verba conceptum erat = *An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ del Piano oppidi Martellæ Huscanæ Diœcesis teneantur unam tantum Missam pro populo diebus Festis celebrare, seu potius tot Missas quot sunt Parochiales Ecclesiæ illi unitæ in casu &c.* = respondisse = *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam* = Sed forte causam resolutioni præbuit omnimoda, & extinctiva dictarum Parochialium unio, quæ licet in extensione Folii subjectiva vocetur, tamen sub hac nuncupatione significari voluit unio extinctiva, ut ex dicti Folii lectione patet. Forte aliquid etiam tributum est immemorabili consuetudini, de qua pariter in dicto Folio.

Quod addit Episcopus de sua credulitate, scilicet dubitare se, quod reductæ fuerint hæ Missæ vigore facultatum a Concilio Romano Episcopis, qui per se, vel per Procuratorem illi interfuerunt, datarum, id ab ejus calamo incaute excidisse putandum est. Si enim neque Missæ in fundatione impositæ, neque per contractum susceptæ huic indultariæ reductioni subsunt, quanto minus hoc de quo agitur onus, quod intrinsecum est ipsi Parœciæ, cum ipsa Parœcia natum, a jure divino repetitum, & quod per institutionem a Parocho susceptam acceptatum per quasi contractum videri debet.

Superfluum erit animadvertere, quod qualecumque futurum

rum sit S. Congregationis judicium de celebratione Missæ pro populo etiam in Paræcia S. Luciæ, ea prius restaurari debet, & ab interdicto Episcopi liberari.

Parochus ab Episcopo monitus, ut sua jura deduceret, si vellet, in S. Congregatione, dedit epistolam ad eumdem Episcopum, in qua sua jura enarrat, seque aut non posse, aut nolle eam in contradictorio judicio defendere. Quæ graviora in hac Epistola, quam Episcopus ad S. Congregationem transmisit, occurrunt jura, hæc duo sunt. Primum invariabilis observantia ab anno 1720. in præsens, absque eo quod umquam Episcopi in suis Visitationibus jusserint, ut duæ Missæ pro populo pro duabus Ecclesiis S. Luciæ, & S. Simeonis celebrarentur. Alterum quod licet in uno ex antiquis Libris Parochialibus ante annum 1720. pro utraque dicta Ecclesia duplex Missa pro populo adnotetur, id tamen erronee a Parocho tunc temporis fuerit adnotatum. Errorem autem ex eo colligi quod alteri ex dictis Ecclesiis legatum fuerit prædium cum onere celebrationis Missæ singulis diebus Festis, ut ex antiquo inventario cujus particulam refert; ex quo factum putat, ut ille Parochus per æquivocum descripserit uti celebratam pro populo Missam, quæ in dicti Legati implementum celebratur. Deperdito postmodum dicto prædio a dicta celebratione cessatum fuisse, atque hinc factum, ut post annum 1719. non amplius duæ, sed una tantum celebrata reperiatur Missa pro populo. Affert & alteram prætensi erroris probationem: Narrat adesse alios Libros antiquiores eo, in quo duæ Missæ pro populo adnotantur, & in iis unicam tantum Missam pro populo describi.

Definiendum itaque ab EE. VV. est Dubium.

An Parochus S. Simeonis, Sanctæ Luciæ, Sancti Silvestri teneatur in unaquaque ex dictis Ecclesiis Parochialibus per se, aut per alium applicare Missam pro populo Dominicis aliisque festis diebus in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem, & mens est, ut referat super expositis per Parochum.

Sess.24.cap.12. de Reform. Sess. 25. cap. 8. de Reform. Sess. 25 cap. 3. de Refor.

ALATRINA. Eadem occasione Visitationis SS. Liminum idem Alatrinus Episcopus aliam quæstionem proponit ab hac Sac. Congregatione decidendam, & quæ in infrascriptis Dubiis continetur.

Primam quod attinet, an scilicet Episcopo generalem ordinationem in Ecclesia Cathedrali habenti jus sit omnes Canonicos non obstante alternativæ privilegio, cujus vi septem tantummodo per hebdomadam inserviunt, compellere, ut adsint eidem S. Ordinationi, præmittenda sunt S. Concilii verba tum *Sess*.24. *cap*.12. = *Omnes vero divina per se, & non per Substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti assistere, & inservire* = Tum *Sess*.25. *cap. de Reform.* ibi = *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis pubblice celebrentur* =.

Hinc cum S. Rituum Congregatio rogata alias fuisset suum proferre judicium in quæstione, quæ inter Hispalensem Archiepiscopum, & Capitulum versabatur, num scilicet Archiepiscopus non solum quando sacrum solemni ritu celebrat, sed etiam cum Pontificales alias functiones exercet præter dignitates etiam universum Capitulum cogere queat ut assistat; S. illa Congregatio respondit = *Posse Archiepiscopum ex decreto S. Concilii Tridentini cap.* 12. *Sess*.23. *de Reform. supradictos compellere, ut sibi assistant & inserviant*, ut refert *Scarfanton. ad Ceccoper. in animad. ad lib*.3. *tit*.7. *num*.26.

Et præssius S. hæc Congregatio in Causa *Giennen. celebrationis Ordinum*, in qua sub nono Dubio quærebatur = *An Episcopus ad formam Conciliaris dispositionis, sive Ordinationem celebrans ad Altare majus ante, vel post horarum celebrationem, sive ad aliquam ex Cappellis, sive in Sacristia Cathedralis possit cogere integrum Capitulum, & omnes Canonicos ad assistendum functioni Ordinationis generalis & quibus pœnis; sive potius contentus esse debeat assistentia illorum, qui in functionibus Pontificalibus eidem Episcopo ex præscripto cæremonialis, vel ex consuetudine Ecclesiæ assistere debent* = Postquam quinquies rescripsit *Dilata*, tandem 19 *Junii* 1728. respondit = *Et quoad novum Dubium non resolutum decrevit posse cogi juris remediis integrum Capitulum una cum omnibus de Clero Cathedralis, ut assistant Episcopo solemniter cum cantu Missam Ordinationum ad Altare majus celebranti, & ad mentem* =.

Præstat autem ex Regestis S. Congregationis proferre, quæ fue-

fuerit eò in casu illius mens = *Et mens S. Congregationis est, quod quando Episcopus velit S. Ordinationem celebrare cum solemni Pontificali in cantu debet esse ad Altare majus, & cum assistentia Diaconi, & Subdiaconi, & Capituli, & omnium de Choro, ut in Sabbato Sancto disponit cæremoniale Episcoporum, Missa tunc deserviente pro conventuali; extra hunc casum totum Capitulum non teneri illi assistere, sed sufficere assistentiam, & præsentiam duorum saltem Canonicorum* =.

Cum itaque quæstio ab Alatrino Episcopo proposita casum respicere videatur generalis Ordinationis in Missa Pontificali solemni ritu ad Altare majus peragendæ, vel limitari ad illum S. Congregationis responsum queat, dubitandum haud videretur, quin omnes omnino interesse Canonici debeant, ne iis quidem exceptis, qui per hebdomadam non inserviunt. Ex pandita namque S. Congregationis mente ii omnes de Capitulo adesse debent, *qui in Sabbato Sancto interesse jubentur*. Cum ergo Alatrini Canonici nulla eo die alternativa fruantur, jam consequens esse videretur, ut omnes adesse debeant.

Cæterum & paucitas Canonicorum accedit, quorum septem tantummodo per hebdomadam inserviunt, ita ut tam parvus Canonicorum numerus haud sufficiens videatur pro solemni ritu de quo agitur. Postularet ergo Ecclesiæ necessitas, ut ii Canonici qui per eam hebdomadam exemptione fruuntur revocari ea singulari & rarissima occasione ad servitium possent, quemadmodum in longe duriori casu exemptionis non solum ab interessentia, sed etiam a residentia, quæ iis datur qui per quadraginta annos Ecclesiæ cum laude inservierunt, hæc eadem Ecclesiæ necessitas permittit Episcopo, ut eos ad suæ Ecclesiæ obsequium revocare possit, ut sapienter monet *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 9. § 5., ibi = *Hoc tamen jubilationum privilegium tantisper imminuit, quod licet beneficiatus hujusmodi neque Choro interesse, neque in loco residere teneatur, potest nihilominus ad Ecclesiæ servitium rursus ab Episcopo revocari, si propter illius absentiam divini cultus ratio detrimentum aliquod subire dignoscitur*.

Ex his autem parata videtur responsio resolutioni hujus Sac. Congregationis in Tudertina anni 1573. *relat. in lib.* 1. *Decret. pag.* 110., in qua, Dubio quod disceptabatur = *An retinentes Dignitates Canonicatusque in Cathedrali Ecclesia Episcopo Pontificalia obeunti omnes assistere teneantur, vel major pars suppetat, & posito quod non,*

an recusantes assistere mulctari possint. Respondit = *omnes teneri, salvis tamen singulorum legitimis vacationibus* = Isthæc enim generalis resolutio traduci ad eum casum non potest, qui semel aut bis in anno continget, & in quo si medietas Canonicorum abessent omnino indecore Pontificalis Missa celebraretur.

Secundum Dubium, quod attinet an scilicet quatenus affirmativo responso primum definiatur, liceat Episcopo reluctantes Canonicos pecuniaria pœna, atque etiam spirituali, plectere, non videtur de spirituali moderata tamen, & legitimum modum non excedente, dubitari ullatenus posse, cum imo ea animadvertendi ratio congruentior, ut plurimum sit judici Ecclesiasticas culpas punienti, & reis Sacras Canonum sanctiones violantibus. Verum neque ambigendi locus est, quoad potestatem infligendi mulctam pecuniariam. *Benedictus XIV. in suo opere de Synodo Diœcesana lib.* 10. *cap.* 9. postquam Canonicas Sanctiones modo permittentes, modo improbantes hujusmodi multas, postquam sanctissimos viros alios quidem faventes, alios repugnantes retulit, litem omnem de potestate a Tridentino finitam animadvertit *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reform.*, in quo potestas decernendi pecuniarias mulctas Episcopis vindicatur, ut *ibidem* §. 6.

Queri itaque solum poterit, num è sua prudentia facturus sit Episcopus, qui in casu de quo agitur multam pecuniariam indixerit. Porro cum supposita interessendi necessitate, jam pecuniariam pœnam, fallentiam nempe, Canonicus solvat, videri forsan posset haud licere Episcopo aliam pecuniariam mulctam superaddere. Sed ne præ tenuitate pœnæ justum Episcopale præceptum contemnatur a Canonicis, onus hoc veluti quodammodo novum considerantibus imprudens fortasse non erit hæc pecuniaria mulcta, cujus inflingendæ, & aliis pœnis animadvertendi potestatem in Canonicos non interessentes ultra amissionem distributionum in Episcopo agnoscit Sac. hæc Congregatio *in Castellanaten.* 7. *Junii* 1659. = *Episcopus quærit an saltem in Quadragesimæ, & Adventus tempore, vel in aliis solemnibus festis possit antedictum beneficiatum, & quemcumque alium, qui legitimo careat impedimento remediis extraordinariis aliquarum pœnarum præscriptarum cogere, cum alias non curent, quod quidquid residendo, & interveniendo est lucri, aliis accrescat. S. Congregatio respondit licere etiam per alias pœnas*.

Canonici moniti, ut deducerent jura sua si vellent non comparuerunt

Dubia sunt.

I. *An Episcopo Alatrino generalem ordinationem statutis a jure temporibus in Cathedrali Ecclesia habenti Canonici omnes adesse teneantur non obstante privilegio alternativæ.*

Et quatenus affirmative,

II. *An renuentes coerceri possint pœna pecuniaria, & spirituali.*

Ad I. Affirmativè, & detur decretum in Giennen. celebrationis ordinum, & amplius.

Ad II. Affirmativè pro pœna pecuniaria tantum arbitrio Episcopi.

PERUSINA TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM. Sacerdos Angelus Moroni Cappellaniam obtinet ex fundatione Cinthii Lucini in rurali parva Ecclesia S. Annæ cum quotidianæ obligatione celebrationis, unica excepta cujuslibet hebdomadæ die feriali, quam testator vacationis nomine Cappellano suo relaxavit. Cum a Perusiæ Civitate distet præfata Ecclesia quartum supra lapidem, supplicavit Sacerdos Cappellanus pro translatione ad decennium celebrationis Missarum in diebus tantum ferialibus ad aliam Civitatis Ecclesiam. Causa postulationis fuit, quod diurni ratione servitii ibidem inhabitans quatuor cum filiis masculis in conjugio susceptis, nequit in agrorum solitudine, & inter agricolas honestam iisdem, liberalemque institutionem, veluti familiæ suæ conditionem decet, sine præceptoribus, sine scholis, sine circulis præstare; Nec brevissimus finit, qui eidem Census est, illos in Civitate exhibere. *Sess.22. cap. 6. de Reform.*

Episcopus cum requisitus fuisset, rescripsit in illius absentia Vicarius Generalis, & testatus est de oratoris paupertate, de honestate Familiæ, de filiorum institutione, de loci distantia. Junxit quoque litteris suis patronorum consensum scripto præbitum, & (veluti in mandatis habuerat) pii testatoris dispositionem, ac trium Sacerdotum juratam depositionem testantium, neminem diebus ferialibus ad Sacrum audiendum accedere, imo nec haberi sæpè posse, qui Missæ inserviat; retulitque his verbis = *Præfatam*

satam Ecclesiam a Fundatore erectam, utpote sitam in loco campestri, & a domibus rusticorum longè distantem, præter illam habitatam a Colonis prædii in dotem præd. officiaturæ perpetuæ assignati, non inservire necessitati, aut commoditati Populi, cum in illa peragitur sacrosanctum Missæ Sacrificium. Atque hoc adeo verum est, ut quandoque nulla persona illi intefuerit, nec etiam quæ servirent Sacerdoti celebranti. Horum è conspectu iidemmet Patroni, qui elegerunt Sacerdotem Angelum Moroni in Cappellanum consensum præstant illius memoratæ petitioni. Verum cum ex testamentaria dispositione adpareat Fundatoris cadaver tumulatum fuisse in Ecclesia Patrum S. Philippi Neri, in hanc transferenda esset Missarum celebratio ferialibus diebus =.

Revera ex Testamenti lectione constat, suffragia quidem Missarum voluisse in sui, aliorumque expiationem, nulla tamen de testatoris in populi favorem, commoditatemque voluntate, conjectura specialis elicitur. Scripsit enim = *Con peso però, che debbano, e debba, chi sarà sempre in perpetuo mantenere detta Cappella, case, podere, e terre, e celebrare in detta Cappella una Messa il giorno, volendo però, che abbia un giorno della settimana vacante, purche non sia festa commandata, e applicare i sacrifici sempre, cioè tre per l'anima mia, due per i miei antenati, e uno per l'anima di detta Francesca mia serva* =

Quia verum ab ejusdem innotuit ima testamenti parte, Ecclesiam, & PP. S. Spiritus Perusiæ fuisse substitutos executoribus nuncupatis, & Cappellano, si desides essent; idcirco die 18. Septembris 1779. rescriptum fuit = *Audiantur PP. S. Spiritus Perusiæ* = ii tamen Religiosi Missarum translationi libenter sunt assentiti, sed sub conditione, quod illarum translatio ad propriam concedatur ipsorum Ecclesiam. Ex opposito rescribens Episcopus, veluti in priore informatione, magis existimat convenire, quod Missarum celebratio ad Ecclesiam S. Philippi Nerii, in qua testator sepulcrum sibi prædilexerat, transferatur. Præfixis itaque tum executoribus, tum PP. S. Spiritus congruis terminis ad jura sua deducenda, caussa proponitur.

Cæteris adhuc silentibus, unus jura sua proponit Cappellanus Orator. Quamvis, inquit, in ultimarum voluntatum commutationibus juxta caussa desideretur a Tridentina Synodo in *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* non tamen perquirendus, servandusque est summus justitiæ rigor,

qui

qui justitiam ipsam flagellat sæpius, quam recreat *L. si Ita §. Multa ff. ad leg. Aquil.* sed potius recti, & æqui rationem, decet, amplecti, in qua verior justitiæ manet definitio *L. 1. ff. de Just. & Jur.* Quoties propterea temporanea, quæ petitur, translatio in diebus ferialibus, nec populi officit commoditati, veluti ex testibus probatissimis, & ex ipsius Episcopi informatione compertum est; nec suffragia minuit testatori, in quæ dumtaxat prospexisse, verba testamenti edocent; Cur postulationi non est annuendum, quæ sine ullius injuria in tantam vergit pauperis Cappellani utilitatem? *Rota in Nullius S. Ædisti Molendini* 20. *Februarii* 1756. §.5. *coram cl. me. Card. Paracciano*. Eoque facilius, quod de temporanea, ac brevi, non de perpetua translatione res est, & conjunctim in gratiam conveniunt, cum testamentarii executores, viri Religiosi, tum ipse Ordinarius, tum PP. S: Spiritus, licet sub conditione.

Neque Patres eosdem in præfata ipsorum conditione audiendos penitus esse. Episcopus enim rectè observavit, pium testatorem in Ecclesia S. Philippi Nerii tumulatum fuisse, consequenterque maximè decere, quod Sacra in ipsius animæ expiationem ibidem conficiantur *Pignatell. consult.* 32. *n.* 1. *tom.* 3. *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 1050. *num.* 3. *& seq. Piton. discept. Eccl.* 148. *n.*4. *& seq.*

Nisi justa, & rationabilis intercesserit caussa, consuevit hæc Sacra Congregatio, postulationes de transferendis Missarum oneribus ab una in aliam Ecclesiam rejicere, veluti passim videre est in Thesaur. Resolut. & præsertim in *Comen. Translationis Missarum* 15. *Septembris* 1764. *tom.* 33. *pag.* 139. *& in Firmana Translationis oneris Missarum* 3. *Augusti* 1782. *tom.* 51. *pag.* 110. Attamen traslationi annuit in *dicta Comen.*, in qua cum res esset de Missis, quibus nemo in ferialibus diebus aderat, annuit, propositoque dubio = *An, & quomodo Missarum translatio sit concedenda* = rescripsit = *Affirmativè ad Ecclesiam Archipresbyteralem Surrici diebus festis, diebus vero ferialibus ad Ecclesiam S. Joannis Baptistæ in oppido Damasii* =

Videndum idcirco, num particulares circumstantiæ Cappellani, ejusque familiæ, juncta populi in diebus ferialibus deficientia, junctisque patronorum consensibus, votoque Episcopi, æstimari tanti possint, ut absque ullius injuria ad decennium, seu ad aliud tempus magis bene

ne visum ; translationis gratiam liceat elargiri. Respondendum itaque erit dubio.

An, & quomodo concedenda sit petita ad decennium translatio Missarum pro diebus ferialibus in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

NULLIUS FOROPOMPILIEN. Canonici Collegiatæ, & Abbatialis Ecclesiæ S. Ruphilli, exposuerunt Sacræ huic Congregationi, onere ipsos devinci ex *Marci Uccellini* Collegiatæ fundatoris præcepto, quatuor habendi Cappellanos Choro addictos, & ad duarum Missarum celebrationem quotidie obligatos. Quia vero exiguus admodum est Canonicatuum reditus non excedens annua in quemlibet scuta 36. 49., exiguum quoque Cappellanis emolumentum assignare potuerunt: Scilicet cuilibet scuta 14. pro Missis, & scuta sex pro chori diurno, plenoque servitio, quæ simul conjuncta summam annuam scutorum 80. constituunt. Angusti hujusce emolumenti consequens est chori servitium, ter in die præstandum, a Cappellanis negligi, nec posse in officio contineri, nec facultates attenta redituum tenuitate Oratoribus suppetere, ex quibus par oneri emolumentum adaugeant. Precabantur itaque pro duarum Missarum reductione ad unicam, ut ita ex alterius eleemosina iisdem stipendium Cappellanis accrescat, & à fallentiis indicendis excitari possint, & ad chori servitium obstringi.

Auditus Vicarius generalis Capituli Vaticani, Abbatiæ Commendatarii, confirmavit, quæ in precibus exponebantur, retulitque præterea *Marci Uccellini* breviloquam dispositionem, in qua mandavit in primis Dominico ex fratre Nepoti, quem sibi hæredem nuncupaverat, ut quotidianam, & perpetuam duarum Missarum celebrationem curaret in animæ expiationem suæ. Deinde, si Dominicus deficeret sine Masculis, sive illius descendentes Masculi sine Masculis decederent, voluit = *Che con la sua eredità, e beni tutti si erigga una Collegiata in quella Chiesa, che sarà eletta dal Signor suo erede primo instituito, al quale Signor Domenico commette la Cura di elegere la Chiesa, ordinare la Collegiata, nominare li Canonici, ovvero eleggere le persone, a cui vorrà s'aspetti la nomina dei Canonici, e far altro &c.*

Re-

Retulit quoque, Dominicum Uccellini facultate a testatore habita usum fuisse. instituta per publicum Instrumentum *ex bonis Authoris sui* sex Canonicorum Collegiata, prædio præbendis assignato, fundisque aliis pro distributionibus, nuncupatis familiis, quibus præsentandi jus adscripsit: selectisque Ecclesiis, sive Carminis, sive S. Ruphilli, in quarum alterutra erectio fieret; Ea tamen volita quoad Cappellaniarum numerum, & onera distinctione, nimirum = *vuole, e commanda il detto Signor Domenico Vccellini, che le quattro Cappellanie, che al presente fa officiare nella V. Chiesa del Carmine secondo la disposizione del detto Signor D. Marco, che sono di due Messe quotidiane, servino per fare quattro Manzionarie, ogni volta la Collegiata medesima fosse fuori della detta Chiesa del Carmine, ma essendo eretta in detta Chiesa del Carmine, se ne facciano solamente due Manzionarie, e la celebrazione delle Messe delle altre due Cappellonie spetti alli medesimi Signori Canonici egualmente &c.*, *& pro rata* = Concluditque = *obligando li stessi Manzionari a sodisfare alla celebrazione delle Messe secondo la mente del d. Marco Vccellini, servire al Coro, e intervenire a tutte le feste principali, che si celebraranno nella Chiesa, ove sarà eretta la Collegiata, rimettendo all'arbitrio de Sig. Canonici d'assegnare a dd. Manzionari quella provisione, che le parerà più propria per il loro servizio.*

Cum idcirco modi alii non sint juxta Vicarii relationem, ex quibus exigua emolumenta Cappellanorum augeri possint, attenta Canonicatuum tenuitate, quorum ideo fallentiæ obulos sex non excedunt, laudat idem Vicarius in sua informatione, quod EE. VV. placeat Canonicorum precibus indulgere.

Sacra hæc Congregatio cautè admodum procedit in Missarum reductionibus concedendis. Etsi quando de pluribus oneribus res est, alia potius onera, etsi eleemosinæ sint, ac etiam chori servitium, reducit, quam onera Missarum, quæ in animarum expiationem suarum a testatoribus jubentur; *Monacell. in form. legal. formula* 19. *tit.* 10. *num.* 25. *tom.* 1. *Fagnan. in cap. ex parte num.* 34. *in fin. lib.* 1. *Constantin. vot. decis.* 410. *num.* 25. *Bordon. de legat. cap.* 15. *num.* 35., *& seqq.* Quia Missarum legatum pro anima testatoris, dicitur omnibus aliis legatis piis magis pium, & cæteris semper præfertur ad firmata per *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 1006., & 1009. *t.* 2. *Amostaz. de Caus. piis lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 40., *& lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10., & *seqq.*

In una *Romana Reductionis servitii Chori* , *&* *Missarum* diei 18. Aprilis 1722. proposito dubio = *An* , *&c quomodo sit facienda reductio* = rescriptum fuit = *firmo remanente onere Missarum , pro Majori reductione Servitii Chori arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi* , *audito Capitulo* =

In *Compostellana reductionis* diei 10. Februarii 1781. dubium erat = *An* , *&c quomodo precibus Cappellanorum de Liceras sit providendum* = editumque est responsum = *Affirmativè* , *nempe reducendas esse ad duas tantum Cappellanias cum integro onere Missarum omnibus Cappellanis a testatore injuncto* , *atque omnibus aliis oneribus a fundatore præscriptis* , *facto verbo cum Sanctissimo* =

Duo conferunt ad Caussæ examen observanda: scilicet, testatorem *Marcum Uccellini* jussisse in primis *Dominico* hæredi, & Nepoti *perpetuam*, & quotidianam duarum Missarum celebrationem. Deinde in casu deficientiæ Masculorum erectionem collegiatæ ex omnibus bonis suis, quæ sine imminutione, & integra manent. Observandum etiam, quod Dominicus hæres duas tantum exoptavit Mantionarias, si collegiata erigeretur in Ecclesia Carminis; & hoc in casu Medietatem oneris Missarum Canonicis pro rata imposuit. Observandum denique a Canonicis pro ipsorum arbitrio emolumentum Cappellanis, seu Mantionariis taxatum fuisse. Hinc videndum erit, num Missarum reductioni sit indulgendum, sive imminutioni servitii; sive potius teneantur Canonici ex pii testatoris reditibus supplere, sive onus alterius Missæ quotidianæ adimplendum assumere, atque inter ipsos partiri.

Dubia proponuntur.

I. *An* , *&* *quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*.

Et quatenus Negativè.

II. *An* , *&* *quomodo sit providendum in casu &c.*

Sess. 22. cap. 11. de Reform.

RECINETEN. = Obtinet Sacerdos Nicolaus Forlani ab annis nonnullis Cappellaniam, *Mariotti* nuncupatam cujus titulo ad Sacros ordines promotus fuit. Cum ad eam pertineant domus aliquae Recineti sitæ, & prædium in ejusdem Civitatis agro: illæ nimirum reparationibus indigentes, & illud domo colonica ex integro instauranda; postulavit orator ab hac Sacra Congregatione bene-

neplacitum, ad duas domos alienandas; quarum una est in regione *S. Angeli* apud domum *Antici*, & alia in regione *S. Mariæ Montis Murello* juxta domum *Leopardi*, illarumque pretium utilius investiendum; Pariterque ad imponendum Censum, ut ex pretio, tum reparentur duæ aliæ domus in eadem regione *S. Mariæ Montis Murello* sitæ, quæ minorem operis sumptum exquirunt; tum ædificetur domus Colonica in prædio nuncupato = *de Cappuccini Vecchi* = quæ ruinam minatur. Et quemadmodum ex censuali fœnore imminuentur Cappellaniæ reditus, ita tertiam adjunxit postulationem, ut scilicet, onera Missarum reducerentur.

Datis ad Episcopum litteris opportunis, excepimus ab illius informatione, æstimatas fuisse Domos alienandas, edictaque publicata; Comparuisse oblatores, melioremque fuisse oblationem scutorum 575 pro domo S. *Angeli*, quam scutis 580. 14 Peritus æstimaverat; & scutor. 155. pro domo *Montis Murello* æstimata scutis 164. Oblationes autem, admonet, numeratam pecuniam non præseferre, sed tales esse, quod quinquennio emptores solvant trientes usuras compensativas, exactumque post quinquennium tot cedant pro pretio Census perpetuos, quatuor pro centenis reddentes.

Refert quoque, necessariam esse impensam scutor. 38.45. pro aliis reparandis binis domibus; itemque scutor. 215. ad domum colonicam ædificandam, de qua tamen sic habet = *Pro hac quidem in præsentiarum requiruntur tantum sc.* 35. *quia domus fere jam tota refabricata est; id tamen factum fuit ære alieno in summa scutorum* 180. *quibus colonus ipse* [*qui est Oratoris germanus frater*) *sub spe reintegrationis, se sua sponte oneravit* =

De necessitate, & utilitate alienationis primo dictarum domorum, deque reparationum indigentia, quoad duas alias, tum de ruralis domus ædificio, tum de Census perpetui impositione, Episcopus juxta petitionem opinatur. Unamque de omnibus rationem potissimè expendit, quod cum non habeat Cappellanus in ære, suppleatur oportet eo, quo fieri medio potest, ni Cappellaniæ rusticum prædium, simulque urbana in deterius abeant.

Non sic de Missarum reductione, quam circa inquit = *Tertia, & ultima petitio Forlani spectabat ad reductionem Missarum. Huic quidem petitioni EE. VV. refragraturas opinor. Nam fructus Cappellaniæ sc.* 110. *annuorum summam constituunt* =

Oratoris precibus obversari visum est Sodalitium S. Caroli,

 quod

quod jurepatronatus potitur. Sed mox destitit, & liti in actis renunciavit.

Contradictorem quoque se prebuit Nicolaus Giostra, exponens, Jurispatronatus Medietatem ad se pertinere. Monitus autem Jura sua hactenus non detulit.

Libellus Cappellani per manus circumfertur, in quo Episcopi informatio, ejusque Votum in partibus favorabilibus exornantur. Summis tamen labiis de missarum reductione rem pertractat.

Ad I. dignum observatione est, num expediat alienationi accedere favore oblatorum cum pactis, quorum meminit Episcopus in sua informatione; numque Cappellaniæ post quinquennium satis sit consultum ex promissa censuum tutorum cessione, sive expediat magis, quod pecunia numerata emptio venditio fiat, vel saltem expromissores dentur pro traditione censuum, ut supra, dummodo sint cum communitatibus aut Locis piis status ecclesiastici.

Ad II. Si ad alienationem juxta oblationes procedatur, habebitur utique investimenti species, non tamen poterit domorum pretium in restaurationibus exponi.

Ad III. Quoties autem, & reliquæ Civitatis domus reparationis indigeant, & in prædio præteriri non possit colonicæ casæ elevatio; toties ex consequenti census impositio necessaria videtur. Ponderandum vero, num illius extinctioni consulere deceat.

Ad IV. Ab Episcopi relatione constat, sumptum reparationum, & respectivi ædificii summam sc. 303. 45. non excedere. Hinc est, quod census imponendi usuræ recenseri fortasse poterunt in annuis sc. 15. sin vero hæc summa eleemosinæ jungatur Missarum, quibus Cappellanus diebus singulis obstringitur, adhuc nonnihil ex fructibus superest, qui ad annua scuta 110. conscendunt, veluti episcopus testatur, videndum propterea, an juberi deceat annuæ summæ depositum pro Census redemptione.

Quibus perpensis, dubia proponuntur.

I. *An sit locus alienationi duarum domorum Cappellaniæ, de qua agitur.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An pretium sit reinvestiendum, seu potius erogandum in restaurationem aliarum trium domorum ejusdem Cappellaniæ.*

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

III. *An sit locus impositioni census pro reparatione earumdem trium domorum.*

IV. *An sit locus reductioni missarum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 10. *Septembris* 1785. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda*

SUperſuerunt ex anteriore folio tres Cauſſæ in poſtrema Congregatione non propoſitæ, quæ primæ modò recenſentur, & cum ſex reliquis ſapientiſſimum EE. PP. judicium expoſcunt.

PERUSINA TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM. *Seſs.22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo concedenda ſit petita ad decennium translatio Miſſarum pro diebus ferialibus in caſu &c.

Affirmativè juxta Votum Epiſcopi.

NULLIUS FOROPOMPILIEN. *Seſs.25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum.*
Et quatenus negativè.
II. *An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.*

Ad primum negativè, & amplius.
Ad ſecundum eſſe providendum aſſumpta in ſeipſos a Canonicis celebratione unius Miſſæ quotidianæ.

RECINETEN. *Seſs.22. cap.11. de Reform.*

I. *An ſit locus alienationi duarum Domorum Cappellaniæ, de qua agitur.*
Et quatenus affirmativè.
II. *An pretium ſit reinveſtiendum, ſeu potius erogandum in*

reſtau-

restaurationem aliarum trium Domorum ejusdem Cappellaniæ.

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

III. *An sit locus impositioni Census pro reparatione earumdem trium Domorum.*

IV. *An sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè solutis interim fructibus ad rationem scut. 4. pro Contenario, & in fine Quinquennii numerato integro pretio ad effectum investiendi cum solitis clausulis, salvis quibuscumque juribus unicuique quomodolibet competentibus.

Ad II. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

Ad III. Affirmativè deposita quotannis summa ab Episcopo taxanda pro extinctione Census.

Ad IV. Negativè, & amplius.

Sess. 6. cap. 4. de Reform. Sess. 25 cap. 13. de Regular., & cap. 6. de Reform.

DERTHONEN. TRANSACTIONIS. Tres Parochiales Ecclesiæ in Oppido, seu Castro Salarum recensentur: nimirum alia S. Mariæ, quæ Papiensi Ordinario subest, alia S. Joannis Baptistæ, & alia S. Caloceri, utraque ad Diæcesim pertinens Derthonensem. Vacante Paræcia S. Joannis Baptistæ, collata eadem fuit Sacerdoti Petro Antonio Rebotti, qui Vicarii generalis munere apud Episcopum tunc fungebatur.

Cum ille jura obtentæ noviter Ecclesiæ perquisivisset, censuit esse plebanam, seu plebis caput, eique, veluti matrici, nonnullas competere supra Paræciam S. Caloceri præeminentias. Hinc quibusdam cum Parocho ejusdem S. Caloceri præmissis allocutionibus, litterisque ad eum datis, denique ad Episcopum ambo venere, scriptisque coram pactionibus, transactio, seu concordia inita fuit, cui uterque subscripsit, & authoritatem suam ad illius firmitatem Episcopus ipse interposuit.

Cum hæc mense Februarii 1769. confecta fuissent, statim Livius Bartholomæus Cavalli Parochus S. Caloceri mense Aprilis subsequentis secretam in actis protestationem emisit adversus initam concordiam, veluti Ecclesiæ præjudicialem suæ, declarans, a solo metu erga Vicarium Generalem reverentiali ad subscribendum fuisse seductum. Eamque deinde sub annum 1771. è latebris protestationem educens, liberè renovavit in actis iisdem, fecitque publici Juris.

Hinc

Hinc Petrus Antonius Rebotti Parochus S. Joannis Baptistæ, ut transactionis confirmationem obtineret, hanc Sacram adivit Congregationem, quæ ab Episcopo de more informationem, votumque petiit, datis litteris sub diem 22. Decembris 1771., & deinde rem perpendendam commisit clar. mem. Cardinali Stoppano ex decreto diei 25. Januarii 1772. Interim vero Partes ad acta judicialia coram ipso Derthonensi Episcopo venerunt, qui Vicarium Generalem Bobiensem subdelegavit. Dispunctis hinc juribus in plurium certamine mensium, denique mense Novembris ejusdem anni 1772. pronunciavit, transactionem esse servandam, & exequendam. Mox ad Archiepiscopum Mediolani, qua Metropolitanum devoluta est querela appellationis, cujus Vicarius in Civilibus generalis post nonnullas Fatalium prorogationes, anno 1781. declaravit, causam esse desertam.

Appellavit iterum Archipresbyter Cavalli; sed Archipresbyter Rebotti, re tota in precibus suis SSmo exposita, postulavit, obtinuitque, huic Sacræ Congregationi Caussam committi. Datæ idcirco fuerunt litteræ ad Archiepiscopum Mediolanensem, & ad Episcopum Derthonensem, quorum primus acta transmisit, & alter partes monuit, ut Jura sua in Sacra Congregatione producerent.

Quæstio est de validitate, justitiâ, & executione initæ inter utrumque Salarum Archipresbyterum transactionis. Ac summa transactionis est, Parochialem Ecclesiam S. Joannis Baptistæ, cui Rebottus præest, impropria matricitate gaudere supra Ecclesiam S. Caloceri, æquè Parochialem, cui preest Cavallus; eique idcirco competere prærogativam, sive præeminentiam in Sabbatho majoris hebdomadæ, tum Olea Sacra distribuendi Ecclesiæ Sancti Caloceri, tum peragendæ Sacri Fontis privativæ benedictionis cum Archipresbyteri, & Cleri alterius Ecclesiæ interventu, tum suas antepulsandi Campanas.

Cum præeminentiarum hujusmodi pertinentia ab matricitatis probatione descendat, illa idcirco in potissimam venit disputationem, substinente Archipresbytero Cavalli, omnia temporibus actis, imo ab immemorabili, per turnum confecta fuisse tres inter Archipresbyterales Paræcias S. Mariæ, S. Caloceri, & S. Joannis Baptistæ; Secus protuente Archipresbytero Rebotti, quod scilicet sua Ecclesia, tum in loco Salarum, tum penes Episcopos, tanquam plebana, & caput plebis habita, & nuncupata, semperque cum præeminentia honorata fuerit.

Gra-

Grave quidem esset, & Folii mensuram excederet plurimorum jurium relatio, quæ hinc, & inde diffusa oratione proponuntur. Illa Emi Patres a libellis Partium, quæ per manus distribuentur, habebunt.

Animadvertere dumtaxat non præteribo, suspectum nonnihil esse Breve Nicolai V. datum *Romæ anno* 1455. *decimo Kalendas Maii Pontificatus Anno Quarto*, quo utitur Archipresbyter Rebotti. Nisi enim illius amanuensibus error tribuendus sit, scimus Nicolaum obiisse die 23. Martii 1455., hoc est multo ante diem Brevi inscriptam; pariterque ad Pontificatum fuisse evectum die 16. Martii 1447. quare annus 1455. erat octavus, non quartus sui Pontificatus annus.

Ad rem videri opportunè poterunt *Card. de Luc. de decim. disc.* 13. *Rot. in Bisinianen. præeminentiarum* 10. *Februarii* 1710. *coram Ansaldo*, quæ inter ejus impressas est *in ordine la* 483. *tom*, 5., *& Resolut. Sac. Congregat. in Ariminen. præeminentiarum diei* 7. *Julii* 1731. *in Thesauro earumd. Resol. tom*. 5. *pag*. 161. *ad*. 163.

Placeat EE. VV. Dubio, quod proponitur, de Jure respondere.

An sit sustinenda transactio, seu conventio inita de an. 1769. *in casu &c.*

Iterum proponatur.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

MELEVITANA. Domum cum *tribus Apothecis* in Civitate Vallettæ sitam, & antiquo unius Missæ quotidianæ onere gravatam, Eques Georgius de Castellana Delvis emerat anno 1639., & transtulerat deinde in proximiores consanguineos cum fideicommissi vinculo, & cum obligatione tum Missis præfatis satisfaciendi ex Apothecarum pensionibus, tum in aliarum Missarum celebrationem, si quid ex iis superesset, erogandi.

Ab illius hæredibus, eodem sub onere Missarum ad Apothecas limitato, præfatam domum emit Hieronymus Fournier sub annum 1717.; selectisque peritis constitit, apothecarum reditus conscendere ad scuta m. [illegible] 45.,

quan

quanti eleemosyna Missae quotidianae ad Synodalem taxam tunc aestimabatur.

Cum ruinam antiqua admodum domus minaretur, quae fundationi Civitatis coaeva dicebatur, oportuit sumptuosis incumbere illius reparationibus. Ventum est ad annum 1753., cognitaque graviorum nova indigentia restaurationum, existimarunt Possessores, ut rebus consulerent suis, rem totam ad hanc Sacram Congregationem deferre; Narrarunt a peritiis resultare Apothecarum reditus fuisse scut. 45. melitensium, & idcirco praevia dictarum peritiarum approbatione declarari postularunt imposterum, ipsos eorumque Descendentes non teneri ad satisfactionem aliarum Missarum praeterquam quotidiani sacri. Sac. Congregatio, audito Episcopo, & relata caussa inter Summaria precum die 23. Junii 1753 rescripsit = *Attenta relatione Episcopi Melevitani benignè commisit eidem, ut veris &c. & facta per Oratores obligatione in forma juris valida pro se, suisque Successoribus de non petendo in futurum reductionem supradictae Missae quotidianae, ad enunciatam declarationem juxta petita pro suo arbitrio &c. procedat, atque deveniat* = prout *in libr. decret.* 1753. *pag.* 262., *&* 263.

Denique modernus totius Domus possessor Baro Georgius Fournier postulavit, quod, ipsius firma manente obligatione annuae solutionis scutor. Melitensium 45.; Missa quotidiana ad praesentem taxam manualium reduceretur; Cum enim antiqua taxa obolos 30. Melitae non excederet, & hodie ad 60., scilicet ad obolos 12. romanos, ex auctoritate SSmi aucta fuerit, nemo inventus est, nec invenitur Sacerdos, qui pro ea velit minori eleemosyna celebrare. Ita ut, cum adimplevisset Orator ad mensem Martium 1766., debuerit postea apud Episcopalem Curiam deponere scuta 405. pro Missarum celebratione ad Martium 1775.; omissis deinde depositis, quae, novit, otiosa fore mansura.

Episcopus de his semel, & iterum interrogatus, singula retulit, quae superius exposita sunt. Praetereaque narravit, adeo consenuisse domum anno circiter 1768., quod = *ob sui vetustatem* (sunt verba Episcopi) *nullius reditus, ac inhabilis reducta, in eversionem ibat, & celeriter à fundamentis reaedificandam esse censuerunt periti, non obstantibus reparationibus ingentis summae in ea a Hieronymo Fourner anno* 1718. *constructis, prout coactus fuit Baro Georgius recurrens propriis sumptibus, mediante ero-*

gatione scutor. 30. *mil Melitensium, illam totaliter renovare* = Quapropter intelligens, impossibilem fermè esse, ut quis haberi Sacerdos possit, qui celebrationi velit incumbere ad antiquam taxam manualis, modo in duplum adauctæ, votum precibus Oratoris adjunxit suum,

Dubium non est, antiquam manualis taxam a Diœcesana Synodo anni 1703. in granis 30., seu quadrantibus romanis 30., fuisse constitutam. Mox aucto dietim annonæ pretio, cœpit jugiter excrescere Missarum eleemosyna ad grana 40., hoc est ad nostros obolos octo. Denique Melitensis Clerus, tum Sæcularis, tum Regularis, precibus SSmo Domino Nostro porrectis pro manualis augumento ad grana 60., seu ad nostros obulos duodecim, iisque huic Sacræ Congregationi delegatis, factaque relatione die 9. Augusti 1777., exaudiri obtinuit, quoad perpetuas, quæ super aliquo fundo taxativè impositæ fuissent, veluti ex *Regestro Litter. Sacræ Congregat. lib.* 33.

Sed anno sequenti ad supplicationes Beneficiatorum, & Legatariorum Insulæ Melitensis, gratiam reductionis idem SSmus Dominus Noster ampliavit, deleta indagine de fundo taxativè, vel demonstrativè adiecto oneribus Missarum, vetita tamen onerum reductione, quæ universæ imposita essent hæreditati, si oneris ferendi juxta novam taxam sufficiens comperiretur, tum & ubi fundi, celebratione Missarum gravati, fructus redderent ad eamdem taxam oneribus sufficientes; prout in dicto *Regestro Litterarum libr.* 33.

Tertia tandem gratia reductionis accessit anno 1779., utràque sublata postremæ gratiæ anni 1778. limitatione, ipsismet Possidentibus, Clericisque Beneficiatis postulantibus, de qua in *dicto Regestro Litter. lib.* 34.

Quibus stantibus, Orator petit, duo infrascripta Dubia ab Sapientia EE. VV. definiri.

I. *An sit locus reductioni Missarum ad rationem eleemosynæ manualis anno* 1777. *ex auctoritate SSmi præfinitæ in Tarenis tribus, sive obolis duodecim mon. rom., & ad formam Rescripti reductionis anni* 1779.; *itaut tamen Georgius Fournier teneatur solvere annua scuta* 45. *Melitensia tantum ad formam Rescripti Sac. Congregationis anni* 1753.

Et quatenus affirmativè.

II. *An*

II. *An, & quomodo providendum sit quoad deposita facta pro Missis usque ad diem 24. Martii 1775., & quoad deposita non facta pro Missis ab illa die imposterum, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè

Ad II. Solvenda esse a Fournier annua sc.45. Melitentia a die 24. Martii 1775. illaque cum scut.405. jam depositis eroganda esse in celebrationem tot Missarum servata quantitate aucti stipendii.

ASISIEN.. Noverat in Sacra Visitatione Asisii Episcopus, abusus nonnullos in rebus piorum Sodalitiorum ministrandis, aliisque actibus, tum in Civitate, tum in Diæcesi, adversus rectam agendi rationem inductos fuisse. Ut illos ergo comprimeret, ordinemque restitueret, edictum publicum, typis impressum, proposuit die 24. Aprilis anni superioris 1784., in quo sex comprehenso capitulis, plurima ex ordine servanda decrevit. *Sess.22. cap.8., & 9. de Reform.*

Querelas detulerunt suas ad hanc Sacram Congregationem Sodalitia, & illa nominatim SS. Jacobi, Antonii, & Catherinæ, Tertii Ordinis Secularis S. Francisci, ac Sac. Stygmatum. Interrogatus Episcopus diffuse rescripsit, rationes, causas, & circumstantias exponens singularum legum, quas in Edicto prescripserat, & quarum infra redibit sermo opportunus.

Adsunt itaque soli prefatarum Societatum Sodales, sua tantum propria jura, non aliarum Societatum proferentes; Neque in omnia insurgere, quę in edicto mandata sunt, coram me professi sunt, sed in ea dumtaxat, quę sub dubiis infrascriptis perstringuntur.

Ad I. Cum in edicto præscribatur, Vicarios Foraneos in Diæcesi esse monendos, & in Civitate Ordinarium, de habendis Congregationibus, ne sine preside illę fiant; de his quęstio proponitur. Episcopus, cur ita mandaverit, exponens, sic habet = *Et hic præmittendum, qua de Causa ita decernendum existimaverim. Confraternitates omnes congregantur in hac Civitate ad differentiam Foranearum, absque eo quod sit, qui eijdem præsideat, quare liberum est congregatis pro ingenio, quod magis lubet, decernere, etiam adversus Principem, Sacras Congregationes, Religionem, & in spretum ejusdem Episcopi, uti in prædecessorem meum, & in me pariter, non absque dignitatis, & characteris abiectione patrarunt* =.

Ad hæc Sodales inficiantur in primis, eorumdem in Congregationibus quidquam ullo unquam tempore dictum, actum, gestumque fuisse, in quo peccaverint, & redarguendi sint. Nec in re tam gravi, turpique flagitio, satis Episcopo dixisse est, nisi, veluti decet, probarit. Neque ex facto manere, sine præside Congregari. Profecto quinam eorumdem Priores, & Rectores sunt, nisi totidem præsides, quos Episcopus ipse ad Sodalitii, & Sodalium laudat, & adprobat moderamen?

Verum inciviliter, inquiunt, eo pergit Episcopus, ut sub certiorationis specie nativam sese Congregandi libertatem Sodalibus imminuat. Siquidem eo ipso, quod Confratrum collegium legitimè erectum fuit, consequens statim fit ex ipsa Collegii natura, congregari libere posse, nec Ordinarii facultate indigere; in quibus conveniunt *Frances. de Eccles. Cathedr. cap.* 25. *num.* 330. *Barbos. apost. decis. collect.* 207. *num.* 12. *Ricciul. lugubr. eccles. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. *Monacell. formul. tom.* 1. *tit.* 6. *numer.* 17., & *seqq. Ferrar. bibliothec. verb. Confraternitas art.* 3. *num.* 30., & *seq. Bassi de Sodalit. quæst.* 14. *numer.* 17.; & secus tantum procedere in iis personarum cætibus, qui Collegium non constituunt, docuit *Rota in dec.* 2174. *num.* 1., & 8. *cor. Coccino*.

Ad II. Concedunt Sodales, in extraordinariis Congregationibus intimationes omnibus esse mittendas, negant in ordinariis. Ratio est, quod ex antiquiore sodalitiorum consuetudine constat omnibus, Congregationes fieri post processiones, cum ad proprias redeunt ecclesias. Quoties hinc certa est dies præstituta, toties nulla amplius monitio, seu interpellatio requiritur ad *textum in Leg. Magnam Cod. de Contrahen. stipulat. Altograd. cons.* 31. *num.* 6. *Rot. dec.* 769. *num.* 2. *coram Dunozett. jun. dec.* 423. *num.* 7. *coram Peutinger. decis.* 1243. *numer.* 12. *coram Molin.* Quid autem diuturna consuetudo præfert, nisi legem non scriptam, quam decet omnino servari? Quemadmodum jubet *Textus in leg.* 33. *ff. de leg.*, & *in leg.* 37. *ff. eodem ac Imperator in §. fine scripto Instit. de Jur. natur. Gent.*, & *Civil.* Eamque consuetudinem, cum bene novisset Episcopus Sermattei, firmam, immotamque voluit manere in *sua diæcesana Synodo tit.* 21. §. 7.

Sed ideo intimationes jussisse, refert Episcopus, quod observarit omnes fieri Congregationes, deliberationesque, cum Sodales redeunt a *templo divæ Mariæ Angelorum, quo se conferunt processionaliter, facto itinere duorum mille passuum circiter per acclivem viam.* Et hinc prosequitur, fit = *ut nemo ex*

Sa-

Sacerdotibus , Nobilibus , & politioribus civibus dd. ſupplicationibus interſit præ nimio itineris labore , ſed tantummodo ruſtici , & pauperes omnis culturæ , & litteraturæ prorſus expertes congregantur , & quidquid negociosis perpetuis rectoribus , aliisque eorumdem officialibus in mentem venit , ignari cæteri confratres circumducti decernunt juxta ſupradictorum utilitatem , & voluntatem ; & Seniores , probique Viri , qui pro ſe præſumptionem habent ex eorum Conditione , facultatibus , & ingenio , inſcii, raro aut nunquam interſunt =

Reponunt autem Sodales , infrequentes admodum eſſe ad S. Mariam Angelorum ſupplicationes , ſed frequentiores intra Civitatem , quibus nimius itineris labor equidem abeſt . Deinde qui vetat Sacerdotibus , Nobilibus , Senioribus , probiſque viris in confratrum reditu, ſaccum induere , & comitiis adeſſe ? Deſunt ergo volentes , non ignari , cum apprimè calleant , quod in Sodalitiorum more poſitum eſt .

Ad III. , & IV. Niſi pluralitas ſuffragiorum in comitiis accedat , edictali lege Sodales vetantur = *di fare alcuna ſpeſa* = & quoties impenſa ſummam ſcut. 3. excedat , toties veniam ab Ordinario compelluntur expoſcere. Difficilis sanè ſodalibus prima lex eſt , & fermè impoſſibilis , ut ad praxim redigi poſſit . Quem etenim latet , in facultatibus eſſe adminiſtratorum ordinarios facere ſumptus minuſculos , atque etiam extraordinarios , qui urgent ? Si de obolis comitia evocanda forent , jam nulla Sodalibus requies , quotidieque exerceri adeo deberent , quod rebus incumbere nemo poſſet ſuis . Omnibus idcirco adminiſtratoribus arbitrium in iis donatur , quo ſi abuti contingat , in redditione rationum correctionem debent expectare , ſive etiam emendationis penſum ſubire .

Difficilem quoque legem, inquiunt, eſſe de tot petendis veniis quot ſummam ſcut. 3. ſumptus vix excedunt . Libera etenim Sodalibus eſſe debet adminiſtratio ad tradita per *Monacell. formul. tom. 1. tit. 6. form. 11. num. 6. Baſſ. de Sodalit. quæſt. 7. num. 7. , & quæſt. 15. num. 13. Pignatell. conſult. 71. num. 4. tom. 6. , & Ferrar. Bibliot. Verb. Confraternitas art. 3. num. 23.* Haud faceſſente diæceſana Synodo deceſſoris Epiſcopi . Nam etſi ſumptus in ea vetiti fuerint ultra ſcuta tria , ordinarii tamen , & neceſſarii fuerunt excepti .

Ad V. Societas Sacr. Stygmatum nihil , quod objiciat, habet . Duæ reliquæ , prout conveniunt de pecuniarum depoſito , quæ a cenſuum extinctione , aliiſque Capitalibus procedunt , ita in legem obnituntur , a qua depone-

nere cum vinculo investiendi, prævia ordinarii approbatione, jubentur. Si namque maneat, oportet, libera Sodalibus ministratio; Sique unum reservatur Episcopis a Tridentina Synodo Jus rationum exigendarum; jam a nova lege libertas delebitur omnis, & Sodalibus ministeriali servitute relicta, rerum dispositio universa in episcopum transferetur. Longæva temporis acti consuetudo secus probavit, rebus elegantissime gestis, quas, & in rationum computationibus ipsemet Episcopus sæpè laudavit.

Ad VI. Non abnuunt eædem binæ Societates jussa dotium deposita conficere; & laudant, posse puellas dotalia legata, quam citissimè licet, excipere. Negant tamen fieri deposita continenter posse, cum dotium fiunt distributiones. Sicuti enim ab urbanorum, rusticorumque prædiorum reditibus, & ab usuris censuum, non a locis Montium, valor dotium retrahendus est, ita nec parata, ut plurimum, pecunia manet in arca, prout nec parati semper debitores sunt, nec fructus terræ ita solliciti, ut dies dotationibus statas præveniant. Itaque ex suppositi, & substantiæ defectu haud exequibilis lex est. Sin vero Sodalium aliquem esse debendo, Episcopus noverit, decet ad solvendum compelli juris remediis. Cæterum, quidquid de aliis sit, cum ipse rationes duarum Societatum ad totum annum 1783. expungendas Ratiocinatori mandaverit, benè actas intellexit administrationes, & sua scripta approbatione munivit.

Ad VII. Binos, jubet edictum, codices habendos esse, alium scilicet resolutionum, & alium administrationis, in quo facultates etiam ab Episcopo pro sumptibus, & investimentis datæ adnotentur. De priori Codice non conqueruntur. Dolent secundo. Nam Sodalium quilibet liberculum scribit administrationis, cui præponitur; neque Ratiocinator rationibus, ut supra, delegatus, quidquam invenit non benè, sive negligenter in illis conscriptum. Sed Episcopus, inconcinnos fuisse repertos, refert, nonnullos liberculos, & ad intelligendum difficiles. Quo possint medio hæc conciliari, non satis intelligere, Sodales profitentur.

Ad VIII. Admittunt Societates SS. Jacobi, Antonii, & Catherinæ, ac Tertii Ordinis S. Francisci, utendum esse secretis suffragiis, non viva voce, in officialium electionibus. Negant Sodales Sacr. Stygmatum. Singulæ vero conjunctis viribus insurgunt, ne probetur, duas ex tribus partibus accedere electioni opportere. Cur equidem, ait Societas Sacr. Stygmatum, erunt reproban-

dæ

dæ officialium electiones viva voce confectæ? Non enim res eſt de Epiſcopo Eccleſiæ dando viduatæ, de cujus electione ſecretis committenda ſuffragiis diſponitur *in Cap. quia propter de elect.* Neque res eſt de aliorum prælatorum electionibus, ad quas *Gloſſa in d. Cap.* ampliat canonicam diſpoſitionem; Sed de impropria electione exercemur, in qua conſenſus naturalis, ſive ſcriptis, ſive factis explicitus, ſatis eſt; veluti diſtinxit *Rota deciſ.* 558. *num.* 2. *coram Caprara*,

Eo minus, Sodales conjunctim proſequuntur, legem eſſe admittendam de electionibus non aliter confirmandis, niſi duæ ex tribus ſuffragiorum partibus conveniant. Si namque ſuffragiorum pluralitas in Epiſcopi, & Prælati electione latis eſt, veluti in *d. Cap. quia propter*, cur in officialium impropriis electionibus, duas tertias partes eſſe neceſſarias, decernetur? Sed hanc in actis temporibus ſervatam ſemper fuiſſe a Sodalitiis conſuetudinem eligendi, *Epiſcopus refert.* Sodales ex oppoſito inficiantur.

Ad IX. In ſua informatione rationem addit Epiſcopus, cur in edicto mandaverit, coram ipſo Officialium buxulos confici: Quod nimirum = *magis idonei, divites, & probi excluduntur*; *ita ut iidem sint, qui proprio marte viciſſim ſe proponentes, ſemper dominentur* = At ſodales reponunt, nonne ipſe concedit, Schedulas hujuſmodi, ſeu buxulos ad ſe deferri, ut, ſi placeat, probet? Cur ergo in hanc diem non delevit conſcriptorum nomina, ſubrogatis idoneis, & divitibus, ſibi magis beneviſis? Quoties propterea illi eſt ſubrogandi lata facultas, toties de buxulis conficiendis minuſcula libertas non videtur ſodalibus invidenda.

Ad X. Hujus diſputatio dubii ad unam Sacr. Stygmatum Societatem pertinet. Factum ita ſe habet. Pendente adverſus edictum in hac Sacra Congregatione recurſu, præfata Societas die 28. Decembris anni ſuperioris ad Rectoris electionem priſtino more devenit. Sed Epiſcopus, re ad Sacr. Congregat. delata a ſuo promotore fiſcali, cum in mandatis habuiſſet, quod provideret & juberet prout in precibus promotoris, electionem circumſcripſit, novoque indicto Sodalium conventu die 6. Februarii hujus anni, alius fuit Rector electus. Prout igitur ſodales exiſtimant, canonicam fuiſſe primam Rectoris electionem, ita Epiſcopum ad illius circumſcriptionem, cum omnibus inde ſecutis, nulliter proceſſiſſe, defendunt.

Sodalium hæc jura ſunt. Dignum obſervatione in primis eſt, quod etſi *Ferrar. in Biblioth. verbo Confraternitas art.* 3. *num.* 33. plures congreget DD., quibus ſodalitia

tia in libellis suis utuntur, negantes, posse Episcopum vetare, ne sodalitia absque sua licentia congregationes habeant; Admittit tamen, in illius arbitrio reponi, si velit, congregationibus per se ipsum, sive delegatum suum interveniendi, *ibidem num.* 16. *&* 17. Quocirca consequens esse videtur, jubere posse, quod de habendis Congregationibus certior ipse fiat: Sæpè namque frustranea evaderet accedendi voluntas, nisi opportunè moneretur. Hinc distinctione conciliari Sententiæ fortè possent, ut scilicet sodales petere veniam compellendi non sint, compelli tamen posse ad Episcopum certiorandum.

Cœterum, etsi *Baff. de sodalit. quæst.* 14. *num.* 7. contra Episcopum teneat, deinde Sententiam mutavit *in sua Miscellanea post quæst.* 20. *num.* 12. & iterum *num.* 14. ubi refert, ita quoque decrevisse *Synodum Taurinensem Episcopi Bejumi, Synodum Farfensem Card. Barberini, & Synodum Lucanam Card. Spinolæ*, & in eamdem Sententiam post *Amostaz.*, *Bordon.*, & *Pignatell.* regressus fuit *Monacell. part.* 1. *tit.*6. *in adnot. ad Formul.* 11. *num.*21. redditque rationem idem *Baff. loco citato*, quod nempe Vicarii interessentia conservat sodalium libertatem, non lædit. Et latè convenit *Pignatell.* in egregia *consult.* 128. *per tot. tom.* 9.

Ad querelam de investimentis, nisi cum ordinarii assensu, conficiendis, decet observare, posse contingere, nec fortasse in aliis societatibus non sæpè contigit, quod investimenta cum personis malè tutis gratiosè fiant. Quid his in circumstantiis proderit sodalitiis posterior Episcopi animadversio? Sæpissimè nihil. Difficilis namque adversus officiales semper erit latæ culpæ, dolique probatio. Hinc consultè magis agere videtur Episcopus, si prænoscat, periculoque provideat; veluti dixit expertissimus *Pignatell.* in laudata *Consult.* 128. in qua consuetum objectum etiam solvit de computorum reservato Episcopis examine a Synodo Tridentina.

De sumptibus ultra certam summam absque ordinarii venia non conficiendis, lex nova non est. In *Synodo Firmana cl. me. Card. Paracciani lib.* 4. *cap.* 3. §. 7. sic decernitur. *At ei* (Æconomo) *liberum non sit pro arbitrio illos expendere, & ubi non ordinaria occurrat sumptus faciendi causa, si quinque nummorum summam excedat, sodalium assensus, & nostra insuper authoritas intercedat, necesse est. Qui secus fecerit, ære proprio tantumdem societati pendere teneatur* = sic pariter *in Synodo Tusculana Celsissimi, & Eminentissimi Cardinalis Ducis Eboracensis*

sis cap. 7. §. 12. = *Si ad id major, quam viginti Julicrum, summa requiratur, officialium omnium consilium, & consensus requiratur omninò; Si vero plusquam decem Romana scuta sint expendenda, præter officialium omnium consensum, Vicarii nostri licentia, in scriptis tradenda, requiratur* = ibique ad rem allegantur aliæ Synodi, scilicet *Tusculana anni* 1703. *Albanen. anni* 1687. *& Sublacensis anni* 1674.

Num reditus ad jussa dotium deposita possint esse parati, res facti est ex Sodalium parte non satis illustrata. Fortè præsumptio favet Episcopo, ejusque legi, contrariis deficientibus probationibus. In laudata *Synodo Tusculana loco citato* §. 13. decernitur = *Quoad subsidia dotalia, quæ solvi ab aliqua sodalitate quotannis debent, ut nubere puellæ possint, pia testatorum voluntas suum omnino sortiatur effectum, quare aliis omnibus, quamquam necessariis, posthabitis sumptibus, antequam puellæ Dotem accepturæ seligentur, subsidia dotalia in sacra Æde, quam pietatis montem dicunt, omnino deponantur. Iniquum enim est &c.*

Num justa, vel secus, lex sit de retinèndo administrationis codice, observandum videtur, quod idipsum præcipitur in citatis *Synodis Firmana, & Tusculana*, imo alii tres jubentur Codices diligentissimè conscribi: ut in *prima lib.* 4. *cap.* 3. §. 8. & in alia *cap.* 17. §. 14.

Quoad legem de Buxulis coram Ordinario conficiendis, decet advertere, quod etsi Episcopus possit illos delere, attamen certum est, sodalibus quamdam ex deletione injuriam irrogari; quia turpius quis eiicitur, quam non admittitur. Detineri ergo ea de causa Episcopus quandoque debet. Idcirco hujusmodi lex non oscitanter, sed oculate conscripta videri posset.

Dubia, quæ proponuntur sunt.

I. *An sustineatur Episcopi edictum in ea parte, in qua Confraternitatum officiales jubentur certiorem facere Episcopum in Civitate, & Vicarios foraneos in Diæcesi de Congregationibus habendis, ne conveniant sine ipsius, seu Vicariorum interessentia.*

II. *An sustineatur edictum in ea parte, in qua mandatur intimari omnes, & singulos sodales in propriis domibus, ut intersint Congregationibus, tam ordinariis, quam extraordinariis.*

III. *An sustineatur edictum in ea parte, in qua vetitum fuit administratoribus Confraternitatum facere expensas cujuscumque generis usque ad sc. 3. sine collegiali consensu in pluralitate suffragiorum præstito.*

IV. *An substineatur edictum in ea parte, in qua sancitum fuit, quod si expensæ cujuscumque generis excedant sc.3., præter approbationem majoris partis confratrum, impetrari debeat Episcopi licentia.*

V. *An substineatur edictum in ea parte, in qua jubentur confraternitates, seu illarum Officiales deponere in æde sacra Asisii sortes censuum, aliorumque Creditorum in casu restitutionis cum vinculo investimenti; itemque vetantur ad investimenta procedere absque ordinarii approbatione.*

VI. *An substineatur edictum in ea parte, in qua mandatur fieri depositum in æde Sacra subsidiorum dotalium, statim ac facta fuerit extractio, seu nominatio puellarum ad eadem subsidia.*

VII. *An substineatur edictum in ea parte, in qua jubetur confraternitatibus, ut præter retentionem libri resolutionum, quæ in congregationibus capiuntur, conficiatur alius codex administrationis æconomicæ cum adnotatione facultatum ab Ordinario pro faciendis sumptibus, & investimentis datarum.*

VIII *An substineatur edictum in ea parte, in qua decernitur, electionem officialium faciendam esse per secreta suffragia, non viva voce, ac insuper conclusam non censeri, nisi concurrant duæ ex tribus partibus suffragiorum.*

IX. *An sabstineatur ædictum in ea parte, in qua mandatur, Buxulos officialium fieri coram ordinario, vel persona ab eodem deleganda, & extractiones fieri præsentibus omnibus sodalibus.*

X. *An sit locus circumscriptioni Congregationis habitæ die 6. Februarii 1785. in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

PLA-

PLACENTINA DIVISIONIS PAROCHIARUM UNITARUM. Quæ olim unitæ fuerant duæ parochiæ: alia scilicet Villarum *Retorti*, & *Sylvæ*, & alia Villæ *Rompegi*, iterum dissolvi postularunt Incolæ earumdem Villarum *Retorti*, & *Sylvæ*. Caussa super dissolutione acta est in Congregatione diei 13. Aprilis 1726. In qua duo dubia proposita fuerunt = I. *An sit locus dissolutioni unionis ecclesiæ parochialis villarum Retorti*, & *Sylvæ ab altera ecclesia parochiali Villæ Rompegi*, *sive potius servanda sit unio*. II. *An modernus parochus ecclesiæ Rompegi teneatur ex nunc restituere omnes redditus alterius ecclesiæ parochialis dd. villarum Retorti*, & *Sylvæ pro substentatione novi Rectoris* = iisque Sac. Congregatio rescripsit = *Cappellanus curatus pro nunc constituatur in ecclesia S. Mariæ loci Retorti expensis parochi*, & *scribatur Episcopo juxta instructionem* = quemadmodum habetur in *Thesaur. Resolut. tom.*3. *pag.*304. *Sess.* 21. *cap.*4. *de Reform.*

Instructio hæc fuit, scilicet primò, ut Episcopus, citatis interesse habentibus, *capere faceret mensuram latitudinis Torrentis seu fluminis Nuræ in loco, in quo pedagium constituendum est*, & *in præteritis constitutum fuit* = Secundò, quod S. C. instructam redderet de quantitate redituum, tum certorum, tum incertorum, *qui remanerent pro parocho S. Michaelis*, *quoties fieret dismembratio Ecclesiæ S. Mariæ*, & *huic bona assignarentur*, *quæ ad ipsam ante unionem pertinebant* = Tertiò, quod referret *de præcisa quantitate bonorum*, & *redituum ad ecclesiam S. Mariæ pertinentium* = Et denique, *quid instantes pro nova construenda parochia in ecclesia S. Mariæ intendant quolibet anno contribuere pro novi parochi manutentione*, *quomodo se obligare intendant*, & *an prætendant*, *quod præsentatio novi parochi ad ipsos pertinere debeat* =

Acceptis Episcopi litteris responsivis, caussa fuit iterum relata in folio Congregationis diei 19. Junii 1728., in eoque exponitur Episcopi ad instructionem responsio, ac respectiva petitionum solutio. Cum autem proposita fuisset in sequenti Congregatione diei 10. Julii ejusdem anni, vidissentque Eminentissimi PP., non omnibus postulatis Episcopum fecisse satis, rescripserunt = *Dilata*, & *scribatur Episcopo juxta instructionem* = in dicto *Thesaur. resol. tom.*4. *pag.*198., & 199. Perquisita fuit, sed non reperta in *regestro Epistolarum illius anni* hæc alia Instructio. Cæterum probabile admodum videtur, quod Sac. Congregatio ab Episcopo iterum instrui de iis expetiverit, quibus Episcopus nondum fecerat satis, veluti in man-

mandatis habuerat : Scilicet *tum super supplemento congruæ assignandæ in casu dissolutionis unionis , tum super jure præsentandi parochum* .

Ex illa die caussa siluit. Sed homines Villarum *Retorti*, & *Sylvæ* post tanti fugam temporis , veluti experrecti , antiquam resumpsere postulationem, novo huic Sacræ Congregationi oblato Libello pro unionis præfatæ dissolutione .

Requisitus de More Episcopus super novis precibus, rescripsit ,= *Ex sumptis informationibus comperi , dd. ecclesias in alpestribus montibus Vallis Nuriæ duo ferè milliaria , interposito torrente , invicem distare . Utramque Rampegi scilicet cum adnexa Canadelli , & Retorti paræciam focolarios sexaginta circiter pro unaquaque complecti . Omnes ab immemorabili tempore , quo vero titulo , quave auctoritate , ignoratur , unitas ab uno pastore regi consuevisse , ac in triticea præstatione , quæ a singulis focolariis in uniformi quantitate præstatur , parochialem reditum consistere , ducatus aureos de camera sexaginta quinque vix attingentem . Hinc pro effectu divisionis necessitas resultabat , ut etiam parocho Ecclesiæ Rampegi præficiendo, attenta memorati reditus tenuitate , vel ex parte incolarum hujusce paræciæ , vel ex parte petentium separationem , congruum ad ejus sustentationem fieret supplementum,quod ex neutra parte obtineri potuit* .

Exponit deinde , diù paræciam vacasse , ipsumque distulisse indicere concursum , ut populum , si posset , componeret ; ac denique ad provisionem , servata Concilii forma , processisse .

Jura utriusque partis coram se producta , binisque foliis compræhensa , adiungit litteris suis , & concludit = *Interim ego præcipuam dedi operam , ut Cappellanus Curatus in ecclesia Retorti sumptibus Parochi juxta alias demandata ab isto Sacro Ordine deputaretur , & de facto deputatus extitit cum assignatione maximæ partis proventuum ejusdem paræciæ . Adhuc tamen dd. Villæ minimè acquiescunt, acerrimè insistentes pro effectiva separatione ; Sed illas* Ego *inducere non valui ad ullam parocho Rampegi , ad modum Canonis , præstationem faciendam , quod juri consentaneum mihi videbatur , tum in signum antiquæ subiectionis , tum ut aliquo modo eidem parocho , non habenti congruam , consultum esset* =

Ad I. Hactenus porrectus mihi fuit hominum Retorti , & Sylvæ libellus . Facilem verò , planamque , ajunt , esse parochiarum dissolutionem , statimac , sive cessasse caus-

sas,

ſas, conſtat, quæ unionem conſuluerunt; ſive novas acceſſiſſe cauſſas, intelligitur, cur diſſolutionis neceſſitas advenerit. *Rebuff. in prax. tit. de revocand. union. num.*3. *ad* 38. *Recluſ. de re paroch. tit.* 12. *num.* 102. 103. & 104.

Utique defuit unionis antiquior cauſſa. Nam bellis extinctis, aliiſque defectis calamitatibus, incolarum numerus non exiguus redditus eſt, auctis focis, ſivè familiis ad ſexaginta circiter. At ex hoc ipſo Incremento, quod vetuſtæ cauſſam unionis præcidit, nova enaſcitur diſſolutionis ratio. Prout enim frequentior populus eſt, frequentiores quoque fiunt utendi Parocho neceſſitates. Frequentioribus autem hujuſmodi neceſſitatibus obſtat diſtantia duorum mille paſſuum; obſtat iter impervium, difficile, montuoſum; obſtat Nuræ flumen, quod, in hyeme præſertim, maximè expanditur, grandiorique impetu fluit.

Neque rem faceſſere, ſuppleri utique poſſe deputatione Cappellani Curati, quemadmodum Sac. Congregatio in propoſitione anni 1726. pro interim mandavit. Nam jure ſuo populus utitur, ſi cauſis unionis everſis, paſtorem, non mercenarium, poſtulat ſibi reddi. Jureque item utitur ſuo, ſi propter longum, difficilemque acceſſum ad Paræciam, vocemque paſtoris audiendam, petit alterius deſtinationem parochi, qui miniſtret, edoceat, ipſorumque ſpiritualibus neceſſitatibus perſonaliter adſit. In his etenim circumſtantiis, quas Tridentina Synodus prævidit *Seſſ.*21. *cap.* 4. *de Reform.* novos paſtores conſtitui, decrevit, non Cappellanos curatos.

Ad II. ſi, diſſolutioni jus eſſe, decidatur, quæ irrepere, inquiunt, dubietas poterit in juſtiſſimam legem, quæ, ſocietatibus finitis, jubet, reddi unicuique ſuum? Veluti opportunè adnotavit *Recluſ. de re parochial. part.* 1. *tit.* 12. *num.* 105. Ergo, cum ex Sacra Viſitatione anni 1743. planè conſtet de bonis ad eccleſiam *Retorti* pertinentibus, maximè decet, quod in diſſolvenda unione ad illa redintegretur.

Sed pauper manebit ſine juſtæ menſura Congruæ Parochus *Rompegi*. Maneat, proſequuntur homines Retorti, & Sylvæ, ſitque deinceps, ut, priuſquam uniretur, erat. Num vexare licebit eoſdem, ut onera hominum Rompegi ipſi bajulent? Non equidem. Sed aliis eſſe mediis utendum, ſive ſcilicet alicujus ſimplicis beneficii unione, ſive Parochianorum contributione, quæ ſufficiat ad Parochi vitam ſuſtentandam; veluti in diſmembrationibus

ſan-

sancivit *Synodus Trident. in dicta Seſſ.* 21. *dicto cap.* 4. *de Reform.*

Ad hæc quæ ab hominibus *Retorti* , *&* *Sylvæ* proponuntur , obſervetur opportet, hactenus latere unionis initium, quod plurium ſæculorum edacitas ab hominum memoria delevit . Nam , ſi fidendum ſit folio Parochi Rampeggi , quod ſuis Epiſcopus litteris incluſit , antiquior viſitatio anni 1579. præexiſtentem ſupponit unionem ; & ipſe Epiſcopus in ſua informatione illam, refert , eſſe immemorabilem . Latet igitur , quæ unionis cauſſæ fuerint , & fortè incolarum decrementum fuit . Sed cur eſſe nequivit eamet parochiæ Rampegi paupertas , quæ adhuc eadem manet . Ambigua res eſt . Sin autem hæc paupertas fuiſſet , illius revocationi videretur obſtare diſpoſitio *Tridentinæ Synodi in d. Seſſ.*21. *cap.*5. *in fin. de Reform.*

Videndum idcirco ſupereſſet , num quæſtio magis pertineat ad diſſolvendæ unionis terminos , ſeu potius ad terminos diſmembrationis ; quo in caſu poſteriore certe quidem congrua novo parocho præſtanda eſt , quin tamen a ſua congrua prior parochus deiiciatur .

Reſumptis itaque foliis ſupracitatis, Juriſprudentiæ EE.VV. erit reſpondere ſequentibus dubiis .

I. *An ſit locus diſſolutioni unionis eccleſiæ parochialis villarum Retorti* , & *Sylvæ ab altera eccleſia parochiali Villæ Rompegi* , *ſive potius ſervanda ſit unio* .

Et quatenus Affirmative quoad primam partem .

II. *An modernus parochus eccleſiæ Rampegi teneatur ex nunc reſtituere omnes reditus eccleſiæ parochialis Villarum Retorti* , *&* *Sylvæ pro ſuſtentatione novi Rectoris in caſu &c.*

ALA-

ALATRINA. Proposita fuit hæc Caussa in anteacta Sagra Congregatione, placuitque EE. VV. rescribere = *dilata* = sic indulgentibus postulationi defensoris Familiæ de Rubeis, dilationem petentis ad sequentem. Itaque sub iisdem dubiis reproponitur, quæ sunt. *Sess.*25. *cap.* 9. *de Reform.*

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis.*

II. *An sit standum in primo. vel secundo loco decisis.*

III. *An sit standum, vel recedendum a decisis.*

IV. *An, & contra quos constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda in casu &c.*

TUDERTINA REDUCTIONIS. Habent EE. VV. hujusce relationem Caussæ in folio distributo pro Congregatione diei 24. Junii Anni superioris, nuper impresso in *Thesauro resol.* 1784. *pag.* 182., & *seqq.* Cum in ea Congregatione dubium fuisset propositum = *An, & quomodo sit locus reductioni* = datum est responsum = *Negativè, & ad mentem* = Mens fuit, *quod quatenus verè constet, capitalium scutorum octo millium defecisse scuta tercentum, quæ, ut asseritur; Carolus Pervisani in proprios usus convertit, Episcopus juris remediis cogat hæredes ad reintegrationem, & referat, cur scuta viginti tantum solvantur Sacrario, cum ex voluntate testatoris solvi debeant scuta* 30., *& qua ex Causa* = Cappellanis verò non acquiescentibus, iterumque sub consueto dubio reproposita caussa, EE. VV. die 11. Decembris sequentis rescripserunt = *dilata*; *& expectetur relatio Episcopi* = *Sess.*25. *cap.* 4. *de Reform.*

Cum denique relatio advenerit, monet Episcopus, Carolum Pervisani, primum pii testatoris hæredem, scuta tercenta ex octo millibus verè in suos usus convertisse, sed breviter reintegrasse; ita ut loca montium 72. variarum erectionum pro Cappellaniis emerit, & assignaverit, quæ valorem scutorum octo millium punctim constituebant. Cujus rei ipse Episcopus litteris suis inclusit fidem Notarii succinctam.

Quo vero ad scuta triginta ex testatoris præcepto solvenda Sacrario, quorum scuta tantum viginti modo solvuntur, scri-

ſcribit ita = *Quod attinet ad quantitatem ſummæ perſolvendæ Sacrario eccleſiæ , in qua adimplentur legata a provido teſtatore demandata , mihi relatum eſt , triginta ab hinc annis circiter , eam perſolvi in annuali ſumma ſc.24. , quorum quatuor perſolvuntur exactori Locorum Montium , quamvis ex voluntate fundatoris quotannis eſſent ſolvenda ſcuta triginta . Hujuſmodi autem imminutionis cauſa repetitur ex decremento Locorum Montium ob ſecutas extractiones , adeoque cum imminuti fuerint Cappellaniarum reditus , Cappellani pro tempore decreverunt etiam portionem aſſignatam prædicto Sacrario* =

Sic itaque Sacræ hujus Congregationis adimpleta mente , Cauſa reproponitur , rogatis EE. VV. reſumere folia , quæ ſupra monebam .

Dubium eſt .

An ſit ſtandum , vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Novembris 1785. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda

EX iis, quæ describuntur in præsenti folio, Caussis, primæ tres in præterita Congregatione præ temporis angustia propositæ non fuerunt, reliquæ hodie primum proponuntur.

PLACENTINA DIVISIONIS PAROCHIARUM UNITARUM. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

I. *An sit locus dissolutioni unionis Ecclesiæ Parochialis Villarum Retorti, & Sylvæ ab altera Ecclesia Parochiali Villæ Rompegi, seu potius servanda sit unio.*

Et quatenus Affirmativè quoad primam partem.

II. *An modernus Parochus Ecclesiæ Rompegi teneatur ex nunc restituere omnes reditus Ecclesiæ Parochialis Villarum Retorti, & Sylvæ pro sustentatione novi Rectoris in Casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

ALATRINA. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis.*

II. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis.*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis.*

IV. *An, & contra quos constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda in Casu &c.*

Ad I. Recedendum a decisis.

Ad II. in primo loco decisis.

Ad III. Recedendum a decisis, & relinquendum arbitrio Episcopi.

Ad IV. Negativè in omnibus.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

TUDERTINA REDUCTIONIS.

An sit standum vel recedendum a decisis in Casu &c.

In Decisis, & Amplius.

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

FIRMANA. Ex duobus piis Sodalitiis, altero sub invocatione SS. Sacramenti, altero S. Mariæ Suffragii, quæ inter cætera in oppido S. Elpidii ad Mare Firmanæ Diæceseos enumerantur, unicum componere perutile Archiepiscopo visum est. Sicuti primum institutionis antiquitate, & utilitate, ita alterum divitiis præstabat. Quare die 10. Augusti 1780. unionis Bullam exaravit, qua edixit ut Sodalitium S. Mariæ Suffragii subjective, uti ajunt, perpetuo unitum alteri SS. Sacramenti haberetur, & esset. Executioni vix Bulla demandata reclamare cœperunt Suffragii Confratres. Preces quas Pontifici pro eorum Societatis redintegratione obtulerunt huic Sacræ Congregationi ablegatæ fuerunt, Super iisdem requisitus Archiepiscopus respondit justam rationabilemque causam non defuisse, necnon utilitatem, cæteraque omnia, quibus unio illa sustineatur.

Societas, inquit, SS. Sacramenti adeo redituum inopia laborabat, ut functionibus ab ejus instituto præscriptis, & quidem necessariis impar esset: Paupertatem hanc ex eo præsertim manasse quod justis de causis facultas quæritandi a Colonis frumentum aliasque segetes adempta fuerit; Ne debitus proinde deesset honor SS. Sacramento, quod ex speciali instituto colere, venerari, & comitari ejus sodalitii confratres debebant; ne amplius indecoræ haberentur supplicationes, ne misera, & indecenti pompa ad infirmos Sacramentum deferretur, ne cætera tandem pietatis opera ita infeliciter absolverentur, ut multum dignitati, & decori SS. Eucharistiæ detractum videretur, de unione illa peragenda, & perficienda excogitasse iisdem fere verbis testatur. Quod autem oculos in suffragii potius Societatem converterit, divitiæ non tantum in causa fuere, quam prudens animadversio ne quid pietas cultusque divinus detrimenti caperet. Noverat enim Societatem illam a proprio instituto jam plurimum descivisse, generalibus supplicationibus

bus in Festo S. Marci, & Rogationum non accepere, & si fortasse aliis supplicationibus aderant ab expiscatis Confratribus, & non ab illis vere adscriptis societatem componi, nullumque demum pium opus communiter exercere. Hisce autem omnibus pondus aliquod accessit ex eo quod Societas suffragii in ejus ortu ob propriæ Ecclesiæ defectum in illa SS. Sacramenti diu manserit atque perstiterit.

Ejusdem tandem Societatis Suffragii consensum non defuisse prosequitur, colligitque ex eo quod in actu adeptæ possessionis per Societatem SS. Sacramenti, hujus Ministri ab illis alterius Societatis fuerunt absque ulla contradictione admissi atque recepti.

Suffragii vero Confratres e contra pluribus in primis conantur ostendere assertam illam paupertatem minime existere. Idque præsertim eorum comprobant testimonio, qui ejusdem societatis SS. Sacramenti Officialium munus exercuerunt. Tum activum tum passivum illius sodalitii statum in medium adducunt, calculo facto ostendunt reditus expensas superare. Quod sane argumento inter cætera satis invicto ulterius demonstrari confidunt: Quod scilicet idem Archiepiscopus cum veluti Apost. Delegatus Loca pia illius oppidi visitasset, ut ex *superextantibus* tantum redditibus projectorum hospitale Firmanæ Civitatis ditare posset, sodalitium S. Mariæ Suffragii in sc. 300. utique taxaverit, at Sodalitium quoque SS. Sacramenti summam scutorum centum contribuere jusserit.

Quod de recessu a primo Instituto Confratres illos Archiepiscopus redarguit, non probari, immo verum non esse ajunt, & etiamsi verum probatumque esset justam æquamque subjectivæ unionis caussam nullatenus præbere potuisse. Hoc enim, inquiunt, in casu præcedere debebat admonitio, & quod ea suo caruisset effectu; at hæc nullo prorsus pacto præcessit.

Nec deliquisse in eo quod publicis supplicationibus S. Marci & Rogationum non interfuerint, cum ex ejusdem Sac. Congregationis decreto in una *Schalensi* 16. *Maii* 1593. definitum sit, sodalitia ad id allici quidem, at cogi minime posse. Cæterum illis, quæ in die Corporis Domini & S. Elpidii pubblice celebrantur, semper interfuisse.

Pernegant vero se ulla prorsus ratione consensum præstitisse. Si enim ulla absque contradictione Ministros SS. Sacramenti admiserunt, & exceperunt, id fecerunt metu, & subitæ rei incertitudine deprehensi. Vicarius siquidem Foraneus ipsis diem sub poenali præcepto indi-

xit, nihilque aliud quam interventum ad eorum Ecclesiam commisit.

Plures tandem in medium testes adducunt, ut totius fere oppidi contradictionem, mæroremque evincant. Oppidi decuriones inter cæteros id ipsum aperte confirmant.

Hæc omnia Sac. Congregatio Emo Albano commisit, ut rem in claro ponere, votumque suum aperire dignaretur. Ipse autem Sententiam aperiens suam ait = *cum injunctum vero mihi fuerit ut animi mei sententiam hac de re dicerem, dicam quod si nova non scateant monumenta, quæ in dies modo ab una, modo ab alia parte scatere videntur, potiora censerem jura sodalium Suffragii, qui redintegrationem expostulant, quia causæ expletæ unionis ex iis quæ superiori loco allata sunt, non satis probatæ videntur; at causæ hac in re undique certæ, & perspicuæ desiderantur potissimum in specie in qua non de æque principali, sed de subiectiva agitur unione, quæ parum a suppressione differre existimatur . . . . Libenter redintegrationi accederem; quia Sacrorum numerum in Sacello dicti Sodalitii post expletam unionem longe imminutum esse compertum est, imminutam quoque stipem, quam affluenter oppidani vigente Sodalitio dare solebant, a qua, sequuta unione, se retraxerunt.*

Monet tandem idem Emus, Sodales Suffragii ultra sese offerre ad sublevandam, si qua sit, inopiam Sodalitii SS. Sacramenti, ac tantumdem quotannis subministrandum quod eidem deesse comperietur pro implemento piorum operum, quæ ex illius instituto implenda sunt. Hac autem oblatione inopiæ causam omni ex parte sublatam arbitratur, adeoque unionis fundamentum.

Juxta veteres Ecclesiæ Canones = *Sicuti unire Episcopatus, atque potestati subiicere alienæ ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio atque subjectio* = Ita prorsus rescriptum legimus *a Cælestino* III. *in Cap. sicut unire* 8. *de exces. prælat.*

Quidquid porro sit an hæc indefinita Episcoporum facultas a Tridentina Synodo circumscripta fuerit, certisque definita limitibus, quos Episcopo prætergredi non liceat, nempe si de Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis agatur, si de Parochijs, si de Seminario, & an hæc circumscriptio non solum Beneficia, sed pia quoque Sodalitia comprehendat, qua in re consuli possunt post *Trid. sess.* 24. *cap.* 15. *Barbosa collect. Doct. in Conc. Trident. ad d. cap. Garzia de benef. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 190., *Piton. discept. Eccles.* 99. *num.* 32. *Rota coram Celso decis.* 175. *num.* 6., *& dec.* 260. *num.* 2.

Illud

Illud extra omnem dubitationis aleam positum est, quod in qualibet unione perficienda justae rationabilesque causae concurrant oportet. Quare Unio justitiam magis, quam gratiam respicere videtur. Hinc passim occurrunt rescissarum unionum exempla, ea potissimum de causa quia necessitas, & utilitas praesupposita quidem fuit, revera tamen non adfuit. *Barbos. de potest. Episc. part.* 3 *allegat. 66., Piton., Garzia citatis supra locis, Rebuff. in praxi tit. de union. Benef.*, & *Regul.* 12. *Cancell.* aliique non pauci, & in specie refert Ferraris *in sua Bibliotheca verbo Confraternitas art.*3. *num.* 26. & 27. in una *Narnien.* 13. *Novembris* 1612. Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium prohibuisse Episcopo ne ad unionem Confraternitatis compelleret, & Sac. Congregationem Rituum in *Narnien. Capitonis* 24. *Januarii* 1615. rescidisse unionem duarum Confraternitatum sine legitima causa factam.

Porro ex praedictis, & secundum ea quae hactenus proponuntur a sola Confraternitate S. Mariae Suffragii non satisprobatae videntur legitimae unionis causae, quin immo ejusdem Confraternitatis oblatio supplendi alterius Sodalitii necessitate quatenus revera adesse probetur, easdem causas facit adhuc deteriores. Nec omittendum quod Sodalitiorum bona ut plurimum a fidelium largitionibus sive per actus inter vivos, sive per ultimam voluntatem certum ac determinatum sodalitium respicientibus proficiscuntur. Adeoque haec bonorum unius Sodalitii ad alterum unio sine laesione, & mutatione hujusmodi voluntatis fieri non potest. Pias autem fidelium voluntates immutare sola potest suprema Sedes ad *Text. in Clem. quia contigit tit. de Religiosis Domibus* ubi glossa verbo *Sedis Apostolicae* haec habet = *Nota per hanc litteram solum Papam alterare posse usum illorum quae per fideles donata sunt vel relicta*.

Expectant itaque Sapientissimum EE. VV. judicium infrascripta Dubia.

I. *An unio substineatur in casu &c.*

II. *An & quomodo sit locus redintegrationi in casu &c.*

III. *An & a quo tempore & in qua summa sint restituendi fructus in casu &c.*

Dilata ad primam etiam unica.

ÆSI-

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ÆSINA. Sanctes Liegi ex oppido Castri Plani Cappellaniam instituit pro Sacerdotibus oppidi sorte extrahendis in annos singulos, ea lege ut Cappellanus totidem Missas in designato privilegiato Altari celebraret cum eleemosina ob. 12., quot responderent fructibus hæreditatis, & Missam solemnem in omni Sabatho, & in diebus quibuscumque B. V. sacris diversa non assignata eleemosina per ea verba = *quali Messe cantate dovranno comprendersi ed abbonarsi nelle Messe ed oblighi da celebrarsi in ciascuna settimana*. Jussit etiam ut adesset Vesperis, Missis sollemnibus, & aliis quibuscumque functionibus Parochialibus, ita ut, si septies in anno ab his cessasset, exclusus perpetuo esset a sortitione, & a Cappellania caderet.

Horum onerum reductionem petunt Sacerdotes dicti Castri Plani exequtores designati hujusce piæ dispositionis. Functiones enumerant, quibus interesse ipsi debent; nimirum omnes dies Veneris, & Dominicæ, omnes dies festivos, integram octavam Corporis Christi, tresdecim dies ante Festum S. Antonii, septendium ante Assumptionem B. M. V., novennarium Natalis D. N. Jesu Christi, omnes Processiones, quæ multæ sunt in anno, & dies Majoris hebdomadæ.

Petunt igitur reductionem Missarum ad taxam Conciliarem; exemptionem a celebratione Missæ sollemnis iis diebus quibus Parochus Loci sollemnem Missam celebrat; Item facultatem Cappellano celebrandi per alium; denique exemptionem seu moderationem arbitrio Emrum PP. quoad interventum sacris functionibus.

Episcopus de sua sententia rogatus retulit totam hæreditatem in prædio consistere quod vix attingit sc.800., eamque gravatam ære alieno pro nunc certo in sc. 200. instantiæ annuendum putabat in omnibus.

Sed re per summarium Precum degustata jussit Sac. hæc Congregatio ut plenior ab Episcopo informatio exquireretur, scilicet referret de annuo reditu prædii, in quo tota, ut supra, posita est hæreditas, de numero Præsbiterorum, an hactenus impleta omnia supradicta onera fuerint, & quæ taxa esset in loco eleemosynæ manualis. Retulit ergo reditum efferri ad sc.20. circiter; Presbiteros loci esse duodecim, in pixide autem comprehensos esse solummodo octo sed *in quattro successive estrazioni che finora sono state fatte, tre di questi otto anno ricusato di accettare &c. Egli è vero però che tutti otto insieme, subi-*

bi-

bitochè il Clero prese possesso di tal Cappellania; allorchè formarono il bussolo risolsero a pieni voti di ricorrere a supremi Tribunali per la moderazione de' pesi, e per l'augumento dell'Elemosina = Onera impleta hactenus fuisse in eum quem addit modum = *Il peso delle Messe detratte le necessarie spese occorse è stato finora fedelmente adempito; l'assistenza ai Parochi sempre è stata da Sacerdoti nativi prestata cosicchè non mai i Parochi ne prima che avesse luogo tal pia disposizione, ne dopo hanno avuto mottivo di lagnarsi di non avere chi gli assista nelle Sagre funzioni* = De eleemosyna manuali nihil habet; Sed forte quia res notissima est in tota Marchiae Provincia eam esse obulorum decem. Addit Episcopus praeter haec, quae ex ore sui Vicarii foranei narravit, delendam sibi videri inofficiosam illam hujusce testatoris legem, ut qui ex Cappellanis electis septies intra annum in adimplemento defecisset, nedum Cappellania privaretur, sed ex albo quoque aliorum Sacerdotum qui ad hanc Cappellaniam concurrere possunt deleretur.

Quo itaque ad plurima quae petuntur ut supra, & in Dubio infrascripto continentur annuendum haud videtur reductioni Missarum sive lectarum sive cum cantu ad taxam perpetuae, quia nunquam ea locum habet quando certa a testatore praestituta est eleemosyna ut hic obulorum 12. in singulas, non assignata diversa pro Missis cantatis, immo potius, ut verba praeseferre videntur, eadem praesupposita. Nullus enim interpretationi locus in expressa declarataque voluntate. Ac tanto minus reductionis termini audiri hic possunt, quia cum agatur de Cappellania quae suum habuit effectum, & cujus onera adimpleta huc usque fuerunt, quaevis reductio ad manualem facienda esset, quae minor foret constituta a testatore eleemosyna, ut in re vulgatissima monet *Bened. XIV. de Synodo Diaecesana lib.*13. *cap. ult. num.*35.

Quoad facultatem celebrandi per alium (ex genere tamen Sacerdotum a testatore contemplatorum) ea non indigent Sacerdotes Cappellani, cum illa verba = *da celebrarsi da Sacerdoti nativi di Castel del Piano* = *coll'obbligo perpetuo al Cappellano pro tempore di celebrare tante Messe la settimana quanto sarà il fruttato* = *l'estratto Cappellano abbia da celebrare le suddette Messe* = *volendo che il sopradetto Cappellano sia tenuto oltre la celebrazione delle sudette Messe cantare la Messa nel sopradetto Altare ogni Sabbato, ed inoltre intervenire alla Messa cantata e Sa-*

gre

gre funzioni &c. = non videtur præseferre claram, & perspicuam legem celebrandi per seipsum, uti necesse est, si interdicta satisfactio per alium affirmetur. *Lap. alleg* 36., & 117., *& Resolut. hujus Sac. Congregationis collectæ per Garz. de Benef. cap.* 1. *num.*87., & 93 *part.*7. Idque etiamsi personalis assistentia functionibus aliis injecta sit *quia cum sint onera separabilia ex eo quod unum sit personale, non sequitur quod etiam alterum sit tale* inquit *Pasqualig. de sacrificio novæ Legis Tom.* 2. *quæst.* 1118. *num.*1.

Moderationem vero interessentiæ tot solemnibus, quot testator edixit, Episcopi sententia, & ipsa eorum amplitudo cum arctissimo comparata emolumento soli Missarum celebrationi alligato suadere videtur; absque eo quod vis fieri queat in observantia; quippe, ut refert Episcopus ex ore sui Vicarii foranei semper etiam ante hujus Cappellaniæ erectionem a Sacerdotibus præstita fuit assistentia Parocho juxta verba superius transcripta.

An autem deferendum sit petitioni Episcopi qui delendam putat inofficiosam illam, ut ait, conditionem, qua iis qui septies haud interfuerunt in anno Sacris functionibus nedum a Cappellania removeri, sed etiam ex albo deleri jubentur eorum Sacerdotum inter quos cadere sortitio potest, judicabunt EE. VV. pro eximia earum doctrina.

Dubium proponitur.

An, & quommodo sit locus reductioni onerum, & respective moderationi testamentariæ dispositionis in casu &c.

Quoad reductionem Missarum negative; in reliquis arbitrio Episcopi.

*Sess.*25. *cap.* 4. *de reform.*

ULISSIPPONEN. In animarum suarum expiationem Conjuges Dominicus Gomes Ribeiro, & Angela de Cunha anno 1687. per irrevocabilem inter vivos donationem Confraternitati Tertii Ordinis S. Francisci de Pænitentia in publico Instrumento stipulanti, & acceptanti dederunt annuum reditum Regal. 120. mil. hoc est Romanorum sc. 120. *de bonis suis*, hac lege ut duæ erigerentur Cappellaniæ cum onere Missæ quotidianæ perpetuæ ac recitationis Responsorii, una excepta Missa pro unaquaque Cappellania, in singulas hebdomadas, & cum

& cum Eleemosina annuorum sc. 50. pro qualibet ex dd. duabus Cappellaniis, concessa reliquorum sc. 20. retentione dictæ Confraternitati *pro necessario ac administrationis labore*.

Per centum fere annos religiose impleta fuit donatorum voluntas. Cura tamen ac sedula diligentia administratorum Confraternitatis duobus ab hinc annis inutilis est: Manuales etenim eleemosynas in Regno Lusitano julios duos Romanos excedere Eminentissimus Patriarca refert. Atque hinc est quod Sacerdotes hisce Cappellaniis præferant manuales eleemosynas quæ ipsis quotidie offeruntur a pia fidelium devotione. Confraternitas ergo Sacerdotes non invenit qui Sacra faciant in determinata Cappella ac Responsoria recitent pro eleemosyna infra manualem.

Postulat itaque Confraternitas ut ex dd. duabus Cappellaniis una fiat, & Eminentissimus Patriarca precibus Confraternitatis deferendum putat.

Animadvertendum tamen in primis est quod si ad unam tantum redigantur duæ Cappellaniæ Conjugum Gomes Ribeiro Missarum eleemosyna longe excedet manualem juliorum duorum. Etenim Cappellanus annuum obtinebit reditum scutorum centum; Eleemosynæ vero Missarum 313. summam conflabunt scutorum 62. 60.

Æquum ergo non videtur ut tantopere fundatorum voluntas subvertatur contra sanctionem Tridentini *sess.* 25. *de Reform. cap.* 5.

Prætereundum quoque non est quod antequam Missarum reductio postulari queat reliqua prius onera inquirere, & minuere, aut etiam delere opportet, adeoque retento Sacrorum numero potius recitatio Responsorii super tumulo Donatorum abolenda videretur ad regulam de qua *Fagnan. in Cap. ex parte de Constitut. num.* 34. *in fine*, & *Bened. XIV. de Synodo Diœcesana lib.* 13. *cap. ult.* §. 23.

His præmissis dubitandum in casu non videtur reditum scut. 120. taxative a donatoribus fuisse assignatum cum ab illius nuncupatione donatio incipiat, moxque oneris impositio sequatur = *Coram me &c. Dominicus Ribeiro, & Angela de Cunha &c. de bonis suis per donationem Regal.* 120. *mil.*, *idest scutorum Roman.* 120. *de perpetuo reditu effatæ Confraternitati factam instituerunt duas Cappellanias, nempe duas quotidianas Missas ac in perpetuum celebrandas in dictæ Confraternitatis hospitio cum eleemosyna scutor. Roman.* 50. *pro quolibet Cappellano. Qui Cappellani, excepta una in qualibet hebdomada, Missam quoti-*

tidie celebraturi, & post Institutorum mortem super tumulo in eorum suffragio responsorium erunt recitaturi. Reliqua alia scut. Romana viginti pro necessario ac administrationis labore dictæ Confraternitati fuerunt assignata.

Pro supplemento ergo eleemosynæ pulsari hæredes donantium non possent. Sed quæstio superest an supplere Confraternitas debeat ut obbligationem impleat quam per contractum ut supra suscepit. Qua in re cum obbligatio quæ suscipitur, tempus respicit successivum, tradunt DD. pactioni inesse tacitam conditionem quatenus res in eodem statu maneant; eo quippe mutato instrumentalem quoque obbligationem pro certo numero Sacrorum cum certa designataque eleemosyna assumptam ad æquitatem reduci oportere. *Pasqualig. de Sacrif. novæ Legis quæst.* 1175. *num.* 4. *t.* 2. = *Dicendum secundo onera Missarum ex conventione reducibilia, mutatis rebus, & circumstantiis. Intelligitur de mutatione ratione juris, si deficiat debita proportio inter stipendium, & onus, aut aliquo alio modo onus fiat magis onerosum quam erat tempore conventionis. Ratio est quia quando initur pactum aliquod, habet semper tacitam conditionem, quod obliget rebus sic stantibus Reg. quæro §. interlocutores per locati, & leg. Cum quis per solut. Matrim. : per text. id notat Bartolus in leg. quoties §. duo ff. de hæred. instit. Ergo si status rerum mutetur, habet locum ex natura ejusdem pacti, quod reducatur onus ad terminos æquitatis juxta præsentem rerum statum, ita ut tale fiat, quale imponeretur stante præsenti rerum statu, & habita ratione æquitatis. Et Card. de Luca Miscellanea Ecclesiast. discurs.* 33. *sub num.* 8. ibi = *Tum etiam ob conclusionem alibi insinuatam, & præsertim sub tit. de Decimis discurs.* 2. *& in aliis, quod scilicet quando tractu temporis contractus reducitur ad magnam injustitiam, intrat Judicis officium pro moderatione, ac reductione ad justitiam.*

Neque invidendum Confraternitati quod ipsa lucretur annua sc. 20. Suam enim habet causam illa largitio a celebratione Sacri pænitus sejunctam nempe pro labore administrationis ut diserte protestati sunt Donantes.

Dubium est.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Affirmativè, quoad reductionem ad manualem retento numero duarum Capellaniarum, & quoad præteritum pro satisfactione ad manualem.

BRIT-

BRITTINORIEN. CONGRUÆ. In Congregatione diei 14. Decembris anni 1782. hæc Causa judicium Em. Vestrarum subivit tribus comprehensa dubiis, Rescriptumque fuit = *dilata*, *& ad mentem*, *& mens est*, *quod scribatur Episcopo Ariminensi juxta Votum D. Secretarii* = prout videre est ex dicto Congregationis folio *impresso in Thesaur. resolut. anni* 1782. *tom*. 51. *pag*. 182. *& seqq*.

Sess. 7. *cap*. 7., *& Sess*. 24. *cap*. 13. *de reform*.

Instructio juxta votum data ad Ariminensem Episcopum hujusmodi fuit = *ut prævia exhibitione librorum Mensæ Episcopalis Brictinorii, ductoque calculo per decennium, statum conficiat omnium bonorum Parochiæ S. Donati dictæ Mensæ Episcopali unitæ. Inquirat etiam quos reditus percipiat Episcopus: quotnam habeantur ex bonis parocho assignatis, quot & quæ sint onera, quibus idem parochus gravatus, & quænam expensæ requirantur pro manutentione Ecclesiæ, Domus Parochialis, & ædium Ruralium. Referat, quid in hanc Causam impenderit Episcopus, & quantum Vicariis curatis amovibilibus persolverit, antequam d. parochialis ad statum collativum restitueretur. Sacram Congregationem instructam pariter reddat de incertis emolumentis parocho obventuris: Num ipse in exercitio Curæ animarum opera indigeat alterius Sacerdotis: & demum quænam sint deteriorationes Ecclesiæ, & domus parochialis, & cujus culpa evenerint* =

Hanc post instructionem transmissam tum archipresbyter Milandri, cum homines Polentæ, citato promotore fiscali Curiæ episcopalis coram Eminentissimo Domino Meo Antecessore, petiverunt, ut Ariminensi Episcopo facultates injungerentur referendi = *Recepto tamen examine testium quoad bona, & reditus Ecclesiæ parochialis Polentæ, ac prævia exhibitione librorum Mensæ Episcopalis Brictinorii, & quorumcumque jurium existen. in Cancellaria Episcopali, ad effectum eruendi quantitatem bonorum, & redituum dictæ Ecclesiæ Parochialis*. In eaque petitione editum est decretum = *Quoad examen testium rejecit instantiam; quo vero ad exhibitionem librorum, de quibus agitur, mandavit exequi Mentem Sacræ Congregationis citatis partibus* =

Venit ergo Ariminensis Episcopi relatio superiore anno 1784., quæ singulis multa diligentia fecit satis postulationibus. Et in primis cum Brictinorium petivisset, frustra adlaboravit, ut decennalem statum conficeret bonorum Parochiæ, quæ ex antiqua unione Mensæ Episcopa-

 lis

lis obtinebat ; tacentibus Mensæ codicibus per se ipsum evolutis, nullo extante inventario. Provocavit idcirco ad traditionem, auditis senioribus ; Sed erroneam visis instrumentis, comperiit ; veluti ex relatione, quæ circumfertur latius emergit. Consequens eorum fuit, nequivisse fructus calculare, quos ab ignoratis bonis Episcopus percipit, etsi non omiserit rationum libros percurrere, qui sibi producti fuerunt.

Fructus bonorum, quæ parochiæ fuerunt nuper adscripta, æstimandos esse, retulit, sive in scutis 57. 90., sive in scutis 53. 10. Priorem summam eduxit ex pretio bonis iisdem constituto in postrema agrorum præscriptione, quod fuit scutor. 1930. 11. Quare, calculatis fructibus in ratione trium scutorum in singula centum, quod in Romandiolæ provincia in more est, prout ipse testatur, erumpit statim præfata summa scut. 57. 90 Posteriorem vero summam constituit in ipsius parochi confessione præsentibus testibus seque coram emissa, ex qua patuit, tot excepisse in quadriennio fructus, quot efficiunt pretium scut. 212. 13. itaut assignari anno cuilibet possint sc. 53. 10.

Ad onera relatio discurrens, duo præcipua esse, scribit, scilicet annuum vectigal in sc. 1. 20. & Candelarum distributionem in die Purificationis non excedentem scuta 3. ; sic præstito juramento confirmantibus, tum ipso Parocho, tum binis Vicariis curatis, qui eidem Ecclesiæ ante præsentem parochum proximè præfuerunt. Sed cum Parochus reponeret, onus sibi esse prandii parandi vicinioribus parochis in festum S. Donati titularis confluentibus, cujus est impensa scutor. 7., Vicarii Curati ex opposito testati sunt, parochianos ea die tot ad parochum solitos esse munera præstare, quot Mensæ indigentiam excedunt.

Succedit impensa in annuis Ecclesiæ, domus parochialis, ædiumque ruralium reparationibus. Eam constituit in scut. 8. 50. duobus adhibitis peritis. Latere tamen, ait, quid in eam rem Episcopus impenderit, ex quo rationum libri, sine arte conscripti, sumptus hujusmodi per summa tantum capita exponunt.

Vicariis Curatis Mensa Episcopalis pro stipendio concedebat prædiolum Ecclesiæ proximum, & parvam vineam; præterea tritici modios quatuor ad loci mensuram, ac duo lignorum plaustra ad comburendum. De his liquebat. Ut horum liquidaret Ariminensis Episcopus valorem, ad se duos accersivit vicarios olim curatos ejusdem pa-

parochiæ, & ab iis juramento præstito excepit, quod, omnibus, quæ dicta sunt, computatis, annuum emolumentum circiter ad sc. 30. pertingebat.

Descendit Relatio ad incerta emolumenta. Parochus de iis interrogatus, summam illorum redegit ad sc. 8. 80 circiter. Non sic præfati Vicarii Curati formiter, ut ait relatio, examinati. Alter enim illa nnmerat in scut. 50. & alter in scut. 40. Ipse vero relator Episcopus, computanda esse saltem in scut. 40., firmiter opinatur.

Similiter opinatur, nec parochum presbytero adjutore indigere. Seu quia parochia animabus 440. tantum constat, quarum habitationes magis longinguæ mille passus non excedunt. Seu quia adjutorem hujusmodi ab hominum memoria Vicarii Curati non habuerunt. Quibus addit, Sacerdotem adesse in oppido Polentæ, qui festis diebus secundam missàm celebrat, excipiens eleemosinam obol. 15. ex solitis in eadem ecclesia colligi eleemosinis. Atque hæc sibi parochum confirmasse, testatur; & imo, quod idem presbyter sine alio salario Fidelium Confessiones excipit, si opus sit, infirmis, cæterisque muniis parochiæ incumbit.

Examen deteriorationum tum ecclesiæ, tum domus parochialis relationem claudit. In summa deteriorationes in ecclesia vix extimatæ a peritis fuere in sc. 9. 30. quorum sc. 4. 60. a parocho debentur, reliqua ab Altarium patronis. Quo vero ad domum summa deteriorationum est in sc. 9.30. sed cujus culpæ inscribendæ illæ sint, rem, dicit, ambiguam esse. Putat autem tribuendas iis esse, qui opportunas postremis annis reparationes neglexerunt.

Hæc habet relatio. Interea Polentæ homines cum Episcopo Brictinoriensi iniverunt concordiam, in qua cum episcopus promisisset, servaturum se fore eosdem ab ecclesiæ reparationibus immunes, & sine molestiis in judicio, & extra, ipsi repromiserunt liti renunciaturos, veluti renunciarunt. Et in horum sequelam supplices huic Sacræ Congregationi fuerunt pro concordiæ approbatione, Quæ propterea causa tribus constabat dubiis, redit nunc in contradictorium solius parochi, & quarto adaucta dubio,

Ad primam relationis partem, quæ spectat decennalem statum omnium bonorum parochiæ S. Donati olim unitæ conficiendum, prævia exhibitione librorum mensæ episcopalis, decet observare, quod parocho instante, Eminentissimus meus Antecessor decrevit = *quo verò ad exhi-*

bi-

bitionem librorum, de quibus agitur, mandavit exequi Mentem Sacræ Congregationis citatis partibus = Quamquam ergo episcopus delegatus referat, per se ipsum invisisse libros sibi exhibitos; cum tamen prætereat, citatas in id partes fuisse, & signanter parochum, dubitare est, num decreto fuerit obtemperatum, numque illo neglecto, satis hac ex parte relatio habenda sit. Vicissim autem Parochus silentio suo factum Episcopi relatoris emologasse videri potest.

Juxta relationem reditus ex bonis Parochiæ assignatis statui possunt in annuis scut. 43. Onera verum, comprehensis reparationibus annuis, recensentur in scut. 12.70. sed parochus in suis præteritis scriptis addebat onus Missæ pro populo in scutis octo, secutus auctoritatem *Rotæ in Asculana augumenti congruæ* 10. *Maii* 1756. §. 5. *coram cl. mem. Card. Eleephantutio*, & *in Cesenaten. Augumenti Congruæ* 11. *Junii* 1762. §. 10. *coram Eminentissimo D. Card. Cornelio*. Si hæc demantur onera a dicta fructuum summa, vix scuta 22. 30. super sunt.

Cum instituitur in relatione sermo de incertis emolumentis dicitur, ea numerasse parochus in sc. 8. 80. Sed episcopus delegatus opinatus est illa constituere in sc.40., dictis innixus Vicariorum Curatorum, quorum unus deposuit, conscendere ad sc.50., & alter ad sc. 40. Observare tamen est, eos deposuisse per rerum summum compendium ulla sine distinctione: scilicet =*ex baptismis, matrimoniis, funeribus, benedictionibus domorum, attestationibus, anniversariis, quæstubus per parochiam fieri solitis, & festis vel a Populo, vel per particulares familias de more infra annum celebratis* = videndum ideo, quanti valeant depositiones hujusmodi generales, & absque discrimine emissæ & si ulla aut quæ ex dictis emolumentis imputari in congruam debeant juxta ea, quæ considerant præter Doctores in precedenti Folio relatos *Leo in Thesaur. for. eccles. part.* 2. *cap* 31. *num.* 6., & 7. *Ventrigl. in praxi rer. eccles. part.* 1. *annot.* 20. *Rota in recent. decis.* 1. *numer.* 9. *cum seqq. part.* 19.

Ad quartum dubium. Ambigi posset, num sit Concordia probanda, quæ successores afficit. Sed cum promissio hominibus Polentæ facta dumtaxat præseferat resolutionem, & reditum partium ad primæva jura, si promissa non serventur, nullum gravamen ab ea exortum, sive oriturum, pertimescendum esse videtur.

Rogantur EE. VV. resumere folium Congregationis diei 14. Decembris 1782., & sententiam dicere de dubiis.

I. *An*

I. *An substineantur Litteræ Apostolicæ.*
II. *An, & in qua summa sit assignanda congrua Archipresbytero.*
III. *An, & cujus sumptibus faciendæ sint reaptationes, nec non Sacræ Supellectiles in Parrochiali Ecclesia S. Donati, tam de tempore præsenti, quam de futuro.*
IV. *An sit locus approbationi Concordiæ inter Mensam Episcopalem Brictinorii, & Parochianos Polentæ in casu &c.*

Non proposita cnm sequentibus.

BRICTINORIEN. TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Hæc quoque Causa in eadem Congregatione diei 14. decembris 1782. proposita fuit. Duo data fuere dubia: nimirum = I. *An sit standum, vel recedendum à decisis sub die 15. Januarii 1780.* = II. *An Ecclesia S. Mamantis sit reducenda in pristinum, & cujus sumptibus* = Ad primum, quod translationem, qua de agimus, spectabat, EE. VV. rescripserunt = *dilata, & scribatur Episcopo Ariminensi juxta instructionem D. Segretarii* = Ad secundum = *Negativè, & amplius* = Reproponitur itaque sub primo tantum dubio, postquam Ariminensis Episcopi admodum accurata relatio reddita est. *Sess. 22. cap. 7. de Reform.*

Hæc tria a laudato episcopo instructio requirebat: & in primis, ut referret super statu Ecclesiæ S. Laurentii, *utrum nempè restauratione indigeat, & cum effectu restaurari possit.* Deinde, *an prædicta Ecclesia pro Sacramentis administrandis sit Populo commodior, quam altera S. Mariæ de Platea*; ac tertio, quod *Concilium plenarium Theodorani convocaret pro exquirendo consensu per secreta Suffragia circa hujusmodi translationem.*

Theodoranum venisse, refert episcopus delegatus, sibique duobus assumptis alienigenis peritis, ecclesiam S. Laurentii, diligentissimè cum iis, intus & extra visitasse, ac expendisse. Non indecora sibi visa est pars interior quoad Cappellas, & altaria. Sed de Arcubus, & Muris sic ha-

habet = *In his præter antiquas scissiones jamdiu clausas, duodecim interius, & exterius conspiciuntur novæ fissuræ, partim calce nuperrimè obstructæ, partim adhuc patentes, inter quas adeò quædam sunt prægrandes, ut appareant utrinque* = Perquisita rimarum hujusmodi a peritis Causa, nedum a vetustate repetendam esse judicarunt; sed præsertim a soli instabilitate; quod sensim deficit a tribus lateribus tellus Collis, ubi ædificium situm est. Concluditque relatio, quod, & si cum gravissima impensa murus construi posset ad obsistendum telluris recessui, ac ruinæ ecclesiæ, nunquam tamen eidem diuturna stabilitas redderetur.

Sacrarium vero, & ruinam minitari, & interius omni ex parte squallere, refert, concluditque = *& nefas esset omninò, Sacras inibi Suppellectiles, cæteraque Divino Cultui, & exercitio Curæ Animarum destinata asservari* =

Commodiorem multò esse, ait, ecclesiam S. Mariæ de Platea intra Castrum sitam, comparativè ad externam ecclesiam S. Laurentij, sivè longitudo, ac latitudo spectentur, in quarum utraque amplior est ecclesia S. Mariæ; sive in ratione habeatur Porticus satis commoda, quæ ante januam majorem S. Mariæ prostat, & deficit omnino in alia Ecclesia, cui & deest platea exterior in qua ea populi pars consistat, quam ecclesia in grandiori frequentia non continet.

Sin autem itineris commoditas ad utramque Ecclesiam comparetur, hac quoque ex parte, sensit, commodam magis S. Mariæ Ecclesiam esse renunciandam. Namque Ruricolis exceptis, qui agri Theodorani partem australem habitant, quibus ad Castrum venientibus Ecclesia S. Laurentii in primis veluti occurrit, reliqui omnes habent Castrum proximius, magisque commodum: tum ii, qui ab Oriente, & Aquilone, tum qui ab Occidente procedunt. Præterea nec observasse præterivit, quod etsi Ecclesia S. Laurentii vicinior sit Incolis Australis Agri, attamen & ii adire Castrum compelluntur, ubi Parochus habitat, ut in gravioribus animarum periculis, sive operam præstet suam infirmis, sive Sacramenta ministret.

Postremò folium adjungens Concilii plenarii se coram habiti, ut per suffragia secreta juxta instructionem de consensu in Parochiæ translationem constaret, enarrat, eam fuisse probatam in suffragiorum pluralitate. Quin obsit, ad vota ferenda Archipresbyterum quoque admissum fuisse, licet interesse habentem; quia in more est, quod veluti Cleri deputatus admittatur; prout ex publici Secretarii fide; quam pariter adnectit. Hæc

Hæc relationis summa est, quæ per extensum a Patrono Promotoris Fiscalis distribuitur. Videndum tamen superesset, num impleta satis fuerit Sac. Congregationis mens conctione Concilii ordinarii, cum in Instructione scriberetur = *quod Concilium plenarium Theodorani convocaret* = Cui accedit, quod si Archipresbyterum demas, & Gubernatorem ratione tantum officii ibi manentem, qui binis gaudet suffragiis, decem fuere reliqui. Ex omnibus autem tresdecim suffragiis, Gubernatore, & Archipresbytero compræhensis, septem in translationem convenerunt, & sex illam reprobarunt; Veluti ex ejusdem Secretarii fide in relatione complicata.

Post hæc non prætereo, quod propè Ecclesiam S. Laurentii Caupona exercetur, in qua festis præsertim diebus tumultus sæpè excitari, Promotor Fiscalis defendebat, in sacrarum functionum perturbationem. Ut autem de hujusmodi tumultibus magis constet, probat modò examine facto trium testium Sacerdotali charactere insignitorum, recentissimè, nempe die 7. Augusti hujus anni, gravem adeo rixam insurrexisse, cum sacra celebrarentur officia, quod Collitigantes nedum ad saxa devenerint, sed & ad scloporum exonerationem cum maximo populi tremore, & scandalo, qui sacris intererat.

Placeat igitur EE.VV. folium resumere Congregationis diei 14. Decembris 1782. quod est impressum in *Thesaur Resolut. dicti anni tom.* 51. *pag.* 187., *&* *seqq.*, ac consueta sapientia decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15. *Januarii* 1780. *in casu &c.*

ALEXANDRINA. Anno 1695. Canonicus Jacob Ghilini Capitulum Cathedralis Alexandrinæ universalem sibi scripsit hæredem certis sub conditionibus. *Sess.* 22. *de Reform. cap.* 6.

1. Mandavit ut a Canonicis celebrarentur perpetuo in Ecclesia Cathedrali Sacra 300. pro quolibet capitali scutorum mille ex lib. 6. Mediolanen., quod respondet quan-

titati scutorum 800. Romanorum, Eleemosyna congruenti singulis sacris juxta morem tunc vigentem statuta.

2. Voluit ut quotannis fieret inter Canonicos dictorum sacrorum distributio per Canonicum assis haereditarii administrationi designatum; ita tamen ut singuli Canonici per se, aut per alium Canonicum tantum celebrare tenerentur.

3. Edixit ut sors, & caput assis hæreditarii ejusque fructus semper in eadem quantitate a Capitulo servari deberent, adeout si aliquam, ex quacumque causa, aut titulo (unico supremi Principis facto excepto) imminutionem paterentur, semper eadem sacrorum quantitas in annos singulos celebranda esset risico, & periculo ejusdem Capituli.

4. Indulsit Capitulo suspensionem alicujus numeri sacrorum aliqua lite circa bona hæreditaria pendente, ratione sumptuum ejusdem litis, quibus tamen repetitis, sacrificia in suspensum relicta illico persolvi deberent.

5. Capitale librar. 800. Mediolanen. quæ sunt scut. Roman. 106. 66 $\frac{1}{2}$ ab asse hæreditario separari jussit, ut ex ejusdem Capitalis fructibus singulis annis solverentur lib. 25. Mediolan., scilicet scut. Roman. 3. 33 $\frac{1}{2}$ administratori bonorum hæreditariorum pro congruo honorario, necnon consimiles lib. 15., videlicet scut. Roman. 2., impenderentur pro celebratione Missæ cum cantu, & Officio in die anniversaria obitus Testatoris.

6. Monumentum lapide inscriptum ad perpetuam hujusce testamentariæ dispositionis memoriam parietibus Ecclesiæ Cathedralis apponi sancivit.

7. Tandem hæredem sibi fecit iisdem sub conditionibus, quemcumque alium Locum Pium Alexandriæ, executoribus testamentariis magis benevisum, quoties Capitulum ipsius hæreditatem tot oneribus gravatam adire recusasset, exclusis tamen perpetuo Regularium Ecclesiis.

Hæreditas hæc partim ex Capitalibus a Testatore relictis, partim ex pecuniariis investimentis per executores testamentarios peractis conflata non unico contextu Capitulo tradita fuit. Portio enim Libr. 81400. Mediolanen., scilicet scut. Rom. 10853. 83 $\frac{1}{3}$ Capitulo die 20. Novembris 1696. data sunt, tresdecim ex vigintiquinque Canonicis congregatis plenissime acceptantibus, duobus non computatis executoribus testamentariis, qui pariter Canonicali perfulgebant dignitate.

Reliquum vero, quod supererat assis hæreditarii lib. 15167. 16. Me-

16. Mediolanen., nempe scut. Rom. 2022. 37 $\frac{1}{2}$, die 9. Decembris 1705. traditum Capitulo fuit, majore ipsius parte acceptante, unica tantum sub conditione, quod bona hæreditaria numquam patrimonio Capituli unita, sive incorporata remanerent. Utrum vero acceptata hæc onera fuerint juxta leges, quas jam tum S. hæc Congregatio sub Sanctæ Mem. Urbano VIII. constituerat, omnino latet.

Tandem lapideum a Testatore volitum monumentum positum fuit, in eoque integrum Capitale hæreditarium libr. 96500. inscriptum legitur, instrumentis traditionum eorumdem capitalium indicatis. Ex iisdem instrumentis autem valor assis hæreditarii major apparet in lib. 67. 16., quantitate in monumento adnotata.

Quam inconsulto hæreditatem tot oneribus implicatam adierint eorum antecessores hodierni agnoverunt Canonici; quapropter supplicem huic Sac. Congregationi Libellum porrexerunt petentes, *primo*, ut ab omni culpa absolvantur, quoad præteritas diminutiones tum sortis, seu Capitalium, tum fructuum; *secundo*, ut ab onere manutentionis Capitalium, & fructuum juxta Testatoris legem liberentur firma remanente obbligatione de jure cuilibet administratori incumbente; *tertio* segregationem alicujus summæ pro impensa sacrorum utensilium; *quarto* facultatem augendi salarium administratori; *quinto* licentiam celebrandi extra Cathedralem Ecclesiam saltem pro medietate Sacrorum unicuique Canonico contingentium; *sexto*, ut ab omissionibus absolvantur integri numeri sacrorum, quæ hærendo verbis, & strictæ testamenti legi celebranda fuissent; *septimo* separationem expensarum nedum pro litibus, sed etiam pro instrumentis, taxis Archivii, & eorum qui instrumenta visitant, ac pro Ratiocinatore; *octavo* facultatem celebrandi ter mille sacra, quæ ex decursis fructibus celebranda supersunt, in qualibet Ecclesia sive intra, sive extra Civitatem, quæ omnia in infrascriptis Dubiis continentur.

Episcopus auditus in sua prolixa, & accurata informatione partim expresse favet Capituli votis, partim ea enarrat, quæ EE. VV. ad auscultandum Capituli precibus flectere poterunt.

Et primum quod attinet animadvertendum proponit, quod hæreditas Ghilinia postquam ad Capitulum pervenit diminutionem passa est, quia *binæ* (sortes censuum) *deperditæ fuerunt, altera scut.* 53. 33 $\frac{1}{4}$, *altera scut.* 66. 66 $\frac{2}{3}$, *hæ autem binæ sortes investitæ fuerunt ab ipsismet exequuto-*

ribus testamentariis. Aliam diminutioni censuum dedit abusus in æstimatione monetarum ultra taxam in Regiis edictis præfinitam &c. Quo factum est, ut in censuum redemptionibus peractis ab anno 1730., quo hujusmodi abusus induci cœpit, ac deinceps pecunias receperit ad valorem illum, quem communis error indiderat; unde illud etiam dimanavit, quod anno 1755. evulgata regia lege gravissime prohibente ne pecunia aliter æstimetur, quam juxta taxam nonnullas diminutiones pati debuerunt Capitales summæ medio illo tempore restitutæ, & iterum collocatæ. Addit, & aliam imminutorum fructuum causam, quod nempe census Capitulo traditi quincunces præberent usuras, anno vero 1770. regia lege trientes usuræ statutæ fuerint, *ex quo factum est* (pergit Episcopus) *ut census omnes a prædicto anno* 1770., *usque in præsens extincti, rursus empti non jam quincunces, sed trientes dumtaxat reddant usuras*. Pro sua tamen diligentia considerat Episcopus, quod vicissim Domus, & Pratum, quæ & ipsa hæreditatis partem constituebant, in valore creverunt, ita ut *inspecto primævo ejusdem* (hæreditatis) *statu, atque comparato cum præsenti, nonnisi scuta Rom. biscentum desiderentur*.

Quatenus itaque levis adeo sit hæreditatis diminutio, uti eam describit Episcopus, jam ipsa præ sua tenuitate ab omni culpa, & emendationis necessitate Capitulum eximere videretur etiam e conspectu inconsultæ acceptationis. Accedit quod factum Principis testator excepit, & nihilominus a Principis facto damni partem Episcopus repetit.

Quæstio in secundo Dubio contenta pugnantes invicem habet Doctores, & Leges. Si enim onera collatum emolumentum excedunt, deleri onus quod relictum excedit, placuit *in Leg. 2. c. de his, quæ sub mod. Legat., Leg. cum ab uno ff. de legat.2., Leg. penult. §. qui fratris ff. de aliment., & cibar., Leg. filius familias* 114. *§. apud Marcellum ff. de legat.* 1.; Contra vero retinendum servandumque onus visum est *Scevolæ in L.tutor decedens* 26. *ff. de liberat. legat., Gloss. in Leg. creditorem* 85. *ff. de Legat.2. cap. Officii de testament.* Doctores autem dissidentium ut videbatur legum placita conciliantes, putarunt priori locum esse sanctioni quando disponens sola adjectione oneris contentus progressus ultra non est, nec vetuit expresse hæredem, donatarium, legatarium quidpiam petere ex causa superexcedentis oneris impositi, secundæ vero hac explicita concurrente prohibitione. Antesi-

resignanum hujusce distinctionis *Castrensem in Leg. Si compensandi ff. de Legat.* 2. communiter sequuntur *Peregrin. de fid. art.* 33. *num.* 43., *Andreol. controv.* 363. *num.* 1., *Guttierez de tutelis part.* 3. *cap.* 5. *num.* 54., *Marescott. lib.* 2. *cap.* 86. *num.* 1., *Afflict. decis.* 44. *num.* 31., *Magon. decis. Florentin.* 117. *num.* 12.

Quamvis tamen hic non desideretur expressa testatoris lex quod Capitulum ære proprio assem hæreditarium, & ejus fructus ab omni diminutione servare teneretur, hodierna tamen instantia ad speciem revocari posse videtur restitutionis in integrum quam æquitas prætoris, multoque magis canonica indulgentia non negant deceptis, & læsis. Omissa porro quæstione an potuerint Antecessores Canonici futuros omnes successores obstringere ut improvidæ starent acceptationi, deceptio, & læsio satis patere videntur; cum parte ex una status hæreditarius clarissimus sit, nec quidquam occulere, aut sibi addicere Capitulum potuerit, & ex alia parte eleemosyna a testatore taxata sacrorum, in quæ integer bonorum reditus erogandus est, adeo tenuis sit ut *non excedat* (inquit Episcopus) *in hac regione vigentem, immo ne illam quidem videtur attingere propter scilicet expensas hostiarum, vini, ceræ, & suppellectilium*. Familiaria sunt exempla restitutionis in integrum adversus inconsulto aditam hæreditatem, quam benigne elargitus est etiam majori Imperator Hadrianus *Institut. lib.* 2. *tit.* 19. §. 5., & quam Prætores ex justa causa (quæ hic adesse videretur inspecta qualitate derivatæ tantummodo acceptationis) passim dabant ex genarali *edicti clausula si qua mihi justa causa*.

Vix est ut de *tertio* dubio longior habeatur sermo. Frequentissime hæc S. Congregatio in Missis perpetuis pro manuali elemosyna celebrandis separationem edixit expensarum pro sacris utensilibus, *ut in Romana* 27. *Februarii* 1717. *lib.* 67. *Decretorum pagina* 96., *& in Fulginaten.* 26. *Martii* 1718. *lib.* 68. *Decretorum pag.* 121., *& in Romana* 18. *Novembris* 1719. *lib.* 69. *Decretorum pag.* 545., & alias sæpissime.

De petita *in quarto* Dubio facultate augendi salarium administratori hæc habet Episcopus = *Hic porro* (administrator) *honorarium percipit a testatore taxatum scilicet scutor.* 3. 33. *Ambigendum autem non videtur tenue nimis illud esse ratione habita laboris ac periculi in exigendis tot annuis censibus, aliisque reditibus prodeuntibus ex sortibus septuaginta quatuor, in quas dispertita est hæreditas præfata, & in exarandis acceptis, & expensis in libro ad id com-*

comparato. Hanc autem qualemcumque mutationem illius' voluntatis, quam vis ipsa necessitatis extorquet, expresse approbat *Concil. Trident. sess. 22. de Reform. cap.6.*, & præiverat textus *in Cap. exposuisti 33. de Præbendis*.

Quintum Dubium quod attinet, hæc habet Episcopus = *Nec leve si non quoad omnes, saltem quoad plerosque Canonicos, præsefert incommodum Missarum hujusmodi celebratio in ipsamet Cathedrali Ecclesia ex integro peragenda, & quoad illos præsertim ex eis, qui ex suis præbendis aliarum Missarum ibidem celebrandarum onere sunt gravati, adeo ut nullo prorsus tempore, ne illo quidem quod a jure sacrisque Canonibus permittitur. quodque in prædicta Cathedrali bimestre non excedit, vacare queant*. Ac in fine concludit videri sibi *quod indulgendum sit Canonicis Oratoribus, ut vacationum saltem diebus 60. in alia cuique commodiori Ecclesia Missas hujusmodi valeant celebrare*.

Duo porro voluit testator celebrationem scilicet in Ecclesia Cathedrali in qua suum Cadaver tumulari jussit, & quod a solis Canonicis injuncto Sacrorum oneri fieri satis posset. Si itaque quoad alterutrum a voluntate testatoris discedendum est, quod Episcopus suadet, non quidem pro medietate contingentium unicuique Canonico Missarum, sed pro solis 60. diebus vacationum, magis est ut levior fiat discessio quoad locum nempe celebrationis, quam quoad personam. Verosimile est quod testator ideo Canonicos præelegerit, quia plus de pietate Ecclesiasticorum dignitate præstantium confiderit, adeoque majoris illius meriti particeps fieri voluerit, quod in Sacrosancto Sacrificio ab opere operantis dependet ut bene considerat *Diana conciliatus tom. 2. tract. 1. resolut. 28. num. 4. in fine*. Accedit scripturæ ordo; Vetuit enim testator, & quidem sæpe, celebrationem = *da altri Sacerdoti ed in altre Chiese* = *Petrus Peralta in Leg. si quis servum ff. de Legat. 2.*, *Castill. controv. jur. tom. 4. cap. 51. num. 15.*, *Carena alleg. resol. 96. num. 9.*

De petitionibus *in sexto*, & *septimo* Dubio contentis præter id quod a Decisione primi Dubii consequitur, audire satis est Episcopi sensum. Ait Episcopus = *Neque hoc loci silentio prætereo, quod Missæ hujusmodi, ut conjicere fas est, nusquam adimpletæ quoad numerum accurate fuerunt ad testamentariæ dispositionis litteram. In tanta enim capitalium varietate ac numero sæpius contingit ut expensæ fiant nedum pro iis in judicio tuendis aut compellendis debitoribus ad solutionem annuorum censuum, quæ quidem expen-*

expensæ repeti ut plurimum nequeunt, sed etiam in publicis instrumentis, quæ a regiis Notariis recipiuntur toties quoties sortes a censuariis restituuntur, aut a Capitulo reinvestiuntur; quibus impensis jugendæ sunt taxæ quæ dd. Notariis penduntur pro publico Archivio, & pro regiis instrumentorum visitatoribus, quæ quidem testamenti tempore non vigebant. Accedit eam esse hujusmodi administrationis farraginem ut vix inveniri queat Canonicus aliunde dignus cui administratio ipsa tradatur, qui valeat in libro, quem magistrum vocant, acceptum, & expensum ea perspicuitate describere quam res ipsa magni momenti postulat. Qua de causa usu receptum est ut antequam rationes reddantur quæ in diurnali libro administrationis scriptæ sunt ab aliquo viro computationum perito seu liquidatore ut vocant, clariori methodo digesta, in librum Magistrum referatur, congrua huic liquidatori pro ratione laboris soluta mercede. Porro universos hujusmodi sumptus, quos forte non prævidit testator, ut debuit, ab hæreditaria massa non ab eleemosinis Missarum decerpere quotannis consuevit Capitulum; atque adeo planum est tot Missas non fuisse celebratas, quot respondent summæ a recensitis sumptibus absorptæ. Super hoc Apostolicæ potestatis ac benignitatis erit misericorditer indulgere quoad præteritum, & æquius providere quoad futurum.

Quamquam, ut verum fatear, lego equidem testatorem voluisse quod si caput, & fructus censuum minuerentur, id in periculum damnumque Capituli verteretur; lego dixisse quod si ex quacumque causa (excepto Principis facto) caput, & fructus minuerentur aut destruerentur firma semper maneret obbligatio Capituli pro tercentum sacris in singula scuta mille sortis, lego præcepisse quod hæc obbligatio perpetua esset integra, & absque ulla prorsus diminutione. Non lego tamen expresse vetuisse ne a fructibus necessariæ administrationis expensæ detraherentur, contra quam ipsa præsefert fructuum natura ad *textum in Leg. fructus ff. solut. matrimonio, & in Leg. fructus §. impendia ff. eodem*, & *in Leg. 1. Cod. de fruct., & lit. expens.*

Denique super *octavo* Dubio narrat Episcopus tributam sibi ab hac Sac. Congregatione fuisse facultatem designandi certam, & unicam Ecclesiam in qua Canonici Oratores ter mille Missas quarum adhuc debitores sunt, celebrare possent; non usum tamen hac licentia quia celeri satisfactioni hoc modo haud consuleretur, & concludit = *ut Missis*

Missis hujusmodi quanto citius satisfiat e re foret eorum singulis permittere ut illas in ea Ecclesia celebrent quæ sive in hac civitate sive extra eamdem commodior unicuique fuerit, modo in libro exposito in Sacrario dictæ Cathedralis illas describant. Nemini autem ignotum celerem celebrationem veluti primas obtinere partes in voluntate eorum qui eleemosinas elargiuntur; ut ipsa ostendunt *decreta generalia tempore Urbani VIII edita in decreto quinto, ex successivæ ejusdem decreti declarationes sub undecimo dubio contentæ.*

Dubia sunt.

I. *An Capitulum sit absolvendum pro præteritis diminutionibus sortis, & fructuum in casu &c.*

II. *An Capitulum sit absolvendum ab onere manutenendi de proprio capitalia, & fructus hæreditatis in casu quo pereant vel decrescant non obstante bene gesta administratione in casu &c.*

III. *An, & quæ quantitas segreganda sit a fructibus hæreditatis prò manutentione Sacrorum utensilium in casu &c.*

IV. *An, & in qua quantitate sit augendum salarium administrationis detrahendum ex fructibus hæreditatis in casu &c.*

V. *An, & pro quo tempore sit indulgendum Canonicis ut possint Missas celebrare extra Ecclesiam Cathedralem in casu &c.*

VI. *An Capitulum sit absolvendum quoad omissam pro tempore præterito celebrationem Missarum juxta verba testamenti in casu &c.*

VII. *An præter expensas litium sint separandæ a fructibus hæreditariis expensæ instrumentorum, taxarum Archivii, visitatorum, & Ratiocinatoris in casu &c.*

VIII. *An, & quomodo sit indulgendum singulis Canonicis ut termille Missas pro tempore præterito celebrandas eorum quilibet pro contingenti rata celebrare possit in Ecclesia benevisa in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 10. Decembris 1785. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PLaceat EE. VV. folium proximè superioris Congregationis resumere, in quo relatio data est quatuor Causarum, quæ in præsenti folio priora occupant loca. Reliquæ ex ordine describuntur.

BRICTINORIEN. CONGRUÆ. *Sess. 7. cap. 7., & Sess. 24. cap. 13. de Reform.*

I. *An substineantur Litteræ Apostolicæ.*
II. *An, & in qua summa sit assignanda Congrua Archipresbytero.*
III. *An, & cujus sumptibus faciendæ sint reaptationes, nec non sacræ suppellectiles in Parochiali Ecclesia S. Donati, tam de tempore præsenti, quam de futuro.*
IV. *An sit locus approbationi Concordiæ inter Mensam Episcopalem Brictinorii, & Parochianos Polentæ in casu &c.*

Ad I. Affirmativè.
Ad II. Affirmativè in annuis scutis 17. ab Episcopo præstandis.
Ad III. Quoad restaurationem Ecclesiæ pro tempore præterito spectare ad Episcopum; quo vero ad futurum, ordinarias spectare ad Parochum, extraordinarias ad Episcopum; & quoad sacras suppellectiles, tam pro tempore præterito, quam pro futuro spectare ad Parochum.
Ad IV. Negetivè, & amplius.

Sess. 22. *cap.* 7. *de Reform.*

BRICTINORIEN. TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15. Januarii 1780. in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. *cap* 6. *de Reform.*

ALEXANDRINA.

I. *An Capitulum sit absolvendum pro præteritis diminutionibus sortis, & fructuum in casu &c.*

II. *An Capitulum sit absolvendum ab onere manutenendi de proprio capitalia, & fructus hæreditatis in casu quo pereant vel decrescant non obstante bene gesta administratione in casu &c.*

III. *An, & quæ quantitas segreganda sit a fructibus hæreditatis prò manutentione Sacrorum utensilium in casu &c.*

IV. *An, & in qua quantitate sit augendum salarium administrationis detrahendum ex fructibus hæreditatis in casu &c.*

V. *An, & pro quo tempore sit indulgendum Canonicis ut possint Missas celebrare extra Ecclesiam Cathedralem in casu &c.*

VI. *An Capitulum sit absolvendum quoad omissam pro tempore præterito celebrationem Missarum juxta verba testamenti in casu &c.*

VII. *An præter expensas litium sint separandæ a fructibus hæreditariis expensæ instrumentorum, taxarum Archivii, visitatorum, & Ratiocinatoris in casu &c.*

VIII. *An, & quomodo sit indulgendum singulis Canonicis ut termille Missas pro tempore præterito celebrandas eorum quilibet pro contingenti rata celebrare possit in Ecclesia benevisa in casu &c.*

Ad I. Affirmativè facto verbo cum SSmo.

Ad II. Affirmativè.

Ad III., & IV. Affirmativè arbitrio Episcopi.

Ad V. Affirmativè juxta Votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Ad VI. Affirmativè facto verbo cum SSmo.

Ad VII. Affirmativè.

Ad VIII. Affirmativè juxtà Votum Episcopi infra terminum ab eodem præfigendum, facto verbo cum Sanctissimo.

FIRMA-

FIRMANA. *Sess.24.cap.15. de Reform.*

I. *An unio substineatur.*
II. *An, & quomodo sit locus Reintegrationi.*
III. *An, & a quo tempore, & in qua summa sint restituendi fructus in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.
Ad II. Affirmativè facta tamen prius per Sodales Confraternitatis Suffragii oblatione in forma juris valida de subministrando quotannis Societati SSmi Sacramenti aliquo Subsidio ab Emo Albani Protectore taxando, & amplius.
Ad III. Ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro Condonatione.

ASSISIEN. Proposita fuit hæc Causa in Congregatione diei 10. Septembris ante proximas ferias Autumnales, eaque ob numerum causarum definita non fuit. Quare, folio ejusdem diei resumpto, respondendum modo est dubiis infrascriptis. *Sess.22.cap.8., & 9.de Reform.*

I. *An substineatur Episcopi edictum in ea parte, in qua Confraternitatum Officiales jubentur certiorem facere Episcopum in Civitate, & Vicarios Foraneos in Diœcesi de Congregationibus habendis, ne conveniant sine ipsius, seu Vicariorum interessentia.*
II. *An substineatur edictum in ea parte, in qua mandatur, intimari omnes, & singulos Sodales in propriis domibus, ut intersint Congregationibus, tam ordinariis, quam extraordinariis.*
III. *An substineatur edictum in ea parte, in qua vetitum fuit Administratoribus Confraternitatum facere expensas cujuscumque generis usque ad scut. 3. sine Collegiali consensu in pluralitate suffragiorum præstito.*
IV. *An substineatur edictum in ea parte, in qua sancitum fuit, quod si expensæ cujuscumque generis excedant scut. 3., præter approbationem majoris partis confratrum, impetrari debeat Episcopi licentia,*

V. *An substineatur edictum in ea parte, in qua jubentur Confraternitates, seu illorum Officiales deponere in æde Sacra Assisii sortes Censuum, aliorumque Creditorum in casu restitutionis cum vinculo investimenti; itemque vetantur ad investimenta procedere absque Ordinarii approbatione.*

VI. *An substineatur edictum in ea parte, in qua mandatur fieri depositum in Æde Sacra Subsidiorum Dotalium statim ac facta fuerit extractio, seu nominatio Puellarum ad ead. subsidia.*

VII. *An substineatur Edictum in ea parte, in qua jubetur Confraternitatibus, ut præter retentionem libri resolutionum, quæ in Congregationibus capiuntur, conficiatur alius Codex administrationis œconomicæ cum adnotatione facultatum ab Ordinario pro faciendis sumptibus, & investimentis datarum.*

VIII. *An substineatur Edictum in ea parte, in qua decernitur, electionem Officialium faciendam esse per secreta suffragia, non viva voce, ac insuper conclusam non censeri, nisi concurrant duæ ex tribus partibus suffragiorum.*

IX. *An substineatur Edictum in ea parte, in qua mandatur, buxolos Officialium fieri coram Ordinario, vel persona ab eod. delegenda, & extractiones fieri præsentibus omnibus Sodalibus,*

X. *An sit locus Circumscriptioni Congregationis habitæ die 6. Februarii 1785. in casu &c.*

Non proposita cum reliquis.

MALA.

MALACITANA IRREGULARITATIS. Proposita fuit hæc causa in Congregatione habita die 15. Januarii currentis anni, cujus propterea folium Eminentissimi PP. resumere poterunt, ut habeant brevissimæ quæstionis summam. Prodiit ea die Responsum = *Expectet* = Quamquam eo rescripto data sit veluti arrha futuræ indulgentiæ, tamen lapsus adhuc integer annus non est a die editi responsi. Plures vero sunt causæ, quæ levissimam paucarum dierum festinationem excusant. Acta diu pænitentia: Adventus Oratoris ad Urbem per hosce dies suo annuente Episcopo, ut uberiori hac delicti sui expiatione EE. VV. ad misericordiam flecteret: Longi, & difficilis itineris tolerata incommoda. Accedit in extenuationem culpæ non apparere ex Processu, an Orator in Sacerdotali Ordine ministraverit, ut testatur Actuarius. Consueta itaque maturitate, & Sapientia EE. VV. definient. *Sess. 23. cap. 12. de Reform.*

An sit locus dispensationi in casu &c.

SETINA CHORI, ET MISSÆ CONVENTUALIS. Neque horas Canonicas in Choro quotidie persolvunt, neque Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere applicandam celebrant Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Erasmi Oppidi Bassiani. Episcopus, his compertis, illos monuit, ut de utraque hanc Sacram Congregationem precarentur dicere Sententiam, eisdemque bimestris terminum idcirco præfixit. *Sess. 21. cap 3. de Reform. Sess. 22 cap. 3. de Reform. Sess 24. cap. 12. de Reform.*

Paruerunt ii, & exposuerunt in precibus nunquam consuevisse qualibet die Choro interesse, neque hoc ipsis onus in erectione fuisse impositum; adeoque nec Missam Conventualem celebrare. Obtulerunt autem Canonicatuum fundationem proferre, quatenus juberentur, simulque tenues reditus, & gravia, quibus premuntur, onera.

Precibus Rescriptum fuit = *Episcopo pro Informatione. & Voto, transmissis fundationibus, ac referat, an constet, vel ex erectione, vel ex signis Collegialitatis de legitima erectione in Collegiatam, nec non de observantia, tam*

quoad

quoad servitium Chori, quam quoad celebrationem, & applicationem pro benefactoribus in genere, & tandem de redditibus uniuscujusque Canonicatus, computatis fructibus præbendarum, & distributionibus quotidianis, auditis =,

Ab redditis Setini Episcopi litteris scimus, Capitulum S. Erasmi ex Archipresbytero curam animarum habente, & sex Canonicis constitui; Nec Archipresbyteratum esse dignitatem; Comune quidem sigillum, comunemque Massam habere, & Capitulariter congregari; in capiendis Canonicatuum possessionibus assignari in Choro Stallum, & in Capitulo locum, eaque fieri Canonicis capitulariter coactis, præstitoque a provisis juramento de constitutionibus, statutisque Ecclesiæ servandis; nulla tamen insignia illos habere.

Et quamvis in supplici libello supposuissent, fundationem producere se posse, errorem corrigit Episcopus, inquiens, de illa nullatenus constare = *sed tantum de denominatione Archipresbyteri, & Canonicorum a priscis temporibus* =.

Refert quoque, Archipresbyterum in festis diebus canere Missam, & pro populo applicare; nullumque extare ab antiquiori ætate monumentum de Missæ Conventualis cecelebratione, & applicatione. Et ad Chori servitium descendens, sic habet = *Consuetudo autem, quantum hominum memoria extenditur, est, quod in omnibus Dominicis, & festis de præcepto Missam cantatam tantum, & Vesperas decantant; totum autem divinum Officium triduo majoris hebdomadæ: die Paschæ, & per octavam; in festo Corporis Christi, & per octavam: atque in festo S. Erasmi titularis Ecclesiæ: singulis vero diebus quadragesimæ Completorium recitant* =.

Nec tamen omisit præ sua diligentia Episcopus adnotare, quæ abs antiquis ad limina relationibus exceperat, de quibus scribit = *Inveni, quod de Anno* 1629., & 1630. *Cæsar Ventimiglia bo: mem. Episcopus sic retulit. Bassiani ædes S. Erasmi Collegiata, & Parochialis. Archipresbytero, qui onus animarum subit, reditusque sexaginta Aureorum habet, & Canonicis sex committitur. Hi cum tenues reditus triginta nimirum aureorum percipiant, ad divinum officium recitandum nonnisi festis diebus teneri arbitrabantur, sed Sac. Congregationis præscripto compulsi, ritè singulis diebus in Choro omnes nunc persolvunt= Peractis autem modo diligentiis in Archivo Episcopali, hujusmodi Sac. Congregationis præscriptum non invenitur*. Cumque omnes alias percurrisset relationes a dicto anno ad

ad hæc tempora datas, filere illas, comperiit, de Chori servitio ad annum 1712., & ab inde citrà referre, Chori servitium præstari certis tantum temporibus, missamque cani festis diebus, & aliquot aliis.

Digreditur post hæc ad distributiones quotidianas, & ad reditus. Illæ desunt omnino; Et absentes a choro fallentias solvunt. Reditus vero quoad Archipresbyterum est sc. 75. 50. *computatis incertis, & detractis oneribus* (sunt verba relationis) *cum obligatione tamen applicandi biscentum Missas pro aliquibus piis legatis, quorum reditus in præfata Massa comuni comprehenduntur, ultra illas, quas pro populo singulis festis applicare tenetur. Quilibet autem Canonicus scuta 36. 05. cum obligatione applicandi, ut supra, centum Missas in singulos annos percipiunt. Tenentur etiam Archipresbyter, & Canonici deponere ex præd. reditibus in termino novem annorum scut. 230. 50. ratam scilicet scut. 30. quolibet anno pro extinctione debitorum cum Apostolico beneplacito jam contractorum pro ædificatione Molendini frumentarii Capitulo spectantis* =

Denique concludit = *arbitrarer, eosdem attenta tenuitate redituum, ad servitium Chori cum persolutione tamen integri divini Officii, & cum applicatione Missæ Cantatæ pro benefactoribus per turnum diebus tantum dominicis, & festivis de præcepto ultra consuetos, ut supra, constringendos fore* =

Ad primum. Resolutio ab alio examine dependet, quod antecedentis locum veluti tenet. Sciendum in primis videlicet est, num Ecclesia S. Erasmi sit nec ne Collegiata. Nam si Collegiatæ honorem, qualitatemque obtinet, nullus dubitationis locus erit, ad diurnum Chori servitium, & ad Missæ Conventualis quotidianam Celebrationem, ac applicationem obstringi; Secus si collegiata non sit. *Benedictus XIV. in Encyclica cum semper oblatas la* 103. *in suo bullar. tom.* 1., & *impress. post* Tesaur. *resol. Sac. Congreg. anni* 1754. *pag.* 221.

At in re præsenti deficere erectionem Ecclesiæ S. Erasmi in Collegiatam, Episcopus testatur. Cum ergo primus desit probationis modus, perquirendus est probationis habendæ modus alter, qui est à signis univocè concurrentibus ad illam comprobandam. *Mascard. de probat. conclus.* 584. *num.* 1., & *seqq. Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. *Lotter. de re benef. quæst.* 14. *num.* 54. *Card. de Luc. de præemin. disc.* 8. *num.* 51. plenè *Card. Petra in Comment. ad Constit.* 7. *Innocentii* 4. *sect.* 2. *num.* 15., & *seqq.*

seqq. & latiori calamo *Ferrar. Bibliothec. verbo Collegiata num.* 32. , & *seqq.* Et ratio eliciendarum probationum ea est , quod Ecclesia non Cathedralis , nec regularis , præsumitur simplex , & sine Collegialitate , quæ non innata Ecclesiis qualitas est , sed accidentalis , & adiecta ; Veluti observat *Card. Petra loc. citat. num.* 18. *Rot. decis.* 47. *part.* 10. *rec.*

Plurima recenset Episcopus hujusmodi signa , ex quibus Collegialitatem Ecclesiæ proficisci , tenent *Barbosa de Canonic. cap.* 2. *num.* 10. *Gonzalez in cap. cum dilecta de excess. prælat. num.* 3. *Vivian. de Jurepatr. part.* 2. *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. , *&* 5. , & *decis.* 44. *num.* 2. Et sunt, quod Capitulum S. Erasmi comune habet sigillum , comunemque Massam , stallum in Choro , locumque in Capitulo ; quod capitulariter congregatur , & novi Canonici, cum possessionem capiunt , juramentum adstante Capitulo præstant super constitutionum Ecclesiæ observantia .

Cum hæc tamen sint signa Ecclesiis receptitiis comunia , non autem specifica Collegialitatis veluti distinguit *Rota in Placentina prætensæ Collegialitatis* 19. *Novembris* 1703. *cor. bo. mem. Card. Scotto* , & *decis.* 365. *coram Card. Crescentio* hinc concludi satis non videtur , quod Ecclesia sit Collegiata . Et præsertim, quia Episcopus refert , Archipresbyteratum non esse dignitatem , videlicet non esse S. Sedi reservatum . In Collegiatis enim una saltem dignitas esse debet , quæ reservata est *in reg.* 4. *Cancellariæ* ; Veluti in terminis probandæ Collegialitatis ex signis , & coniecturis plenè docuit *Rot in d. dec.* 365. *per tot. coram Crescentio* .

Cæterum digna est observatione relatio ad limina anni 1629. , seu 1630. , de qua , ut supra monebam , Episcopus refert . Nedum etenim in ea nuncupatur Collegiata , & parochialis Ecclesia S. Erasmi , sed , & exponitur tum Canonicorum reluctantia a quotidiana Chori interessentia propter redituum tenuitatem : tum Sacræ Congregationis interposita auctoritas : tum Canonicorum subsequens acquiescientia , & execution in Chori diurno servitio : Nihilominus ab illa die posteriores relationes ad limina antiquius factum non commemorant , & Chori servitium ad Dominicos , aliosque festos dies coarctant .

Ad secundum . Defendunt Canonici , esse locum reductioni Missæ Conventualis , & servitii Chori , licet Collegiata renuncietur illorum Ecclesia . Proferunt equidem plurimam , quæ ipsis est , redituum tenuitatem . Revera,

ra, si onera subducantur centum Missarum, quas Canonicus quilibet celebrare compellitur, reditus singulorum, qui ad Episcopi relationem est in scut. 36. 05., redigitur ad scuta 26. 05. quare si modici sunt reditus, jam non decet, quod & graviore quotidiani Chori onere, & Missæ Conventualis celebratione ligentur. Namque, prout certum est, Canonicos tum ad divini Officii persolutionem in Choro quotidiè teneri ex dispositione Sac. Concilii Tridentini *in Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* tum ad Celebrationem, & applicationem Missæ Conventualis; ut ex dicta *Encyclica sa. mem. Benedicti XIV.*, ita pariter debet ex regula correlativorum obtinere, quod labori præmium comparetur; sicuti in simili ratiocinatur *Pignatell. Jur. Eccles. consult.* 91. *n.*1. & 3. *tom.*4.

Sacra hæc congregatio, attenta redituum inopia, sive locorum asperitate, aerisque inclementia, Chori servitium ad certos tantum dies redegit *in Cathacen. servitii Chori* 5. *Decembris* 1699. *in S. Severinæ* 13. *Julii* 1725. *in Casemar.* 30. *Julii* 1735. *in Civitatis Castelli Servitii Chori* 10. *Maii* 1738., & in *Tranen.* 22. *Novembris ejusdem anni*. Conferunt quoque resolutiones *in Ferentina* 3. *Augusti* 1782., *& in Alatrina Servitii Chori* 14. *Aprilis* 1784. & 9. *Julii hujus anni*.

Reductionem verò Missæ Conventualis denegavit *in Callien.* 25. *Januarii* 1744. sed ad dies festos de præcepto concessit *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746. *in Ariminen. Missæ Conventualis* 18. *Septembris* 1751. *in Aretina Missæ Conventualis* 18. *Novembris* 1769., & *in Alexandrina Missæ Conventualis* 7, *Julii* 1770., *& in Placentina* 30. *Julii currentis anni*.

His itaque perpensis, itemque Episcopi Voto, cujus verba desuper transcripsi, partes erunt EE. VV. Sapientissimum de more reddere infrascriptis dubiis responsum.

I. *An Canonici, & Archipresbyter Ecclesiæ Sancti Erasmi in Oppido Bassiani teneantur quotidiè Officium in Choro recitare, & Missam Conventualem pro benefactoribus.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni dicti oneris in casu &c.*

Seff. 22. *cap* 11. & *Seff.* 25. *cap.* 11. *de Reform.*

FIRMANA TRANSACTIONIS. Scripferat Francifcus Stucci in poftremis tabulis, hæredes fibi univerfales Simonem, ac Julium Cæfarem fratres Stucci, illorumque favore fideicommiffum condidit, primò in filios, defcendentefque Mafculos progreffurum, deinde in fæminas tantum agnatas, nec ultrà. Quibus mafculis, fæminifque deficientibus, modica excepit bona, deditque Monti Pietatis Maceratæ, reliqua vero omnia deftinavit erectioni Montis in oppido Malleani Firmanæ Diæcefis pro puellarum dotatione, conftituto executore ejufdem oppidi Confilio, cui amplas pro adminiftratione facultates, jufque nominandarum puellarum attribuit.

Citiùs, quàm putarat, abfumpta eft Mafculorum defcendentia, imo nec incæpit, cum hæredum alter fine filiis obierit, & alter unica relicta filia Eleonora Stucci, quæ Comiti Vincentio Crefci nupfit; Et ex eo Conjugio adnatus eft Comes Francifcus, cui mater intervivos omnia fua donaffe dicitur.

Potita eft hæreditate Stucci, veluti ex teftamenti lege decebat, donec fofpes fuit, Comitiffa Eleonora. Sed cum naturæ debitum folviffet anno 1783., venit conditionis dies favore Montis dotalitii, quem ab annis fex, & octoginta pius teftator fubftituerat. Verumtamen Comes Francifcus Crefci, diligentior Communitate Molleani, poffeffionem omnium bonorum non interpofita mora cepit, ac Monitorium jactationis fuper Manutentione coram A.C. expedivit, eidemque comunitati præfentari curavit.

Coactis idcirco públicis oppidi comitiis, non defuit animus in contradictorium defcendendi; fed prudentia in ipfo concertationis limine confuluit, rem cum comite Crefci ex bono, & æquo fore potius agendam. Quod cum factum fit ita; vifa fuere, & expenfa, Jurifperitis adhibitis, Crefci jura, qui teftibus prolatis defendebat, prædia nonnulla urbana, & ruftica, primis hæredibus a teftatore donata fuiffe fimulque plura Argenta elaborata; quique pro melioratis, auctifque prædiis confirmabat, fe non mediocrem effe Creditorem: Litis quoque fumptus, ejufque dubietas, atque etiam in exitu admodum fælici, fauftoque non declinabilis prorogatio in puellarum præjudicium ad examen venere. Reditus denique decennales prædiorum in computationem deducti funt, libris perquifitis, tempore non fufpecto a Miniftro bonæ fidei confcriptis, auditifque peritis agrariis in locorum faciem ablegatis.

Poft

Post hæc ad transactionis Capitula ex ordine ventum est. Et in *primis* voluere, omnia stabilia renuncianda esse, veluti operæ piæ devoluta, quæ in inventario inscripta sunt, exceptis Monti Maceratensi relictis, deletisque pænitus juribus, quæ de donatione quorumdam Comes Cresci movebat. *Secundò*, ut ea bona eidem dentur Comiti in emphiteusim perpetuam cum onere annui Canonis sc 167. 76. omnibus soluti gravaminibus præsentis, posterique temporis, sub conditione tamen assensus Consilii, ac pontificiæ approbationis; quibus accedentibus, cura sumptuum quorumlibet sit Comitis Cresci, Brevi comprehenso, ac etiam stipulatione.

Tertiò. Vt in omni devolutionis casu nedum bona recidant, quæ conceduntur, sed quæ etiam ædificia a successoribus Testatoris confecta sunt, & quorum ratio in Canonis taxatione non est habita. *Quartò*, ut toties laudemium sc. 50. pendatur, quoties emphiteusis bona a descendentibus in extraneos transeant, sive ab intestato, sive ex testamento, sive ex Contractu.

Quintò, Prout Comes præfatus, ductis rationibus, debitor quoque operis pii compertus est scut. 1321. 42., ita debeat in ipsa stipulationis die tot capitalia eidem operi concedere, quæ annuos fructus in ratione quatuor in singula centum reddant. Sin minus donec traditio fiet, totidem solvat pro damnis fructus. *Sextò demum*. Ne terrula prædio Montis Milonis addita, & ab hæredibus Stucci empta scutis 130., comprehendatur inter bona in emphiteusim concessa, sed vendatur. Et sicuti ex dicto pretio scuta 30. hæredes sua de crumena exposuerant, ita pretium ab venditione retrahendum pro decem ex tredecim partibus ad pium opus pertinebunt, reliquæ Comitis erunt.

His ad consilium oppidi relatis, experimento suffragiorum tradita res est. Cum autem ea numerarentur undeviginti, suffragia tredecim transactioni faverunt, secus reliqua septem. Unico hinc deficiente ad resolutionis perfectionem suffragio, opportuit, ut supponunt, rem deferre ad Civitatis Firmi Gubernatorem, qui petitis annuit, sanatione decreta.

Cum ad exitum concordia jam properasset, preces nomine puellarum Molleani Sanctissimo Pontifici porrectæ fuerunt, in quibus admodum conquerebantur, tum de Gubernatore præfato, quod in sanatione jure abusus fuisset suo; tum de perpetuitate Emphiteusis nimiam perhibente alienationem contra testatoris voluntatem;

tum de omissis edictis, omissaque Candelæ accensione; cum præsertim majores habeantur ad scuta tercenta oblatores. Iisque addebant, quod sicuti Comes Cresci alia sc. 1348. pio operi debet, ita ex lignorum incisione, maximè timendum, ne debitum dimittere aggrediatur grandiori cum bonorum detrimento.

Precibus delegatis ad hanc Sacram Congregationem, Archiepiscopus Firmanus, qui rogatus fuerat suam dicere sententiam, rescribens: rem ex facto confirmat; prout supra exposita est. Ait autem, se aliquas adversus transactionis Capitula movisse difficultates, quibus Comunitatis deputati plenissimè satisfecerunt; ac idcirco informationi adjunxit plura eorumdem folia sibi exhibita, diffusèque conscripta. Sed prout ab edictorum affixione nonnihil dissentit, ita latè plaudit emphiteuticæ concessioni, de qua sic concludit = *Quidquid autem sit de hisce omnibus, super quibus gravissimum dabunt EE. VV. judicium, illud dicam, quod expedire censeo, ut omnia bona, de quibus agitur, in emphiteusim potius, quam alicui administranda tradantur. Experientia equidem teste, video, quantæ sint fraudes, & quot mala in locis piis exoriantur, quorum res situs, vel non sint locati, vel in emphiteusim traditi non sint. Ut igitur hoc, de quo est contentio, absolvatur, potius expediret, præsertim verò ex causa litis jam a Comite Cresci instauratæ* =

Jura comunitatis cum informatione, & inclusis foliis circumferuntur. Si verba testamenti pendantur, plana siquidem erumpit Mens testatoris; quod nimirum intacta servarentur bona, eaque per Villicum Curatorem Comunitas, sive illius Consilium ministraret. In summa testator Comunitatem selegit nudam, simplicemque administratricem. Utique in eamdem in ipso testamento contulit ampliores facultates, sed = *acciò in tutto e per tutto questa mia disposizione sia eseguita* = magisque se ipsum veluti glossavit, cum prosecutus est explicare collatas Comunitati facultates = *e percio voglio, che dopo tutti li Maschi, e femmine come sopra spetti alla medesima l'amministrazione dei miei beni, il deputare, o il rimuovere a suo arbitrio l'Agente, o Fattore con rivedere i Conti, l'eleggere Zitelle &c.* =

Uti ergo nequibat qua administratrix voluntariè alienare, ita neque in emphiteusim concedere; Cum emphiteusis sub alienationum genere comprehendatur ex authoritate *Justiniani in leg. fin. Cod. de reb. alien. non alienan.* Quid verum si per transactionem contrectata sit emphyteusis? si re-

si regulæ generali standum sit, cui fas non est alienare, eidem transigere nefas est, ad textum in *L. non solum Cod. de præd. min.*

Plures tamen limitationes regula capit. Quia verum in capitulo secundo scripta conditio fuit pontificii beneplaciti, quæ totum informat Contractum, hinc fit, superfluum esse de Jure Comunitatis inquirere. Nam conditione pendente, contractus ad suam nondum venit perfectionem. Itaque potissime videndum est, num dotalitio Monti utilis transactio sit, ut propterea laudetur, seu reprobetur: numque benè, aut secus edicta cum consectaria subhastatione omissa fuerint.

Episcopus, utilem esse transactionem, sentit; tum quod litem perimit, cumque ea periculum, moras judiciales, impensas plurima ex parte non refectibiles, præjudiciumque puellarum, quæ ad litis exitum, non unica instantia finiendæ, dotes consequi vetantur; tum quod per emphiteusim administratio removetur, quam bonis, frugibusque plurima sæpe pericula afferre, magistra ipsum docuit experientia. Sed & opinatur, redigi ad praxim non posse, quod edicta publicentur, ac deveniatur ad subhastationem. Nec sine ratione opinari videtur. Nam aut lite agendum est cum Comite Crelci; aut in edictis proponendum, quod litis sumptus, & periculum oblatores suscipiant. Quis vero iste oblator erit, qui litis periculum sibi velit imponere? Non equidem ii, quorum oblationes in puellarum precibus continentur, quia imo declaraverunt, ab omni liberos, immunesque lite se esse velle. Sin lite agendum sit, jam præsto sunt exitus incertitudo, sumptus, diuturnitas litis, ac dotationum damnosa prorogatio. Non ne aliquam promeretur æstimationem a lite recessus? Videri poterit = *Votum clar. mem. Card. Pereyra in Cajetana Spolii impress. post Thes. resolut. anni* 1723. *tom.* 2. *pag.* 416. Quid autem Comiti Crelci conceditur, nisi Emphiteusis cum remissione sextæ partis fructuum in Canonis taxatione?

Observandum est, Comunitatem inficiari Arborum cedendarum periculum; & si periculum adesse placeat, reponit, occurri eidem in stipulatione, facillimè posse.

Dubium, quod proponitur, est.

An sit approbanda transactio, itaut sit stipulandum instrumentum in casu &c.

FO-

Seff. 22. cap. 9. de Reform.

FOROLIVIEN. Viginti hæc Caussa comprehendebatur dubiis, cum primum subivit EE. VV. judicium in Congregatione diei 11. Septembris anni 1784., partesque collitigantes exceperunt congruas ad singula dubia responsiones; veluti ex folio de more tunc distributo, quod etiam impressum est in *Thesaur. resol. ejusdem anni tom.* 53. *pag.* 205., & 219.

Siluit Foroliviensis Comunitas, quæ partium contradicentium alia est; secus tamen pars alia: scilicet fratres Servitæ. Porrò a resolutionibus reclamarunt quoad I. VI. VII., & XI. dubium. Sed cum reproponeretur die 12. Martii anterioris, dixerunt, imparetos se esse, & gratiosam obtinuerunt dilationem. Denique in judicialem arenam utrimque ventum est die 7. Maii sequentis, placuitque EE. VV. rescribere ita = *Ad I. iterum proponatur* = *Ad VI. in decisis, & amplius* = *Ad VII. affirmativè, & recedendum a decisis* = *Ad XI. in decisis, & amplius.*

Caussa modo redit, tum super *primo* dubio, cujus repropositionem EE. VV. decreverunt; tum super *septimo* dubio, in quo recessum fuit a decisis. In *primo* dubio originaliter quærebatur = *An claves aperientes Ribaltas exterius claudentes urnam, in qua sacrum divi Peregrini Latiosi corpus asservatur in Ecclesia patrum Servorum B. M. V. Forolivii, retinendæ sint ab iisdem patribus, seu potius comunitati competat jus retinendi alteram ex illis.* In dubio autem *septimo* quærebatur de Oratoris deputatione nempe = *An ab eadem comunitate deputandus sit pro eodem effectu Religiosus ordinis Servorum B. M. V.* =

Dubia igitur, quæ proponuntur, sunt.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis, quoad primum dubium.*

II. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis, quoad septimum dubium in casu &c.*

Finis.

INDEX
CONCLUSIONUM, ET RESOLUTIONUM.

Et

D

E

Orato-

Trans-

FINIS.

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R.P.D. PHILIPPO CARANDINO

Prodierunt in Causis sub annum 1786.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LV.

DUPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLXXXVI.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

INDEX
CAUSARUM PER DIŒCESES

Mala-

F I N I S.

Die Sabbathi 21. Januarii 1786. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda

IN Folio proximæ Congregationis quinque superfuerunt Caussæ, quæ propositæ non fuerunt, eæque cum quatuor reliquis in præsenti folio describuntur.

ASSISIEN. *Sess. 22. cap 8, & 9. de Reform.*

I. *An sustineatur Episcopi Edictum in ea parte, in qua Confraternitatum Officiales jubentur certiorem facere Episcopum in Civitate, & Vicarios Foraneos in Diœcesi de Congregationibus habendis, ne conveniant sine ipsius, sive Vicariorum interessentia.*

II. *An sustineatur Edictum in ea parte, in qua mandatur intimari omnes, & singulos Sodales in propriis domibus, ut intersint Congregationibus, tam ordinariis, quam extraordinariis.*

III. *An sustineatur Edictum in ea parte, in qua vetitum fuit Administratoribus Confraternitatum facere expensas cujuscumque generis usque ad scut. 3. sine collegiali consensu in pluralitate suffragiorum præstita.*

IV. *An sustineatur Edictum in ea parte, in qua sancitum fuit, quod si expensæ cujuscumque generis excedant sc. 3. præter approbationem majoris partis Confratrum, impetrari debeat Episcopi licentia.*

V. *An sustineatur Edictum in ea parte, in qua jubentur Confraternitates, seu illarum Officiales deponere in Æde Sacra Assisii Sortes Censuum, aliorumque Creditorum in casu restitutionis cum vinculo investimenti; itemque vetantur ad investimenta procedere absque Ordinarii approbatione.*

VI. *An sustineatur Edictum in ea parte in qua mandatur fieri depositum in Æde Sacra Subsidiorum Dotalium statim, ac facta fuerit extractio, seu nominatio Puellarum ad eadem Subsidia.*

VII. *An substineatur Edictum in ea parte, in qua jubetur Confraternitatibus, ut præter retentionem Libri Resolutionum, quæ in Congregationibus capiuntur, conficiatur alius Codex administrationis æconomicæ cum adnotatione facultatum ab Ordinario pro faciendis sumptibus, & investimentis datarum.*

VIII. *An substineatur Edictum in ea parte, in qua decernitur, electionem Officialium faciendam esse per secreta suffragia, non viva voce, ac insuper conclusam non censeri, nisi concurrant duæ ex tribus partibus suffragiorum.*

IX. *An substineatur Edictum in ea parte, in qua mandatur, buxulos Officialium fieri coram Ordinario, vel persona ab eodem delagenda, & extractiones fieri præsentibus omnibus Sodalibus.*

X. *An sit locus circumscriptioni Congregationis habitæ die 6. Februarii 1785. in casu &c.*

Ad I. Affirmativè quoad certiorationem pro extraordinariis tantum, in reliquis negativè.

Ad II., & III. Affirmativè quoad extraordinarias tantum.

Ad IV. Affiematívè ad formam Synodi Episcopi Sermattei.

Ad V. Affirmativè in omnibus.

Ad VI. Affirmativè.

Ad VII. Affirmativè in omnibus.

Ad VIII. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & suffragia majoris partis sufficere.

Ad IX. Negativè ad primam partem, & quoad secundam servari solitum, salva approbatione Episcopi.

Ad X. Negativè, & amplius.

MALACI-

MALACITANA IRREGULARITATIS. *Sess 23. cap. 12. de Reform.*

An sit locus dispensationi in casu &c.

Consulendum SSmo pro gratia.

SETINA CHORI, ET MISSÆ CONVENTUALIS. *Sess. 21. cap. 3. Sess 22. cap. 3. Sess 24. cap. 12. de Reform.*

I. *An Canonici, & Archipresbyter Ecclesiæ S. Erasmi in Oppido Bassiani teneantur quotidie Officium in Choro recitare, & Missam Conventualem pro Benefactoribus celebrare.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni dicti oneris in casu &c.*

Ad I. Compellendos esse Archipresbyterum, & Canonicos ad Servitium Chori, & applicationem Missæ Conventualis juxta Votum Episcopi.

Ad II. Provisum in primo.

FIRMANA TRANSACTIONIS. *Sess. 20. cap. 11. & Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

An sit approbanda transactio, itaut sit stipulandum Instrumentum in casu &c.

Negativè, & deputetur ab Episcopo Curator ad Lites sumptibus Communitatis cum obligatione redintegrationis ex bonis recuperandis.

FOROLIVIEN. *Ses. 22. cap. 9. de Reform.*

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium.*

II. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad septimum dubium in casu &c.*

Ad I. Recedendum a Decisis.

Ad II. In secundo loco Decisis, & amplius.

Sess. 23. *cap.* 8. *de Reform.*

CIVITAIS CASTELLI. Dominicus Sediari Civitatis Castelli Cappellaniam in Ecclesia S. Theresiæ ejusdem Civitatis fundavit anno 1739., ejusdemque patronatum activum Joanni Baptistæ, ac Francisco Sediari Fratris Filiis eorumqne descendentibus in infinitum elargitus est; passivum vero iisdem descendentibus reliquit, mox iis qui a Josepho Buratti concive suo descenderent per ea verba = *che se in caso non vi fosse alcuno della detta discendenza mascolina capace ad essere nominato ed ottenere detta Cappellania, allora, ed in tal caso siano sempre tenuti ed obbligati, come detti Gio. Battiste, e Francesco vogliono esser tenuti e per se, e loro &c. nominare uno della Casa, e discendenza del Signor Giuseppe Buratti di questa Città in Cappel.ano della medesi na Cappellania* =.

Cum Dominicus Sediari primus Cappellanus a Fundatore nominatus diem obierit supremum anno 1780., Floridus Sediari Orator, ac Patronus ejusdem Cappellaniæ nullum repetiens in Sacris, vel in ætate legitima constitutum in sua familia, ad eam Josephum filium suum annorum duodecim nominavit sub conditione obtinendæ dispensationis, prout revera supplices preces Sanctissimo ob tulit a quo ad hanc Sacram Congregationem remissæ fuerunt.

Auditus de more Episcopus significavit Priorem Joannem Buratti se se in contradictorem erexisse ne postulata dispensatio concederetur; Dicebat enim se passive vocatum, semel ac in descendentia Sediari desideratur persona, quæ sit nominationis capax = *in caso non vi fosse alcuno della discendenza mascolina capace ad esser nominato ad ottenere detta Cappellania siano tenuti &c. nominare uno della Casa Buratti.* Desiderari autem personam nominationis capacem ostendit, quia in tota descendentia inventus non est nisi puer 12. annorum, cui Ecclesiastica Beneficia conferri nequeunt juxta claram Tridentini *Sanctionem Sess.* 13. *Cap.* 6. *de Reform.*. Expensis utriusque partis juribus Sententia Episcopi est quod *posset Patronus præsentare, ac nominare Josephum Sediari adolescentem optimæ spei, & omnibus tam morum, quam ingenii dotibus exornatum, ac inhabilem ex defectu ætatis sub conditione dispensationis, cum fundator non exquisierit habilitatem de tempore vacationis Beneficii*.

Die 9. Aprilis elapsi anni jussum fuit, ut causa describeretur in Folio citata parte, Dubiumque fuit subscriptum: Mox Prior Buratti de suis juribus diffidens, litem abdicavit, ac *nihil transeat* antea appositum in Secretaria lacerari consensit; adeoque sine partis contradictione Floridus Sediari hodie votum S. Congregationis efflagitat pro dispensatione favore filii sui a se nominati. So-

Solet Dataria Apostolica quando res est de passive vocatis facillime dispensationem concedere *Corrad. in prax. dispens. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 8. *Piton. discept. Eccl.* 13. *num.* 2., & sæpissime ita consuluit S. hæc Congregatio juxta exempla collecta *in Cremonen. dispensationis* 2. *Decembris* 1775. Tanto autem securius, quia Clericatus tantummodo in hac Cappellania desideratus videtur semel ac jussum fuit *che il Cappellano debba celebrare o far celebrare all' Altare &c. Messe due la Settimana*, & semel ac primus Cappellanus a Fundatore designatus sub ea tantum conditione fuit *se di quel tempo sarà fatto Chierico*. Longe porro gravior erat casus *in Cornetana* 6. *Maii* 1775., in quo præcepta fuerat celebratio per seipsum, & *in Cremonen. Dispensationis* 2. *Decembris dicti anni* in quo nominandus erat actu Sacerdos, & ad Sacerdotii Ordinem promotus; & nihilominus in utroque *annuendum S. hæc Congregatio Dispensationi censuit*.

Neque intrinseca ratio deest; quando enim res est de habilitate requisita ex parte personæ satis est ut illa infra terminum quadrimestris laicis personis dati ad præsentandum superveniat, sive id per naturam rei contingat, quia eo temporis intervallo præsentatus ad requisitam ætatem adolescat, sive per Apostolicam dispensationem, qua Summus Pontifex supplet in eo defectum ætatis ut bene docent *Bald. ad l. Humanitatis Cod. de Impuber. num.* 18. *Thesaur. quæst. forens.* 34. *num.* 32. *lib.* 1. *Pignatel. Consult. Can. la* 151. *num.* 2. *tom.* 4. Atque in præcisis terminis *Piton. de controv. patron. alleg.* 2. *num.* 16. *plurimique ab eo collecti*.

Locum autem habere hinc non potest quæstio de habilitate personæ nominandæ quæ requisita fuerit tempore vacationis potiusquam tempore præsentationis; Eam quippe excludunt superius transcripta verba in quibus tota residet de passivo jure patronatus dispositio. His autem positis innocuam omnino esse veniam ætatis a S. Pontifice concedendam tenuit S. hæc Congregatio *in Monasterien.*, *& Osnapurgen. Canonicatuum* 7. *Aprilis* 1753. *confirmata* 21. *Junii dicti anni ut in Thesaur. Resolut. tom.* 22.

Definiant ergo EE. VV.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

LAU-

*Seff.*25.*cap.*11. *de Reform.*

LAURETANA EMPHYTEUSIS. Moriens Bartholomeus Cleri Mariam Bernardi Uxorem inſtituit, & quoad duo prædia, quæ ſita ſunt in Regione = *la Bandirola* = ſubſtituit eidem Societatem Mortis Laureti cum onere tot Miſſarum, quot Ordinarius celebrandas decerneret. Maria ſecundò nupſit Franciſco Angelelli; cumque nonnullos poſt exactos annos in ſenium, & adverſam in valetudinem admodum deveniſſet, hanc Sacram Congregationem precata eſt, ut ex tunc Epiſcopo liceret, utrumque prædium viro ſuo poſt ejus obitum in emphiteuſim concedere. Verum ipſo Epiſcopo audito, reſcriptum fuit die 15. Martii 1777. = *proponatur inſtantia cum factus fuerit locus devolutioni bonorum favore Societatis Mortis* =

Mortua anno 1784. Maria Uxore, Franciſcus Angelelli eamdem inſtauravit poſtulationem, excepitque reſponſum = *Supplicet confraternitas Mortis* = Res idcirco delata eſt ad Societatis conventum diei 23. Januarii anni ſuperioris, in quo cum Franciſcus ſe ſoluturum obtuliſſet tum ſcuta 26. jure Canonis Domino directo, tum eleemoſinas tot Miſſarum, quot Ordinarius arbitraretur, tum ſcuta 15. Societati, ab ſuffragiorum pluralitate reſolutum fuit, porrigendas eſſe Sacræ Congregationi preces pro emphiteuſis conceſſione favore Angelelli ineunda.

Sed rem intimè attendentes Vicarius generalis, qui reſolutioni præerat, aliique Sodales, declaraverunt, eamdem reſolutionem abſque executione permanſuram fore, niſi de prædiorum Meliorationibus, quas Franciſcus jactaverat, antea conſtitiſſet; in eamque ſententiam ipſe quoque Franciſcus conceſſiſſe dicitur. In rem tamen præſentem cum venerint ii, quibus prædiorum examen fuerat delegatum, deteriorationes magis, quam meliorationes inveniſſe retulerunt.

His acceptis, intellexere Sodales, nec amplius omittere edicta decere. Hinc propoſita diſcuſſione in ſecreto Societatis Conventu, ſuffragia pro edictorum affixione prævaluerunt. Indeque repetito experimento in conventu generali, in eamdem ivit pluralitas ſententiam: nimirum die 6. Martii revoluti mox anni.

Novas interea porrexit Franciſcus Angelelli Sacræ Congregationi preces, quibus decretum fuit = *Epiſcopo pro informatione, & voto, ac videat, & referat de annuo redditu, & numero Miſſarum præfiniendarum prævia edictorum affixione favore majoris. & melioris oblatoris ad novennium* =

Epi-

Episcopus rescripsit, tam super Angelelli precibus, quam super aliis, quas Sodalitium obtulerat, & plenè lateque plaudit affixioni edictorum. Quo vero ad annuum reditum, missarumque numerum præfiniendum, sic ait = *Cum enim sequuta substitutione favore Confraternitatis, ad me pertineat declarare, quot, quantæque Missæ quotannis juxta testatoris mentem erunt celebrandæ, ad declarationem hujusmodi procedere nequeo, donec de annuis prædiorum redditibus non constet* =

Quemadmodum ergo ex parte Angelelli contenditur, firmam immotamque manere debere absque edictorum affixione resolutionem, quæ in Congregatione die 23. Januarii superioris anni capta fuerat; Ita duo proponuntur dubia quæ infra descripta sunt.

Ad primum. Defendunt Sodales, ideo cum majori suffragiorum numero in illa die convenisse de precibus porrigendis pro emphiteusis concessione, quod veras supposuerint prædiorum meliorationes, quas scriptis, dictisque Angelellius sæpè jactaverat. Cum propterea compertum secus fuerit, cecidit resolutio ex suppositi defectu, qui consensum ab actu in ipso sui primordio penitus removet. Remque ita se habuisse, patere ad oculum, ajunt, si quæ immediatè post resolutionem, & potius continuativè subsecuta sunt expendantur. Nulla quippe interposita mora Vicarius generalis, aliique Sodales scriptis declaratum voluere, tunc resolutionem esse exequendam, cum de meliorationibus verè confectis constitisset. Et ratio suadet. Nam meliorationibus stantibus, utique causa poterat intercedere, cur sive ad illorum refectionem, sive ad litem de iis evadendam, liceret Sodalibus in Meliorantis favorem assentiri emphiteusi, obliteratis edictis, concedendæ. Quid ni? Huic declarationi consensum accommodasse suum Angelellium, ipsa habitæ Congregationis verba ac Resolutio præseferunt.

Sed, utcumque se res habeat, Sodales resolutionis pænituit. Nonne pænitere licuit, re non infecta? Profecto in alia Congregatione post peritorum judicium exceptum relata res est, & discussioni exposita, suffragiisque collectis, ea Sententia fuit Suffragiorum 54. contra novem, quod pro emphiteusi ad tertiam concedenda generationem publicarentur edicta.

Ad secundum. Quoties de alienatione facienda a loco pio hodie quæritur, ajunt Sodales, esse necessariam edictorum affixionem. Cum enim de alienationis evidenti utilitate debeat constare, subhastatio potissimum præstat modum utilitatis dignoscendæ, & obtinendæ. Caute-

nam-

namque procedatur opportet omnique possibili via succurrendum ecclesiæ. Reque vera Sacra hæc Congregatio ut plurimum observat, ut ante beneplaciti concessionem edicta publicentur, eique ab ordinario remittantur oblationes. *Card. Petra ad Const. I. divi Leonis magni Sect.* 3. *num.* 29. *tom.* 1. *in Neapolitana Domus* 13. *Januarii* 1731., *in Lauden.* 5. *Maii*, & 2. *Junii dicti anni*, *in Florentina emphyteusis* 5. *Maii* 1735.

Unum hactenus Sodalium libellum habuimus. Dignentur EE. VV. definire.

I. *An sustineatur resolutio capta sub die* 23. *Januarii* 1785. *a Confraternitate Mortis Laureti de stipulanda emphiteusi cum Francisco Angelelli de duobus prædiis in territorio ejusdem civitatis positis in contrada la Bandirola = ad ipsam confraternitatem spectantibus.*

Et quatenus negativè.

II. *An sit locus affixioni edictorum pro ineunda emphiteusi de iisdem prædiis in casu &c.*

Sess. 14. *cap.* 9., & *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

CRACOVIEN., ET GNESNEN. UNIONIS. In Palatinatu Siradensi, ac Dioecesi Gnesnensi Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Cracoviensis a tempore, cujus latet initii memoria, possidet fundum peramplum, quod regionis incolæ vocant Pabianice, illiusque reditus quotidianis distributionibus addicitur. Duo ibidem oppidula sunt alterum nuncupatum Pabianicæ, & alterum Rzgou, totidemque manent parochiæ, quarum una sub invocatione B. Mariæ in Cælum assumptæ, & alia S. Stanislai Martyris, ac utrinsque patronatu Capitulum Cracoviense potitur.

Cum longæva ab experientia Capitulum novisset, graves oriri frequentes, diuturnasque lites inter dictarum Ecclesiarum Parochos, & Capitulum super Ecclesiarum, & ædium parochialium reparationibus, superque parandis Supellectilibus, ac stipendio Vice-Curatis solvendo; Itaut harum ratione controversiarum tum Ecclesiæ, tum ædes labarent, Supellectilesque negligerentur; simulque Cura animarum; venit in Sententiam supplicandi pro illarum, cum vacaverint, unione favore Capituli, onere perpetuo injuncto eidem coficiendarum reparationum, ac Supellectilium; pariterque congruas assignandi utrique perpetuo rectori ad illius præsentationem instituendo, uni scilicet cum titulo Commendatarii, & alteri cum titulo Vicarii perpetui. A

Por-

Porrectis idcirco Sacræ huic Congregationi precibus, interrogati de more fuerunt tum Primas, & administrator Cracoviensis, qui deinde, & Archiepiscopus Gnesnensis fuit renunciatus, tum Nuncius Apostolicus Poloniæ, & ambo facti seriem, veluti Capitulum exposuerat, confirmarunt, ejusdemque votis libentissime accesserunt; eoque facilius, quod ambæ Ecclesiæ undique satiscentes, & ferme dirutæ reparationibus maximè indigent.

Duo verum Nuncius in sua informatione consulit, quatenus unio concedatur, nimirum = *ut detracta* (sunt informationis verba) *parochorum, vicariorumque congrua, deductisque aliis necessariis expensis, reliqui, si qui sunt, annui superextantes reditus in majorem Ecclesiarum decorem, utilitatemque, ac in pauperum sublevamen, onerata in id eorum conscientia, convertantur*. *Id quod, & precibus consonum esset*, & *ad quamlibet captandi lucri suspicionem a Capitulo propulsandam aptissimum. Non abs re quoque foret injungere, ut perpetua constituatur vicaria, quemadmodum exigere videtur perpetua, quæ fieret, unio; ut ex Constit.*47. *S. Pii V.*, & *Const.* 34. *sa. mem. Benedicti XIV.*, *ita ut futuris temporibus in titulum collativa juxta præsentem suam naturam remaneat, & in congrua parochis assignanda emolumenta Stolæ, veluti incerta, haud computentur* =

Huic petitioni unionis duæ *Sacri Concilii Tridentini* dispositiones obversantur: nimirum *in Sess.* 14. *cap.*9. *de Reform.* in quo uniones vetantur beneficiorum in una Dioecesi existentium cum beneficio alterius Dioecesis, ne Ordo Ecclesiasticus perturbetur; & *in Sess.* 24. *cap.*13. *de Reform.* ubi hujusmodi Ecclesiarum parochialium uniones generaliter prohibentur; & Canonistæ comuniori calculo, illas odiosas esse conveniunt. *Fagnan. in Cap. exposuisti de præben. num.*19. *Turricell. de unione benefic.quæst.*882. *num.*2. *Card. de Luc. de benef. disc.* 19. *num.*13.

Cum autem in re præsenti, & accedat amplissimus consensus Archiepiscopi Gnesnensis, in cujus Dioecesi Ecclesiæ parochiales manent; Et concurrat, Capitulum Cracoviense potiri illarum patronatu, emolliuntur præfatæ Sacri Concilii dispositiones ad tradita per *Barbos. ad idem Concil. cap.*5. *Sess.* 21. *de Reform. Fargn. de Jurepatr. part.*5. *can.*9. *cas.*1. *num.*45. *Gonzal. ad reg.*8. *Cancell. glos.*6. *num.*95.

Cæterum illud in hac materia potissimum est, quod evidens necessitas, & utilitas adsint, & urgeant fieri unionem. Has enim pro conditionibus constituit Honorius III. *in Cap. exposuisti* 33. *de præben.* ubi ait = *Si evidens necessi-*

tas, vel utilitas exigat, præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eisdem augumentare, reservata tamen congrua Cappellarum præsbyteris portione =

Hinc Sacra Congregatio quandoque denegavit unionem, etsì ageretur de Capitulo patronatum habente parochialis Ecclesiæ; veluti *in Frisingen.* 14. *Junii* 1710. *in Legionen.* 24. *Aprilis* 1723., *& in Basileen.*, *seu Coustantien. unionis* 26. *Martii* 1768., & quandoque unioni assentita est; ut in *Compostellana unionis* 20. *Septembris* 1692. quæ impressa est post Cracovien. unionis *in Thesaur. resol. tom.*9. *pag.* 147. *in Colonien.* 20. *Septembris* 1727. *in Legionen.*, *& Astoricen. Unionis* 11. *Aprilis* 1739., & *in Cracovien. Unionis* 5. *Decembris dicti Anni*.

Igitur, cum Summi Pontificis manus abbreviatæ non sint ad notissimam doctrinam *Abbatis in Cap. sicut unire n.*2. cui Interpretes nostri comuniter subscribunt, videndum maxime erit, an circumstantiis attentis, concurrant in hac causa ad unionem conciliandam, necessitas, & utilitas, non quidem Capituli, quod in sui compendium non postulat unionem, sed utriusque uniendæ parochiæ, quibus ruinam minantibus consulere Capitulum protestatur ad majus divini Cultus incrementum; & cui consultum videretur, adhibitis modis in relatione Nuncii Apostolici propositis.

Dubium, quod proponitur est.

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

*Sess.*21. *cap.* 4. *de Reform.*

CARPENCTORATEN. DISMEMBRATIONIS. In folio Congregationis diei 30. Julii Anni nuper evoluti descripta hæc fuit Caussa, quinque comprehensa dubiis, proponi tamen non potuit. Sed proposita in sequenti Congregatione diei 20. Augusti, placuit EE. VV. rescribere = *ad primum negativè*, & *amplius*. *Ad secundum provisum in primo*. *Ad tertium affirmativè juxta votum Archiepiscopi*. *Ad quartum, & quintum dilata* = Quo itaque ad duo hæc postrema dubia redit ad examen Caussa.

I. *An, quibus Mediis, & Cujus expensis sit construenda capella, seu Ecclesia Succursalis, ac domus pro habitatione præsbyteri Capellani, nec non subministranda sacra Suppellectilia, & respectivè manutenenda.*

II. *An, quibus modis, & cujus expensis sit persolvendum stipendium eidem presbytero, & in qua quantitate in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 4. Februarii 1786. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor priores in ordine causæ proponi haud potuerunt in superiori Congregatione. Hodie itaque expectant gravissimum EE. VV. judicium.

CIVITATIS CASTELLI. *Sess.23. cap. 8. de Reform.*

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Affirmativè.

LAURETANA EMPHYTEUSIS. *Sess.25. cap.11. de Reform.*

I. *An substineatur resolutio capta sub die 23. Januarii 1785. a Confraternitate Mortis Laureti de stipulanda Emphyteusi cum Francisco Angelelli de duobus prædiis in territorio ejusdem Civitatis positis in contrada la Bandirola ad ipsam Confraternitatem spectantibus.*

Et quatenus negativè.

II. *An sit locus affixioni edictorum pro ineunda Emphyteusi de iisdem prædiis in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius.

Ad II. Affirmative pro locatione ad 29. annos, & amplius.

Seſſ. 14. cap. 9., & Seſſ. 24. cap. 13. de Reform.

CROCOVIEN., ET GNESNEN. UNIONIS.

An, & quominodo Capituli Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Affirmativè juxtà Votum Ordinarii, & Nuncii Apoſtolici facto verbo cum Sanctiſſimo.

Seſſ. 21. cap. 4. de Reform.

CARPENCTORATEN. DISMEMBRATIONIS.

I. *An, quibus mediis, & cujus expenſis ſit conſtruenda Capella ſeu Eccleſia Succurſalis, ac domus pro habitatione presbyteri Capellani, nec non ſubminiſtranda ſacra Supellectilia, & reſpective manutenenda.*

II. *An, quibus modis, & cujus expenſis ſit perſolvendum ſtipendium eidem presbytero, & in qua quantitate in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè in omnibus ſumptibus Monaſterii.

Ad II. Affirmativè in omnibus ſumptibus Monaſterii juxtà Taxam præſcriptam in Conſtitutione SSmi anni 1778.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

MACERATEN. Ex teſtamento Franciſci Compagnoni anni 1684. Conventus PP. Excalceatorum Maceratæ plura poſſidet ſtabilia, quorum reditus in tot Sacra erogandus eſt cum eleemoſina juliorum duorum in eorum ſingula = *Ed acciò il numero delle Meſſe non ſi abbia giammai a ridurre*, inquit teſtator, *voglio, e commando che il numero delle Meſſe debba eſſere più o meno conforme cioè comportarà il frutto che ſi riceverà annualmente da tutte le mie entrate.*

Juſſit etiam per dd. PP. Excalceatos certos eligi Religioſos, qui hujuſce Legati implemento incumberent, & in caſu etiam tentatæ reductionis aut varietatis hujuſce voluntatis, PP. Excalceatis ſubſtituit PP. S. Franciſci.

Anno 1773. quidam Victorius Marcucci omnia ejus bona donavit PP. Excalceatis cum onere celebrandi tot Sacra (eleemoſina ſtatuta juliorum duorum pro quolibet) quæ correſpondeant *all' annuo frutto ed entrate di grano, oglio,*

oglio, mosto, e bestiami &c. Che per quello risguarda il prezzo de' grani, mosti, ogli, debbansi regolare alla ragione che si venderanno nelle loro raccolte, e quanto al bestiame debbasi avere la stessa considerazione &c. ut constat ex donatione dicti Marcucci.

Iidem PP. Excalceati nuper supplicem libellum porrexerunt huic Sac. Congregationi petentes ut numerus præfiniatur Missarum in annos singulos celebrandarum pro adimplemento utriusque piæ dispositionis, ut ita ipsorum conscientiæ magis consultum sit circa omnimodum dd. onerum implementum.

Episcopus adhærendum putavit instantiæ tam pro quiete conscientiæ Oratorum qui assentiuntur etiam ut major quam ferant reditus, Sacrorum numerus iisdem ab hac Sac. Congregatione imponatur; tum pro celeriori, & tutiori piarum dispositionum implemento. Retulit apparere ex calculo proximi decennii, quo rerum pretia excrevere, Missas pro pio Legato Compagnoni celebrandas efferri ad 395., pro altero Legato Marcucci ad 420.

Proposita PP. Oratorum instantia per Summaria Precum in *Congregatione diei* 9. *Julii* 1785. EE. VV. rescribi mandarunt = *Prævia firmatione status decennii ponatur in Folio* = Hodie itaque utriusque hæreditatis decennalis status affertur notarii manu a Libris Conventus, prout in eo describitur, extractus.

Longum esset, & operosum inquirere de singulis partitis in introitu, & exitu descriptis veræ ne justæque sint expensæ, legitimæque introitus ut vocant partitæ; An libri ut oportet retenti fuerint, gestaque administratio, uti Disponentes jusserunt. Hæc omnia videbit Episcopus cui jussa Sac. Congregationis dirigentur. Fidem, & auctoritatem hodiernæ decennalis exhibitionis aliquantulum elevat, quod juxta eam Sacra pro hæreditate Compagnoni celebranda efferuntur ad annua 342., pro donatione autem Marcucci *ad* 406., contra autem Episcopus in sua Relatione ajebat *ex proximo decennio fideliter extracto sibique exhibito* apparere Sacra pro hæreditate Compagnoni celebranda attolli ad annua 395., pro donatione Marcucci ad annua itidem 420.. Idque ipsum in primis quas obtulerunt precibus PP. Excalceati affirmabant.

Sed huic incommodo facile occurri poterit excitata diligentissimi Episcopi solertia ad conferendos invicem diffidentes calculos, judicandumque uter eorum præferendus

dus sit ; Quamvis parum videretur ambigendum quin potius plaudendum sit calculo Episcopo exhibito, numeroque Sacrorum ab eo resultanti, tum quia illius veritatem fatebantur PP. Oratores, tum quia assentiebantur quoque, ut numerus præfigendus paullulum supra numerum ab Episcopi relatione eorumque confessione resultantem augeretur.

Rem ipsam quod attinet animadvertere est, non agi hic de mutanda testatorum voluntate, non de minuendo Sacrorum numero, non de fancienda cujuscumque Sacri Eleemosina, sed de pleniori quodammodo ejusdem voluntatis implemento, præfinienda scilicet certa stabilique Missarum quantitate in singulos annos celebranda. Cum eadem proposita instantia fuisset in *Maceraten*. 3. *Februarii*, & 2. *Martii* 1776., certaque esset statuta eleemosyna juliorum duorum, incerta vero Sacrorum quantitas Sac. Congregatio comperto ex decennali calculo quod reditus efferebantur ad sc. 76. 78. numerum taxavit edito ad dubium quod proponebatur *an, & in quò numero Missæ sint annuatim celebrandæ in casu &c.* responso = *esse celebrandam a Cappellano Missam quotidianam &c.* =

Non dissimulandum quod eo in casu jusserat testator ut exequutores testamentarii certum statuerent Missarum numerum ita ut S. C. suppleverit hac in parte quod exequutores testamento dati vel non præstiterunt vel præstare non potuerunt. Sunt tamen in promptu alia exempla definiti ab hac Sac. Congregatione Missarum celebrandarum numeri etiam quando tot Sacra impleri voluit testator quot ferre reditus possent. In una *Montis Regalis* *proposita per Summaria Precum* 10. *Septembris elapsi anni* similis indefinita testatoris lex circumferebatur, & nihilominus plaudente Episcopo definitioni certi Sacrorum numeri Sac. hæc Congregatio rescripsit = *Pro facultate Arbitrio Episcopi* = Ea etiam præ oculis habita ratione quia nimirum addebat Episcopus = *hac definitione certi Sacrorum numeri prædii culturæ bene consultum iri, in illam enim incumbet Parochus, si non ideo onus augebitur, alias negliget* = Et pridem *in Senogallien, oneris Missarum* = relata in *Folio* 24. *Novemb.* 1781., & *resoluta* 22. *Decembris dicti Anni* cum ageretur de dispositione continente onus tot Missarum quot essent reditus, & Episcopus eas taxasset ad rationem obulorum 17. ½ pro quolibet, atque ex calculo plusquam decennali constaret ad dictæ Eleemosynæ rationem statui

posse

posse 228. Sacrificia; Rogata Sac. Congregatio easdem omnino ob causas quas modo Oratores proponunt, ut Sacrorum numerum præfiniret, dubio quod proponebatur *An, & in quo numero Missæ sint annuatim celebrandæ* = respondit *Affirmative pro celebratione Missarum* 228. *absque detractione utensilium*.

Neque adversatur disponentium voluntas quorum prior reductionem prohibuit dato etiam substituto, & alter legem statuit, quam sequerentur PP. Excalceati pro norma pretii singularum rerum. Non enim hic ut præmissum est, de reductione agitur, nec de mutanda quovis modo testatoris voluntate, sed de ea ut ita dicam supplenda in mero calculi defectu. In omnibus autem relictis pro celebratione Missarum regula est uti & in quibusvis piis Legatis quod ad Episcopum pro exequutione (cujus pars determinativo numeri Missarum esse videtur) confugiendum est, juxta celebrem decretalem Epistolam S. Gregorii Papæ ad Calaritanum Antistitem relatam *in Cap. Nos quidem de testam.*, cui accedit *cap. si hæredes de testam.*, *& cap. Tua Nobis eodem*.

Difficultas esse solet in modo definiendi certum Sacrorum numerum. Quando enim disponens tot celebrari Sacra jussit quot ferrent reditus juxta taxam ab eo præscriptam, tunc auctis, & respective diminutis reditibus augendum, & respective minuendum esse Sacrorum numerum receptum est. *Pasqualig. quæst.* 1078. §. 5. = *At si fundator non taxavit numerum Missarum præcisum, sed disposuit quod Missæ celebrentur cum mensura ad proventus, tunc crescentibus fructibus debet etiam cum proportione augeri numerus Missarum*.

Hinc porro sequeretur perpetuam definiri Sacrorum quantitatem non posse. Sed reclamant Oratores, inutilemque futuram affirmant temporaneam definitionem; mansuras ut prius anxietates; abstensuros se a meliorandi proposito ne onus illis augeatur pro eo majori lucro quod sumptibus laboribusque suis, & per opportunas meliorationes obtinere curassent, nec pati æquitatem ut alius ex eorum industria, & expensis impendium assequatur *Pasqualig. quæst.* 178. *num.* 3. = *Et quidem pro certo habendum est quod si fructus augeantur expensis, & industria possidentis Legatum, non debet augeri numerus Missarum, quia hoc augmentum non debet cedere in beneficium testatoris seu fundatoris sed possessoris, quia non sunt fructus fundi nec sunt dati in fundo nisi valde remote; sed sunt fructus industriæ, & expensarum, & ideo illius*

esse

esse debent , cujus sunt industriæ , & *expensæ* = . *Cæpoll. cons.* 213. *num.* 13. *decis. in Auth. qui rem num.* 14. *cod. de Sacros. Eccl.*

Nec retorqueri in Oratores posse videtur præceptum testatoris Compagnoni = *Inoltre io commando ed ordina che detti miei Eredi siano tenuti mantenere e far custodire , e coltivare tutti li miei beni acciò rendano il dovuto frutto* = Quasi per hæc melioratio quam PP. Excalceati meditantur voluntaria non sit , sed a fundatore præcepta . Passim enim hæc , & similia præcepta interpretantur DD. de ordinariis consuetisque meliorationibus , quæ potius conservationem quam insignem veteris status mutationem præseferunt ut videre est penes *Gratian. discept.* 195. *num.* 18. , *Fulgin. de Emphyt. tit. de melior.* , & *expens. quæst.* 1. , *Rota cor. Seraphin. dec.* 413. , & *alibi passim* .

Definiant ergo EE. VV.

I. *An* , *&* *quommodo sit annuendum Oratorum precibus pro perpetua taxatione Missarum quoad dispositionem Francisci Compagnoni* .

II. *An* , *&* *quommodo sit annuendum Oratorum precibus pro perpetua taxatione Missarum quoad donationem Victorii Marcucci* .

Affirmativè ad utrumque juxtà Votum Episcopi .

Sess. 14. *cap.* 1. *de Reform.*

ANGOLEN. Thomas Petrus Dias e Diœcesi Angolensi , quæ Regi Lusitano paret , natus anno 1744. meruit anno 1772. ad Vicariatum de Benguella a gl. mem. Josepho Lusitaniæ Rege præsentari , ita tamen ut illum assequi deberet postquam a suo Angolensi Episcopo fuisset servatis servandis Sacerdotio initiatus . Anno 1774. postquam idem Thomas a patre congruo instructus fuit patrimonio institit ut per gradus ad Secerdotium assumeretur , vix tamen obtinuit ut eum Episcopus primà Clericali tonsura insigniret . Non destitit nihilominus à prosequendis officiis suis Thomas Petrus , & ab urgenda Rægiæ præsentationis exequutione ; sed expectatæ gratiæ loco mancipatus carceribus fuit pulsusque in exilium

ad

ad insulam [Fernandi nuncupatam] finttimam Parà. Septem per annos exilium patienter toleravit Orator donec anno 1781. in libertatem restitutus Americam peragrando Bahiam pervenit, & impetratis a Provisore Episcopi Angolensis necessariis requisitis Ulisypponem appulit anno 1782.; qua in Urbe recitatione malorum quæ injuste passum se fuisse exposuit, Serenissimi ac Piissimi Regis Petri III. patrocinium gratiamque promeruit.

Postulavit autem ut, quod dudum optaverat, Sacris Ulisyppone initiaretur, idque tanto confidentius, inquit in sua informatione Emus Patriarca, *eo maxime quod cætera omnia requisita in jure ad suam justificationem ab Angolensi Curia quæsita nuper pervenerunt*. Addit Emus Patriarca quod quamvis *per eadem documenta satis probatum sit quod nullo impedimento affectus, & nullo crimine in foro Ecclesiastico ac Civili gravatus ad presbyteratum aptus fuit Orator judicatus, nihilominus defectis dimissoriis, quas obtinere nequivit a suo Episcopo, qui nemini unquam [ut in processu constat] easdem concedere voluit, ac priusquam septem hujus domicilii annorum spatium Diœcesanis Const. præscriptum pertranseat, absque Apostolicæ Sedis dispensatione ad Sacerdotium hic promoveri nequit*.

Hæc igitur dispensatio summa est hodiernæ quæstionis. Vix petita hæc ab Oratore fuit, continuo datæ sunt litteræ tum ad Apostolicum Nuntium *pro informatione, & voto audito Vicario Capitulari Angolensi, & transmissis actis illius Curiæ*, tum ad Emum Patriarcham *pro informatione pariter, & voto transmissa afferta sententia*. Emus Ranuzzi qui adhuc munus exercet Apostolici Nuntii eodem contextu quo epistolam transmittit Emi Patriarchæ ad quam se refert, habet hæc pauca = *Ho creduto superfluo a scanso di ulterior dimora di far venire la copia degli atti che si fecero nella Curia Vescovile d'Angola, che dalle EE. VV. veniva richiesta: E per le informazioni che ho potuto raccogliere da persone che conoscono il soggetto posso soltanto dire essere egli stato in tutto il tempo che dimora in Lisbona di esemplare condotta e di savii portamenti tantoche sembra poter meritare la grazia desiderata* =

Eminentissimus autem Patriarcha sex veluti capitibus votum suum perstringit; ait enim immediate post verba quæ supra relata fuerunt = *His in facto positis* (verba sunt Patriarchæ) *ac in omni meliori juris forma in hac mea Cu-*

ria sane probatis, *Orator jure ac merito meum aperiendo sensum deprecata gratia dispensandi dignus est censendus*; primo *quod annorum ætate 28. Regiis litteris munitus, ac Vicarius de Benguella electus ab Episcopo Angol. examinatus, approbatus, ac idoneus judicatus Tonsura fuit initiatus*; Secundo, *quod attenta ejus ætate, ac idoneitate ab Episcopo deprecatæ dimissoriæ fuerunt ei injuste denegatæ*; Tertio, *quod quin fortasse Ecclesiam ad Regis nutum ei datam consequeretur, vafre fuit calumniatus, Angolæ carceratus, proscriptus, ac ad Ferdinandi Insulam in exilium pulsus*; Quarto, *quod ab exilio revocatus quinque per annos ea patientia qua persecutiones substinuit, fidentius laboravit, ut luce clarior ejus fieret innocentia, quæ per processum in hacmet Curia peractum, necnon ab attestationum volumine fide digno integre constat*; Quinto *quod in ætate annorum 41. præ passis persecutionibus semper in sua electione firmus, ad orationem ac studium incumbens, pauper* sed *bene moratus in tribulatione degit*; Sexto, *quod demum attento Africano naturali idiomate maximum beneficium Angol. Diæcesi in animarum salute allaturum videtur, cum Sacerdotio initiatus per prædicationis ac Sacramenti pænitentiæ ministerium suæ regionis gentes Evangelicam doctrinam edocere valeat*.

Jure canonum inspecto si quis occulto crimine irretitus a suo Episcopo obtinere non poterat, ut ad superiores Ordines promoveretur, statuit Alex. III. *in cap. Ex tenore de tempor. ordin.* ut Episcopus congruam illi pænitentiam imponat suadeatque ne curet ad superiora ascendere. Si tamen peracta pænitentia ejusdem occulti criminis suasionibus Episcopi non acquiescens ascendere omnino vellet, *eum non debet aliqua ratione prohibere* inquit idem S. Pontifex. Canonum tamen lenitatem Tridentinum Concilium *sess.* 14. *cap.* 1. *de Reform.* correxit, voluitque, ut *cui a suo Prælato ex quacumque causa etiam ob occultum crimen ascensus ad Sacros Ordines fuerit interdictus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo suffragaretur*.

Absit autem ut nimiæ severitatis Tridentina Sanctio redarguatur. Non enim ea fuit mens Sacri Concilii, ut in cujusvis Prælati arbitrio positum esset quemcumque ut libuisset per indirectum beneficio privare denegato assensu ad eos Ordines sine quibus retineri illud non posset. Testes enim sunt DD. quod si agatur de arctatis ad eos lex Tridentina non pertinet, sed denegatorum ordinum causas aperire Episcopus debet. *Barbos. ad Concil. Trident.*

dent. Seff. 14. cap. 1., & Seff. 21. cap. 2. de Reformat. Idem de offic. & potest. Episcopi part. 2. allegat. 4. n. 66. Card. de Luca de Benef. disc. 31. a §. 3. ad 5., Card. Petra in Comment. ad Const. unicam Urbani 11. Sect. 1. num. 18.

Si auscultandum est Oratoris precibus ipse a Rege Fidelissimo ad Paræciam Jurispatronatus Regii in Civitate Angolæ nominatus est. Eminentissimus Ranuzzi in brevi sua ad S. Congregationem epistola hæc habet = *Quanto egli* [orator] *espone nella medesima supplica mi è noto averlo evidentemente provato in questa Curia Patriarcale, e l'EE. VV. lo rilevaranno dall' informazione che vien rimessa da questo Eminentissimo Signor Card. Patriarca* = De hac tamen circumstantia silet Eminentissimus Patriarca, solumque de nominatione ad Vicariatum de Benguella obtenta a gl. mem. Josephi I. sermonem habet, ut initio præmissum est: Quatenus ergo vera esset Oratoris assertio ambigendum non videretur cum eodem uti cum arctato agendum esse ut bene considerat *Card. de Luca de Benef. disc. 71. num. 21.*

Sed etiam quando res non est de arctatis animadvertere oportet Tridentinis Patribus illud tantum in ea statuenda lege fuisse propositum ut nimirum coercerent aliorum Episcoporum Metropolitanorumque auctoritatem ne cuipiam sub interpositæ appellationis præsidio manus imponerent, cui suus Episcopus haud imponendas judicasset; non tamen voluerunt, uti nec poterant, ea lege S. Sedis, & S. hujus Congregationis auctoritatem circumscribere.. Hinc quoties is qui a suo Prælato rejicitur ab Ordinibus ad Sedem Apostolicam confugit, non renuit Apostolica Sedes per Organum S. hujus Congregationis indemnitati consulere illius qui injuste repulsus fuisset, Metropolitano aut viciniori Episcopo committendo, ut ab Episcopo causas exploret cur Oratorem rejecerit, iisque non bene cum justitia congruentibus ut eumdem ad Sacros Ordines promoveat petita prius semel iterum, & tertio in debiti obsequii argumentum a suo Episcopo venia; Ut S. hæc Congregatio anno 1668. die 21. Aprilis Rhemensi Archiepiscopo respondit = *Cum nullus ordinari debeat quem suus Episcopus suæ Ecclesiæ utilem aut necessarium non judicaverit, S. Congr. non semel declaravit ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recurrendum dumtaxat ad Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam per Gregorium XIII. fel. record.* ap-

approbatam quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, Metropolitano aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, qua legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare &c.. Cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuerunt expedire Eminentissimi PP., videlicet ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus antequam commissas sibi partes exequi aggrediatur; paterne curent ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter instent = ut in *Regest. litter. lib.* 16.*pag*.401.

Cum itaque Thomas Petrus ad S. Sedem Apostolicam confugerit res ableganda videretur vel ad Episcopum Tingitanum qui vicinior in Affrica est, vel ad Archiepiscopum Elborensem in Lusitania cujus Metropolitico juri Angola subjecta est. Sed videndum an quoniam ea in re aut vicinior Episcopus aut Metropolitanus delegata a S. Sede auctoritate procedunt, innocua sit par delegatio in Eminentissimum Patriarcam Ullisypponensem, præsertim cum in ea a duobus, & ultra annis moram trahat Orator. Videndum an Supervacaneum sit causas denegatorum Ordinum aut recusatarum dimissorialium exquirere tum quia defunctus est Episcopus qui recusavit, tum quia quoad literas dimissoriales testatur Eminentissimus Patriarca ex processu apparere defunctum Angolensem Episcopum eas nemini umquam dedisse, & quoad denegatorum ordinum causam idem Eminentissimus Patriarca refert ex documentis apparere Oratorem *nullo impedimento, & nullo crimine in foro Ecclesiastico, & civili gravatum ad presbiteratum aptum fuisse judicatum* juxta verba quæ superius transcripta fuerunt.

Placeat EE.VV. assueta prudentia sapientiaque definire.
An sit concedenda dispensatio in casu &c.

Recurrat Orator ad hodiernum Episcopum Angolensem, eique commendetur tam ab Eminentissimo Patriarca, quam ab Eminentissimo Nuncio nomine Sac. Congregationis.

PE-

PERUSINA EMPHITEUSIS. Vergente ad exitum locatione conductione prædiorum, quæ ad abbatiam S. Mariæ *del Poggiolo* pertinent, & in agro *Marsiani* Perusinæ diæcesis prostant, Fælicianus Anibali conductor Rectori Sacerdoti Philippo Zarulli annuum obtulit Canonem scut. 191., quatenus annueret, præfata eidem prædia in emphiteusim concedere, ac præter canonem subesse ultro voluit oneri = *di riparare i detti beni, ove occorra, dal fiume Nestore, ridurre a cultura, far nuove piantagioni, e miglioramenti secondo i patti soliti e consueti apporsi in simili istromenti di emfiteusi* = *Sess.25.cap.11. de Reform.*

Utilitate oblationis hujusmodi comperta [nam locationis conductionis pensiones annuam summam scut. 124.a multis certè annis non excesserant] statim motus est Abbatiæ rector, ut ea de re hanc S. Congregationem supplici libello adiret, quæ ita rescripsit = *Episcopo pro informatione, & voto, prævia edictorum affixione ad tertiam generationem masculinam tantum favore majoris oblatoris*.

Retulit Episcopus, executum se fuisse, quæ in mandatis exceperat, unumque comparuisse in edictorum termino Fælicianum Anibali, qui canonem scutorum 191. quotannis pensitandum spopondit, cumque iisdem, de quibus supra, obligationibus. Exposuit præterea, quæ in locatione conductione onera rectori antea manebant: Nimirum impensa scut. 25. circiter in prædiis muniendis, quæ periculis Nestoris fluminis subsunt; sic & aliorum scut. 10. pro annuis ædificiorum reparationibus; ac denique alterius summæ, quam non specificat, in onerum cameralium solutione. Eamque post enumerationem concludit = *Quæ cum ita sint, Abbas beneficiatus, emphiteusis contractum ineundo, non parum quidem Meliorem conditionem suam reduceret, dum liberum, & exemptum ab enunciatis oneribus Canonem consequeretur* =

Interea Joseph Amori conquestus est, quod, cum & ipse vellet offerre, sive propter edictorum ignorationem, sive callidam propter publicationem nequivit. Quare Sacra Congregatio rescripsit = *Episcopo pro informatione, & voto super novis precibus, prævia edictorum affixione favore majoris oblatoris, trasmissis edictis, & oblationibus* =

Novis ergo edictis publicatis, iterum obtulit Felicianus Anibali, ampliavitque suam ad scuta 200., & obulos 75, oblationem, voluitque sibi præservatum jus prælationis.

qua

qua bonorum Conductori, & qua primo oblatori. Observetur tamen opportet, in nova hac oblatione reticitam fuisse muniendorum, & meliorandorum prædiorum, aliorumque obligationem, quam in primordiali oblatione Fælicianus conscripserat.

E' converso Joseph Amori, cum minorem fecisset oblationem, in consueto decendii termino vigesimam auxit. Aliis idcirco jussis ab Episcopo, affixisque edictis, binæ ad Acta Schedulæ oblationum delatæ sunt: scilicet alia Josephi, qui supra vigesimam obtulit scuta 3. 45 3., & alia Fæliciani, quæ ad scuta 211. pertingit. Et hic est advertendum, Fæliciani schedulam fuisse pro persona nominanda inscriptam, & a nemine subsignatam. Illius vero esse oblationem, constitit Episcopo ex folio immediatè eidem porrecto, quod relationi conjungitur.

Requisitus deinde Episcopus, ut votum præcise diceret suum = *quoad oblatorem præferendum* = ait= *Ambos oblatores Josephum Amori cum fidejussione Aloysii Caroni, & Fælicianum Anibali ex habitis relationibus solvibiles esse censeo annuum Canonem. Cum habeant in bonis, & in pecunia* =

Cum propterea præferri pro eodem Canone, quem Joseph in postrema licitatione obtulit, Fælicianus postulaverit, & postulet, & ex opposito Joseph, prælationi non esse locum, defendat, infrascriptum dubium ab EE. VV. decidendum proponitur.

Legem a S. M. Benedicto XIV. editam pro bonis Cameræ Apostolicæ locandis *in suo Bullar. tom. 1. la 65.* Contradictor uterque sibi adstipulari putat. Illa, Joseph inquit, Ecclesiis, locisque piis æque favet. Quid vero in ea disponitur? Hoc quidem unum, ut nimirum majori concedatur oblatori locatio, non ut qui primus obtulit præferatur. Nonnè major fuit ipse Joseph oblator? Hic porrò supra contrariam oblationem scut. 200. 75. addidit vigesimam. En major oblatio. Non tamen satis. Nam in nova licitatione, quam Episcopus jussit, Fælicianus in informi, & non subsignata Schedula obtulit scuta 211. nimirum obulos 22. tantum supra vigesimam. At Joseph ad scuta 3. 95. 3. suam oblationem ampliavit: scilicet ad scuta 214. 74. Ergo sive in termino addictionis in diem, sive in postera licitatione Fælicianus victus fuit, semperque major Josephi oblatio comperta est.

Nec ad rem attinere, quod Abbatiæ bona multis Fælicianus conduxerit annis, quodque conventas promptè sol-

ve-

verit pensiones. Longæva namque hæc conductio in ipsum potius retorquetur. Quia si diù conduxit, utique minoris conduxit: hoc est pro solis scutis 124. Quò itaque conductio longior fuit, eò amplius lucri sibi fecit, non Abbatiæ.

Sin autem perquiratur, qui oblatorum inter utrumque sit melior, Episcopus huic Sacræ Congregationi declaravit, utrumque bonum, & solvendo esse, sic inquiens = *Ambos oblatores Josephum Amori cum fidejussione Aloysii Caroni, & Fælicianum Anibali ex habitis relationibus solvibiles esse censeo annuum Canonem, cum habeant in bonis, & pecunia* = Quin faciat, de Josephi solvibilitate judicasse stante Caroni fidejussione. Hæc enim, quin ei detrahat quidquam, Ecclesiam facit magis tutam, ac securam; Cum pro uno duos sibi habeat obligatos. Cæterum nullo indiget fidejussore, quoties ampliora ipsum possidere stabilia supra sui Censum adversarii, testes quamplurimi, ac expertissimi affirmant.

Ex opposito Fælicianus eandem proferens laudati Pontificis legem, nedum, reponit, sancivisse, deliberandam esse majori oblatori locationem Conductionem, sed quidem meliori, ut *in* §§. 2., *e* 4. = *dovrà deliberarsi l'Appalto al maggiore, e migliore oblatore* = Non enim pensio major semper meliorem explicat oblationem, sed personæ conditio; veluti egregie *Campell. ad Constit. Duc. Urb. decret.* 33. *num.* 91., & *Rot. in Romana Affictus* 2. *Junii* 1761. §. 16. *cor. Herreros*.

Comparetur itaque Josepho Amori Fælicianus. Si personales utriusque conditiones spectentur; Ille rem ferè ignorat agrariam; Hic industrius, & expertissimus. Sic non ii tantum testantur, qui utrumque optimè noscunt; Sed & qui illum habuerunt per diligentem, cum in agris colendis, tum in pensionibus numerandis Conductorem. Pensetur item utriusque Census. Ille tantum habet, quantum vix, ære alieno, quo premitur, subducto, satis familiæ sit exhibendæ suæ. Sed Fælcianus non multorum agrorum possessor tantum est, habet quoque reditus nonnullos ex pecuniis fænori datis. Sic Josepho ditiorem esse renunciandum, ex testibus constat.

Quid tamen rem intimius perscrutari? Ipsa latius docet Episcopi relatio. Nam Fælicianum judicavit esse solvendo, quin Fidejussoris egeat auxilio. Solvibilem quoque dixit Josephum, sed cum fidejussione Caroni. Quid est hoc? Nonne discrimen hujusmodi rem satis exponit?

His

His, concludit, accedere, eam fuisse Sacræ Congregationis constantem Sententiam, nimirum præferendi pro eadem summa priorem, & meliorem oblatorem; veluti in *Reatina* 28. *Septembris* 1726. *impressa in Thesaur. Resolut. tom.* 3. *pag.* 372. in qua proposito dubio = *An, & cujus favore sit concedendum beneplacitum Apostolicum* = responsum est = *beneplacitum esse concedendum favore Joannis Palmegiani sine præjudicio Tyburtii Mongalli, quatenus præferri velit pro eadem summa* =

Cum hæ sint Contradictorum disputationes, decet observare, Pontificem Benedictum XIIII. in præfata de fiscalibus locationibus lege §.5. priorem voluisse oblatorem esse præferendum in casu auctæ ab alio oblatore vigesimæ. Jussit enim, priorem præferri, si nova oblatione vigesimam vincat. Eamdemque prælationem concessit in casu restitutionis in integrum, seu superventæ oblationis *sextæ*; prout *in* §. 6. *in fine*. Videndum tamen, num res, in qua exercemur, ad Casus a Benedicto designatos pertineat. Nam in re præsenti post vigesimam quin Fælicianus illam, vicerit, nova publicata fuerunt edicta, noviterque ambo obtulerunt: scilicet Ioseph majorem summam, Fælicianus minorem. Hic ideo cogitandum, an prælationi sit locus, quamquam Fælicianus nec summam tunc obtulerit ampliorem, nec hodie offerat, sed præferri dumtaxat postulet.

Observandum quoque est, num his non obstantibus habenda ratio sit de Fæliciani industria, & in rebus agrariis experientia, deque illius facultatibus, ut prælationi relinquatur locus, quatenus majorem velit annuum Canonem pensitare iis cum obligationibus, quibus in prima licitatione sese devinxit.

Proponitur dubium.

An, & cui danda sit prælatio, & respectivè concedendum beneplacitum Apostolicum in casu &c.

Prælationem esse dandam, & respectivè Beneplacitum concedendum favore Josephi cum obligatione reparationum, & meliorationum in prima oblatione Feliciani contentarum.

RO-

ROMANA : Alexander Tedeschi Prior Cappellanus Cappellæ sub invocatione B. M. V. in Liberiana Basilica erectæ, & juripatronatus Excmæ Familiæ Burghesiæ suppositæ, cum per quadraginta, & ultra annos inservierit, indultum postulat, quod vocant, Jubilationis. *Sess.24.cap.12. de Reform.*

Ablegatæ de more fuerunt preces Emo Protectori, qui in hæc verba sensa animi sui aperuit = *Honestam Priori Tedeschi flagitanti missionem ob justum liberaleque servitium quadraginta, atque amplius annos Ecclesiæ præstitum collegarum nemo in disceptationem adducit, aut tamquam ipsi nocuum Ecclesiæ, aut tamquam sibimet gravem, ut ex injuncto evincitur testimonio, cui si merita sit fides permitti hujusmodi vacationem petenti posse reor; eo magis quod non honesta modo, verum etiam caussata eadem missio censeatur facile propter podagram, qua ille sæpius afflictatur, subindeque, & ab incessu destinetur* =. Addit & alia quoad permissam impositarum Missarum celebrationem, quoad Litanias Lauretanas, aliasque functiones, quæ ad rem præsentem haud pertinere videntur; cum Indultum jubilationis ab Ecclesiastica consuetudine inductum solum respiciat Chori servitium.

Excmus Patronus auditus indulto non refragatur.

Proposita cum fuerit hæc Oratoris instantia in Congregatione diei 30. Julii superioris anni jusserunt Emi PP., ut in Folio describeretur. Ancipites enim ex una parte eos tenuit leve Chori servitium, quod ad 25. dies cohibetur in quorum aliquibus soli Missæ cum Capitulo, in aliis solis Litaniis cum d. Capitulo, in cæteris vero nonnullis Canonicis horis mane, & Vespere, & Missæ solemni pariter cum Capitulo hi Cappellani intersint; Atque ex altera lex residentiæ, quæ semper hosce Cappellanos premit.

Revera hoc indultum jubilationis a nulla juris Canonici lege constitutum, ab æqua tantum consuetudine introductum fuit ad exemplum ejus honorificæ Missionis, quæ in Mosaica Lege Levitis, qui a 25. ad 50. annos servierant, vel quæ in sæculari militia Veteranis dabatur *ad Text. in Leg. 1. Cod. de Veteranis. Navar. cons. 12. de Cleric. non resid., Bonacina de horis Canonicis quæst. 5. p. 6. num. 15., Gallerat ad Conc. Trid. Sess. 24. cap. 12.*

Quod Sacerdotes huic Cappellæ cum Priore deservientes Collegium constituant dubitandum non videtur ob præclara Bullæ Paulinæ verba = *Ac tam Prior, quam Cappellani prædicti insimul unum Collegium cum arca, massa, & sigillo communibus aliisque Collegialibus insignibus ad instar similium Collegiorum tam in prædicta, tam in aliis*

quibuscumque dictae Urbis Basilicis, & Ecclesiis institutorum constituant &c., & infra = *Rursus Priori, Cappellanis, Clericis praedictis eorumque Collegio, ut omnibus, & singulis privilegiis &c. exemptionibus, indultis &c. quibus alii dignitates &c. Beneficia in Basilica S. M. Majoris, & aliis ejusdem Urbis Basilicis, & Ecclesiis obtinentes, eorumque Collegia de jure, vel consuetudine &c. utantur &c. uti frui, & gaudere possint*. Hinc denegandam haud, esse contendit Orator, hujus Collegii membris gratiam jubilationis, quae caeteris Collegiatis Ecclesiis conceditur.

Porro si interessentia Choro tam rara, & infrequens per se sola consideretur, utique canonica indulgentia haud dignus videri posset Orator utcumque per annos quadraginta, & ultra Ecclesiae suae inservierit; Sed expendendum esse reponit an cum levis iste famulatus grave habeat onus adnexum residentiae, hoc sub aspectu aequum justumque videatur ejus votis annuere qui huic legi per quadraginta. & ultra annos praeter Chori servitium obtemperavit.

In Acernen. distributionum quotidianarum, & jubilationis utcumque referente Episcopo = *servitium hujus Collegiatae adimpletur per quatuor hebdomadas; quisque Canonicus non plusquam quarta parte mensis, atque anni tantum inservit; additisque aliis diebus primae, vel secundae classis aliarumque functionum nunquam impletur pro medietate anni, adeoque decursus quadraginta duorum annorum vix comparari potest pro viginti*; Nihilominus disputato Dubio = *An sit locus jubilationi, & exemptioni a Choro, & ad quem effectum* = S. Congregatio die 11. Aprilis 1739. respondit = *Affirmative ad effectum obtinendi indultum juxta formam consuetam, ut in Thesaur. Resolut. Tom.9.*

Petivit anno 1778. Joannes Ribecchi unus ex quatuor Cappellanis Urbanis in Lateranensi Basilica indultum jubilationis. Ab anno usque 1763. servitium, quod antea plenius erat reductum fuit quoad omnes quatuor Cappellanos ad omnes horas matutinas, & vespertinas, & interessentiam Missae solemni diebus Festis primae Classis tantum, eorum duo alternative festis diebus matutinis horis tantum, & Missae solemni adesse jubentur; tribus hebdomadibus mensium Junii, & Octobris alternative Choro intersunt; & demum adsunt tribus Processionibus nempe S. Marci, SSmi Corporis Christi, & Dominicae infra ejus Octavam. Anceps fuit Capitulum in tam levi servitio an locus esset Indulto jubilationis; sed die 16. Maii anni 1778. prodiit rescriptum = *Pro gratia arbitrio Emi Archipresbyteri* =.

Die

Die 11. Maii 1782. concessum fuit jubilationis indultum Beneficiato Joanni Baptistæ Casini, qui unus erat ex Cappellanis Beneficiatis Aldobrandinis in Lateranensi Basilica, & quorum servitium cohibetur ad interessentiam Missæ cantatæ, & secundis vesperis diebus Festis primæ Classis, & alternative hoc est eorum duo soli Missæ Cantatæ aliis diebus Festis. Nihilominus auditus Emus Urbis Vicarius indulto jubilationis dignum censuit Oratorem Casini, *licet nihil præter præsentiam Processionibus, & Choro, & quidem Festis solummodo diebus præstare deberet*. Et in vota Emi Vicarii itum fuit per rescriptum diei 11. Maii *Pro gratia arbitrio Emi Urbis Vicarii cum solitis clausulis.*

His quæ Orator profert exemplis assueta maturitate sapientiaque expensis definiant EE. VV.

An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

SIGNINA JUBILATIONIS. Sacerdos Bruno Vellucci, Vir Septuagenarius & ultra, cum præstiterit servitium annis tribus, & quadraginta suæ Cathedrali Ecclesiæ, in qua beneficiatum obtinet, supplex modo est pro gratia Jubilationis. Addit se admodum esse valetudine fractum, atque adeo, quod inter valetudinarios debeat equidem recenseri. Idcirco Medici a multis annis in Signina Civitate conducti fidem profert, qui morbos plures, quibus affligitur, exponit, opinaturque ulteriori Cathedralis servitio non esse exponendum cum gravi salutis, & vitæ periculo; & præsertim hyemali tempore, quo in Montana Civitate frigus, nivesque, ventique aquilonares maxime dominantur. *Sess.24.cap.12. de Reform.*

Episcopus Signinus, quæ Orator exposuit, confirmat in diligentissima, quam reddidit, informatione, suumque pro gratia suffragium adjungit. Sed etiam de rationibus differit, quibus ad contradicendum suæ Capitulum Cathedralis utitur. In summa tres illæ sunt: Nimirum deficere omnino alterius jubilationis ante hac exemplum; Beneficium esse servitorium; denique jubilationis gratiam admodum obsistere fini, & obiecto erectionis, & in plurimam Choralis servitii perversionem, & angustiam Capitulum, & Ecclesiam adducere.

Sed iis Velluccius suas promptè, appositèque promere solutiones, in eadem relatione dicitur. Utique nimirum concedit, rem difficilem proponi, si ab cineribus, & ca-

caligine altioris antiquitatis in novam diem exempla reduci velint, quæ in duorum, & ultra Sæculorum revolutione fortassis non defuerunt, sed latent. Ex facto tamen offert observandum, ante hoc tempus consuevisse beneficiatos ad Canonicalem dignitatem sæpè sæpius promoveri. Non mirum inde fit, si aut exempla desint, aut non inveniantur.

Quid verum hoc est, quod servitoria nuncupet Capitulum hujusmodi beneficia? Abutitur, ait, incircumscriptę locutionis arbitrio. Sunt enim propria, & vera beneficia Ecclesiastica, quæ in perpetuum titulum conferuntur; & Episcopus in sua relatione sermonem instituens de horum beneficiorum qualitate, sic inquit = *Revera in Litteris Apostolicis servitorii beneficii vocabulum non perlegitur; Nec in ipsa Capituli Tabella Servitorii Clerici nuncupantur, sed beneficiati litteraliter describuntur* =.

Descendens ad tertium obiectum, præmittere oportet, Signinum Episcopum Josephum Pamphilum anno 1574., ut Canonicis consuleret, neque beneficiatos, neque Chori Clericos habentibus, duos suppressisse Canonicatus, ex quorum præbendis, & reditibus instituit quatuor præbendas Clericales pro totidem Presbyteris Choro addictis. Quibus stantibus, sic Episcopus Velluccii responsiones exponit = *Ad illud tandem ex eo petitum, quod suppressorum Canonicatuum finis eluderetur ad ampliorem, illustrioremque divini cultus majestatem propositus, cum duobus extinctis Canonicis, non quatuor, sed duo Beneficiati substituti viderentur, reponit Orator, per duos tantum Presbyteros, minori addictos Ecclesiæ Chorique servitio, Præbendarum auctoris menti, universove eisdem incumbenti oneri aptè, & cumulatè responderi. Statimac enim duo intersunt Choro Presbyteri, versus, lectiones, & responsoria recitantur: lumina deferuntur: lectorilia præparantur, & libri: Epistolæ decantantur, & Evangelia: quin ullus Canonicorum humiliora hæc munera obire compellatur; ita ut quod Episcopus Pamphilus præbendas instituendo proposuit, duobus sic agentibus Presbyteris expleatur. Insuper extant in præsens hujus Ven. Seminarii Alumni, quorum deficientia Episcopi Pamphili temporibus deflebatur, & quorum opera amplior, & illustrior splendescit sacer famulatus, & cultus* =.

Etsi in Jure sancitum fuisse, nullibi comperiatur, Canonicos, Beneficiatosque a Chori servitio absolvendos esse, postquam spatio annorum 40. Ecclesiæ suæ laudabiliter serviverint; Attamen ducto tum a Levitarum Mosaicæ Legis exemplo, qui exactis in ministerio annis 25. quiescebant, ut in *num. cap.*8.,

cap.8., tum a veteranis, quibus primum Severus Augustus vacationem a muneribus indulsit, mox Constantinus salutatus Imperator ampliavit, *Leg. a muneribus 6. ff. de vacat.*, & *excus. mun.*, & *Leg. prima Cod. de Veteran. lib.12.* sensim inducta est in aliquibus Ecclesiis consuetudo vacationis indulgendæ post servitium annorum 40.; Cumque eam probasset de consilio hujus Sacræ Congregationis S. M. Gregorius XIII., ut *in lib.2. decretor. pag. 60.* hinc factum est, ut consuetudo hujusmodi in generalem Ecclesiæ praxim transiverit jugiter observatam.

Reliqua inter dubia, quæ in Congregatione diei 17 Decembris 1718. proponebantur, quæsitum fuit=*An indulgenda sit jubilatio iis, qui inservierunt spatio annorum 40., non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio, & quis sit parvus numerus inservientium in casu, & ad effectum, de quo agitur* = eique emanavit responsum=*dandam esse resolutionem in casibus particularibus*=.

In Ripana Jubilationis 29. Novembris 1710., ut in lib. 60. decretor. Sacra Congregatio indultum jubilationis Præposito concessit, etsi probaretur, tres dumtaxat haberi in Choro Canonicos posse, cum solemnis Missa celebrabatur.

In Feltren. Jubilationis proposita in Congregatione diei 11. Januarii 1721. Canonicus Cathedralis octuagenarius pro jubilationis indulto supplicaverat, completo annorum 40. servitio. Capitulum opponebat, postulationem esse sine exemplo. Nemo enim illam ante diem jubilationem fuerat consecutus. Præterea Canonicos variis esse muneribus, & Curis addictos, ita ut, licet duodecim numerarenrur, tamen Chorus Canonicis sæpè carebat. Verum proposito Dubio = *An sit concedenda jubilatio*=responsum fuit= *Affirmativè = in Thesaur. Resol. tom.2.pag.2.*, & 3.

In Spoletana Jubilationis alter ex quatuor præbendatis Collegiatæ Oppidi Mevaniæ cum indultum postulasset, jam ætate grandævus, & valetudine fractus post servitii annos 40., incidit in Capituli contradictionem, quod non aliter absolvendum esse, defendebat, quam sub conditione Missas Conventuales canendi per turnum, Missasque alias celebrandi in Aurora, & in meridie festis diebus. Episcopus vero conveniebat, absolvendum quidem esse a personali celebrationis onere, non autem ab Eleemosynæ solutione liberandum. Cum enim celebrationes fierent non ex massa comuni; sed ex propria cujuslibet crumena; hinc sibi videbatur, æqui bonive rationem non

pati,

pati, ut sumptus hujusmodi aliis tribus præbendatis accrescerent. Nihilominus Sacra Congregatio Dubio = *An, & quomodo sit locus jubilationi* = rescripsit = *affirmativè deletis conditionibus*=veluti *in Thes.Resol.tom.*39.*pag.*223. *&* 261.

Cum tamen potissima circa divini cultus detrimentum versetur quæstio, cautum semper fuit, ut jubilatus in hoc detrimenti casu revocari ad servitium possit, prout fuit decisum in dubio quarto jubilationum proposito die 17. Decembris anni 1718. de quo *in Thes. Resol. tom.*1.*pag* 113. 114., & 145. ideoque indultum sæpè conceditur cum clausula = *Arbitrio Episcopi* =.

Capitulum Signinum jura sua adversus Oratorem hodie profert, ac præter alia, quæ in suo libello diffusè conscribit, duo decet potissimum observare: scilicet *primum*, quod Orator fallentiis quinque millibus in servitii præstatione notatur; Ideoque laudabiliter serviville Ecclesiæ, nequit affirmari; *Secundum*, quod anno 1782. ineunte, gratiam jubilationis alias postulavit. Sed requisitus de more decessor Episcopus Spana suffragium suum Oratori omninò contrarium in sua relatione exposuit, itaut die 16. Martii ejusdem anni S. Congregatio postulationem rejecerit. Cum tamen Velluccius novas pro gratia preces porrexisset, in Congregatione diei 23. Novembris d. anni 1782. rescriptum fuit = *in decretis sub die* 16. *Martii* 1782. =.

Observandum videtur, ab illa die aliud excurrisse biennium. Quo vero ad Chori servitium a Velluccio exhibetur sex Sacerdotum depositio, qui jurati testantur, Seminarii Clericos in festis diebus benè, pleneque supplere, cum in Choro, tum in Missis solemnibus. Quæ tamen celebrantur diebus ferialibus Missæ pro legatis, aliisque benefactoribus, distributiones præstant partiendas inter præsentes. Hinc fieri, testes prosequuntur, quod si Beneficiati desint, serviunt Ecclesiæ Clerici, qui annuum excipiunt salarium pro tertia parte ab Ecclesiæ Sacrario, pro tertia a Massa Comuni, & pro alia tertia ab ipsismet Benificiatis.

Quo denique ad fallentias 5000. decet ex facto, quod Velluccius enarrat, animadvertere, diem quemlibet integri servitii punctis duodecim constare. Si propterea fallentiarum hujusmodi in annos 43. partitio fiat, dies novem, Annus quilibet capit.

Dignentur EE. VV. respondere Dubio.

An sit concedenda jubilatio in casu &c.

Die

Die Sabbathi 11. Martii 1786. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DUÆ priores quæ recenſentur cauſæ in ſuperiori Congregatione definiri haud potuerunt; Reliquæ ſeptem nunc primum proponuntur.

ROMANA. *Seſſ.24.cap.12. de Reform.*
An ſit concedendum indultum Jubilationis in caſu &c.

Affirmativè.

SIGNINA JUBILATIONIS. *Seſſ.24.cap.12. de Reform.*
An ſit concedenda jubilatio in caſu &c.

Affirmative arbitrio Epiſcopi cum ſolitis clauſulis.

NICIEN., SEU TURRITANA MATRIMONII. *Seſſ.24. cap. 1 de Reform.* Eques Raphael Paliacclus e nobili Planargia familia inter Sardiniæ Optimates præcipua, dum annum ageret duo de vigeſimum Niciæque moram traheret captus fuit illecebris cujuſdam puellæ Joſephæ Petit in eadem Civitate commorantis, cum eaque clandeſtinum Matrimonium die 6. Januarii anni 1783. inire agreſſus eſt. Itaque mane dicti diei coram Ludovico Ramin Cathedralis Paræciæ aſſiſtente ſteterunt ambo contrahentes, & in clandeſtinum Matrimonium conſenſere. Sed moniti a Canonico Honorato Novel Parocho Cathedralis Eccleſiæ quod irritum erat eorum Matrimonium tamquam celebratum coram Præsbytero, cui inter datas facultates

gam

eam exceperat assistendi nimirum clandestinis Conjugiis renovare consensum coram eodem Canonico Curato exoptarunt. Incerti an ex voto eis res successerit Episcopum convenire satius duxerunt, introductique prius fuerunt in aulam Episcopalis Palatii, mox in Procetonem: Eo loco Episcopus cum Capitulum, & Consules Civitatis jam adventarent, ut eum solemnite r eo die Sacra facturum comitarentur, vix brevibus gravissimisque verbis reprehendere eorum temeritatem potuit; indeque dictum Josepham Petit una cum sua famula Icard in proximum cubiculum interim secedere jussit, quo etiam se transtulit Eques Raphael Paliaccius.

Elapso vix horæ dimidio, continuo ad instantiam patris comprehensus a militibus Eques Raphael, & ad Montis Albani arcem traductus fuit, a qua post octo dies Regis jussu ad Castrum Villæ Franchæ translatus, tamdem in Sardiniæ Insulam, & Civitatem Turitanam missus fuit, qua in Urbe semper commoratus est.

Fecerunt hæc ut tepescente in dies inconsulto amore Eques Raphael suum agnoverit errorem, quantumque sibi, & præclarissimo Patri suo Equiti SS. Mauritii, & Lazzari tam dispari conjugio dedecus, & ignominiam creaverit. Quapropter mota statim fuit coram Episcopali Curia querela nullitatis Matrimonii ex defectu potestatis in Sacerdote Ludovico Ramin Canonici Parochi ut dictum est assistente. Mox vero oblatæ preces fuerunt SSmo D.N. ut super hoc Matrimonio tamqnam solummodo rato dispensare dignaretur. Ablegatæ a Sanctitate Sua, prævia quatenus opus esset avocatione causæ a Curia Niciensi, ad hanc Sac. Congregationem preces fuerunt, a qua continuo datæ sunt litteræ ad Rmum Niciensem Antistitem qui assueta diligentia, & sagacitate processum efformari curavit interveniente semper Matrimonii defensore, & opportuna interrogatoria præbente. Dedit quoque Egregius Antistes votum suum pro dispensatione eadem occasione qua processum ad Urbem transmisit. Post hæc in contradictorio Partium duo infra relata Dubia hodie ab EE. VV. definienda subscripta fuere.

Primum quod attinet Matrimonii nullitatem respiciens, ait Eques Raphael contractum illud fuisse coram Sacerdote Ramin, cui uti, & cæteris Canonici Curati Coadjutoribus adempta fuerat ab eodem Canonico Curato facultas clandestina Matrimonia auctorandi. Præter ea quæ de hac facultatum circumscriptione habet ipse Canonicus Curatus aliique Vicecurati, ipsemet Ludovicus Ramin

de

de potestate sibi quoad hæc Matrimonia data vel adempta dubius saltem est; Id autem satis esse affirmat ne stare suis viribus possint Matrimonia coram eo contracta, cum præter facultatem Sacerdoti assistenti collatam necesse sit ut is sciat se illam habere ex collectis per *Ferraris in sua Bibliot. verb. Matrimonium art. 2. num. 12. ibique adden. num. 10., & 11.*

Incassum vero, prosequitur posteriorem emologationem coram ipsomet Canonico Curato implorari; Ille enim statim ex conclamata Matrimonii nullitate ab Ecclesia consulto recessit, nilque propterea audire potuit, & testes adsunt qui consensum coram eo ab utroque Conjuge præstitum excludunt, sine quibus porro consistere Matrimonii validitas non potest *collecti a Barbosa de Off. Parochi cap. 21. num. 49., & a Pignattell. consult. 62. num. 1. Tom. 7.*; præsertim cum de Matrimonio clandestino agatur contra quod ita probationum rigor exigendus est ut in quacumque implicitate contra Matrimonii validitatem sentiendum sit. *Tamburin. oper. moral. lib. 8. de Matrim. tractat. 6. cap. 2. §. 3. num. 15., Monacell. formul. Eccl. Tom. 2. num. 16. formul. 2. n. 28.*

Contra vero Defensor Matrimonii negat probari quod Viceparocho Ramin sublata fuerit clandestinis Matrimoniis assistendi facultas, quia testes de ea re subdubii loquuntur, suntque præterea extrajudiciales; Et quatenus etiam factum probaretur in jure, illud non relevare ostendit. Semel ac enim admittitur, & quotidiana experientia demonstrabat Parocho Ramin datam fuisse legitimis Matrimoniis assistendi licentiam statim titulus coloratus quoad omnia in genere Matrimonia enascebatur, qui communi errore accedente ad clandestinorum quoque conjugiorum validitatem satis erat, ut casus distinguendo docuit *Barbosa cap. dudum lib. 1. Decret. tit. 6. tom. 1. pag. 132, Reinfestuel. in jus Canon. lib. 2. tit. 1. de Judiciis Tom. 2. num. 203., & Sac. hæc Congregatio in Cæsaraugustana Matrimonii 10. Martii 1770. ad I. Dub.*

Ad cumulum quodammodo validitatis accedere animadvertit Matrimonii emologationem coram ipsomet Parocho Novel, utcumque fugiente, postea factam ostensamque, si non verbis ab utraque parte prolatis, & auditis, saltem extrinsecis signis voluntatem eamdem demonstrantibus nisu scilicet accedendi ad Parochum, & quidem unitim, eumque insequendi: Receptum porro esse non verbis tantum sed aliis etiam extrinsecis signis consensum ad Matrimonii validitatem necessarium exprimi posse *San-*

chez. de Matrim. lib.2. disput.31. num.5. Rota decis. 124. *part. 7. Recent.*

Quoad alterum Dubium sit dandum nec ne SS̃mo D. N. consilium pro dispensatione super Matrimonio rato, & non consumato, fatetur Eques Raphael duo esse veluti necessaria extrema hujusce consilii, alterum nempe evidentem non sequutæ consumationis probationem, alterum legitimarum graviumque causarum pro obtinenda dispensatione concursum. Quoad primum porro rem acu tangere videtur. Præmittit enim solemnem juratam repetitamque utriusque Conjugis in hanc rem confessionem a juramento septimæ manus propinquorum, & respective vicinorum adminiculatam ad tramites *Text. in cap. laudabilem, & in cap. fin. de frigid. & malef.* Mox tria distinguit brevissima tempora *primum* ab egressu Ecclesiæ ad ingressum in cubiculum jussu R̃mi Episcopi; *secundum* moræ in eodem cubiculo per fere semihoram; *tertium* comprehensionis in eodem cubiculo, & translationis ejusdem Equitis Raphaelis ad Loca de quibus supra.

Porro *primum* tempus cum fuerit transactum in via, aula, in procetone Episcopalis palatii adstantibus pluribus, & quoad tempus moræ in procetone saltem Camilla Icard famula admittere non posse videtur sequutæ consumationis suspicionem, attenta præsertim temporis brevitate, circumstantiaque inter alias impendentis per singula momenta Episcopi adventus. *Secundo* tempore quod semihoram attigit, commorati sunt Eques Raphael, & Josepha Petit in eodem cubiculo in quod puellam famulamque divertere jusserat Episcopus, sed hoc intervallo præsens semper fuit famula Camilla Icard. Aderat in proximo cubiculo Episcopi domesticus ab eo adstare jussus: nec non, & alius domesticus qui supervenit, modumque quo considebant dictæ Personæ, enarrat, & quommodo ob semi apertam januam videre omnia, quæ refert, potuerit: Omnes porro unanimi consensione concludunt consumatum eo tempore Matrimonium non fuisse. De *tertio* tempore testes sunt ipsa Josepha Petit quæ Equitem Raphaelem a comprehensione ne vidisse quidem jurata affirmat, & custodes arcium, remque citra omnem dubitationis aleam positam esse Episcopus affirmat. Porro geminatæ solemnes jurataeque confessiones contrahentium, judicium Episcopi, & tam accurata temporis per singula intervalla descriptio, rerum denique circumstantiæ sequutam consumationem omnino excludere videntur. *Sanchez de Matrim. lib. 7. disput.92.*

sput. 92. *num.*13. , *Pignattel. Consult. contr.* 148. *n.* 12. *Tom.* 1. , *Zacch. quæstionum legal. Tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 1. *num.*18. , *& seqq. Rota in Gadicen. Matrimonii* 8. *Feb.* 1765. §.22. *cor. Emo Zelada* .

Concursum vero gravium legitimarumque causarum quod erat alterum ex duobus extremis pro dispensatione requisitis , ostendit Eques Raphael prolata in medium summa gradus disparitate : eximia est enim nobilitas familiæ Planargia , obscura conditio immo , & ignoti parentes Josephæ Petit : Hanc porro summam inæquilitatem idoneam esse dispensandi causam,in individuo docent *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disput.* 16. *num.*2. , *Muscetola de Sponsal.* , & *Matrim. dub.*4. *num.*104. , & 201.. Accedunt lubricum ætatis in adolescente duo de viginti annorum , gravissimum , & irreconciliabile odium quod inconsulto amori , ut non raro usuvenit , post animadversos hujusce conjugii ferales effectus successit ; Serenissimi Regis indignatio , quam vicissim dispensatio hæc emolliret , nobilissimi Patris constans propositum a suo conspectu arcendi , & in longinquas regiones ad quas Josephæ Petit non pateat accessus , transmittendi , exhæredemque faciendi filium quatenus hoc consistere connubium debeat , lis super Matrimonii validitate , conscientiarum quies , Episcopi judicium ; quæ omnia potissimum simul sumpta, eas esse causas propter quas dispensatio super rato Matrimonio concedi solet, advertunt *Decius cons.* 112. *per tot. Schmalzgruaber. in ius Canon. part.* 4. *tit.* 19. *num.* 56. *de Justis de dispensat. Matrim. Mantica lib.* 2. *cap.*10. *num.*25.

Vicissim contra hanc dispensationem consurgit defensor matrimonii, eique refragari ait Josepham Petit , utcumque prius seducta aut decepta consenserit , Mox vero de primo extremo non sequutæ nimirum consumationis agens illud tantummodo tempus carpit quod per semihoram in cubiculo procetoni proximo transactum est adstante semper famula Ichard . Ait non fidendum ipsorum conjugum, neque hujus mulieris testimonio de non sequuta consumatione ; duorumque Episcopi domesticorum testimonium aut non integrum semihoræ spatium amplecti , aut non satis evincere quod ipsi viderint seu videre potuerint omnia quæ in dicto cubiculo agebantur .

Quo vero ad secundum extremum legitimas nempe dispensandi causas, eam , quæ ab insigni oritur natalium disparitate , despectam fuisse refert ab hac S. Congregatione in *Vormatien. Matrimonii* 13. *Junii* 1733. , & 23. *Januarii*

rii 1734. in qua tamen circumſtantia aderat prolis ex antecedenti complexu ſuſceptæ, quam propterea legitimam fecerat ſequens in matrimonium conſenſus: Alteram ſubortæ in viro averſionis, & odii plauſum non meruiſſe ab hoc ampliſſimo Ordine *in Januen. diſpenſationis* 15. *Januarii anni elapſi* in qua, & illud erat indemonſtratum, ſcilicet conſumatum nec ne matrimonium fuiſſet, & fabulæ ſpeciem actæ rei cauſæque ſeries præſeferre videbatur. Cæteris cauſis ut exhæredationis timori, regiæ indignationi, amiſſioni militaris gradus, ſpei redintegrationis ſi matrimonium diſſolvatur, illud generatim obſtare quod temporalia ſint infortunia, a contrahente prævisa, privatam utilitatem reſpicientia, propectereaque legitimæ eſſe nequeunt diſpenſandi cauſæ ut ſcribebat ad Eugenium III. *S. Bernardus lib.*3. *de conſiderat.*, & docent *de Luca de matrim. diſc.*81. *num.*17., *de Juſtis de diſpenſat. lib.*2. *cap.*10. *num.*20., *Urſaya tom.*2. *part.*1. *diſcept.*3., & *tom.*3. *part.*2. *diſcept.* 21. *num.*53.

Primum Dubium quod attinet ambigendum haud videtur de matrimonii validitate. Circumſcriptas Vice-Parochi Ramin facultates non bene probant teſtes, nec ſi probarent momentoſa hæc abſcondita limitatio videretur. Quo vero ad ſecundum de Summi Pontificis poteſtate diſpenſandi ſuper matrimonio rato dubitare non licet. Non ſolum hæc ſententia Teologorum, & Canoniſtarum ſuffragiis fulciebatur, ſed praxi etiam graviſſimorum in Petri Cathedra ſedentium Summorum Pontificum; cum ſa. me. Clementi VIII. placuit in eam rem votum audire Congregationis particularis octo S. R. E. Cardinalium quatuor Sac. Rotæ Auditorum, duorumque inſignum Theologorum, a qua laudata probataque ea Sententia eſt de Summi Pontificis poteſtate, qua inſequentes Summi Pontifices conſtantiſſime ad hos uſque dies uſi ſunt. *Card. d'Oſſat. Epiſt.* 180. *part.* 1. *Spada in annual. Eccleſ. ad annum* 1594. *num.*4., *Urſaja Tom.*2. *part.*1. *diſcept.* 3. *per tot.*, *Clericat. de Sacram. Matrim. dec.*5. *per tot.*

De concurſu autem gravium legitimarumque cauſarum (quoniam de non ſequuta Matrimonii conſumatione moveri ex prædictis dubitationem haud poſſe videtur) judicabunt facilius EE. VV., ſi conferent eas quæ expoſitæ ſunt, circumſtantias cum iis quæ afferebantur *in Januen,* 8. *Auguſti*, & 12. *Septembris* 1773., *in Maſſanen.* 17. *Aprilis* 1779., *in Veneta* 24. *Martii* 1781., *in Januen.* 16. *Auguſti*, & 6. *Septembris* 1783. in quibus pro diſpenſatione reſponſum fuit. Omittendum haud vide-

detur per celebre votum *cl. mem. Card. Lancellotti* in Causa *Hispalen. Dissolutionis Matrimonii* relato per extensum *ab Ursaya Discept. Eccles. Tom.* 3. *part.* 2. *discept.* 21., in quo postquam odia conjugum, & inimicitias inter consanguineos tamquam legitimam causam concedendæ dispensationis recensuit hæc habet *num.*83.= *& ideo hanc reprobari posse non credo, maxime ubi jungatur cum disparitate*; *& Ego facta diligentia non inveni aliquem qui similem causam quoquommodo in hoc proposito reprobet, licet non desint DD. qui aliquas causas reprobaverint* =

Dubia sunt.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c., & quatenus negativè.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consumati in casu &c.

Ad I. Provisum in secundo.
Ad II. Affirmativè.

LEODIEN. PROROGATIONIS INDULTI: Ampliorem hujusce Caussæ statum, dignentur EE. VV. resumere a folio in Congregatione diei 22. Junii 1776. distributo, quod habetur typis impressum *in Thes. resol. tom.* 45. *pag.* 74.. Indultum, cujus petitur prorogatio, altiorem repetit originem ab anno 1722.. Eo quippe anno Capitulum collegiatæ Ecclesiæ S. Phoillani oppidi Fossensis exposuit sa. mem. Innocentio XIII. proximam, quam propria Ecclesia minabatur, ruinam, tenuemque tum fabricæ reditum scuta tria non excedentem, tum Canonicatuum, qui ad scuta 100. vix pertingunt. Compertum idcirco cum fuisset, & fabricam, & Canonicos sumptuosæ reparationi esse penitus impares, benignè Pontifex indulsit, hac Sagra Congregatione audita, ut ad vicennium Canonicatuum, & præbendarum exinde per obitum vacantium reditus primi biennii reparationibus applicarentur, pariterque reditus primi anni Canonicatuum, ac præbendarum aliter vacantium, quam per obitum. Itemque concessit, ut eumdem ad effectum a Capitulo, & Canonicis super Ecclesiæ bonis census in sorte sc.3000. imponeretur, in vicennii tamen decursu extinguendus. *Sess.*21. *cap.* 7. *de Reform.*

Sed

Sed reparationum, litiumque auctis sumptibus: novis contributionibus, bellorumque calamitatibus accedentibus oportuit, vicennio exacto, de decennio in decennium prorogationes indulgere ad postremam usque diei 22. Junii 1776. Jamque ergo terminus iterum instat, & novæ denuo porriguntur preces ad alios annos quadraginta.

His desuper Vicarius Generalis de more requisitus refert singulas, quas Capitulum, subivit, a postrema prorogatione necessarias impensas: Scilicet in litibus ad jura Ecclesiæ tuenda Florenos Brabantiæ 4791. in Ecclesiarum unitarum, domorum, & Cœmeteriorum restaurationes Florenos 33545. in augumentis congruarum pro Parochis, & salariorum pro auxiliariis Presbyteris Florenos 6300. in usuris æris alieni Florenos 7650. in oneribus Florenos 19358.; in Salariis pro Cantoribus, aliisque Ecclesiæ Ministris attenta Redituum fabricæ deficientia. Florenos 9180.; eæque simul junctæ impensæ summam Florenorum Brabantiæ 76824. consistunt, qui nostratis monetæ æquivalent scutis 15364. 80.

Post hunc impensarum Statum reditus omnes, proventusque recenset tum Fabricæ, tum Indulti; & diligentem, solertemque commendans administrationem, pertingere in totum illos omnes, testatur, ad Florenos 18285., seù scuta 3657. Denique informationem concludit sic suam = *Hinc attenta tenuitate Redituum, & proventuum dictæ fabricæ, attento etiam quod massa Capitularis jam nimis gravata existat, illaque vix sit sufficiens honestæ Canonicorum substentationi, nec alia adsint media in his calamitatum circumstantiis, omniaque in hic adjunctis precibus contenta veritati nitantur; ad subveniendum tot oneribus, nullum mihi videtur superesse remedium, nisi supradictum indultum ad minus ad quadraginta annos benignè extendatur. Sicut in similibus angustiis provisum fuisse favore plerarumque Ecclesiarum Collegiatarum tam Civitatis, quam Diœcesis Leodiensis dignoscitur* =.

Pro indulti concessione eædem videntur, ni forte graviores, concurrere rationes, quæ in superioribus aderant decenniis. Quo vero ad prorogationis tempus nedum Capitulum postulat pro annis 40., verum, & Vicarius Generalis cum ipso Capitulo in sua informatione convenit. Ratio termini longioris obtinendi, veluti oretenus significatum est, in sumptibus non exiguis reponitur, qui prorogationum expeditiones ante eunt, & comitantur. His termino longiore parcendum fortasse videtur, si ab

re-

rerum circumstantiis deficere non posse in decennali evolutione necessitatem indulti, dignoscatur.

Resumptis ergo foliis hujusce Caussæ distributis die 19. Januarii 1765. *In Thes. Resol. tom. 34. pag. 12., & 18. Maii, & 22. Junii 1776 in d. Thes. Resol. tom. 45. pag. 67., & 74.* EE. VV. definient.

An sit locus prorogationi indulti in casu &c.

Affirmativè ad aliud Vicennium.

CIVITATEN. Sacerdos Antonius Giva ex Oppido de Calangianos die 22. Decembris anni 1768. Sclopo armatus cum jocosa quædam protulisset verba adversus Dominicum Mossam Sardum, similiter, & iste subridens consedisset in quodam cacumine, seu eminenti loco ad confinia dicti Oppidi, ex quo per ludibrium, seu scurrilem jocum nates ostendit prædicto Sacerdoti, qui longe aberat passibus centum quinquaginta amicum quodammodo provocans in hæc verba = *En scopum si vis explodere*=; Cumque alia subsequuta essent dicta præfatus Sardo denudatas nates exhibuit, quo inspecto dictus Sacerdos sclopum, quem versus illum paratum habebat, explosit, pilaque plumbea mortale vulnus inflixit prædicto Sardo, qui sequenti die ab humanis excessit. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Compilato Processu supradictus Giva declaratus fuit per sententiam reus homicidii, & Irregularis, pœnaque detrusionis in Collegio Scholarum Piarum, atque exilii a Diæcesi ad quinquennium per Curiam Episcopalem mulctatus fuit. Alias tam longo temporis intervallo Sac. huic Congregationi supplicavit pro dispensatione ab irregularitate, sed primum rejectus fuit, mox cum Romam arripuisset iter, & ad pedes S. M. Clementis XIV. provolutus iterum exorasset, jussit S. Congregatio, ut novæ litteræ ad Episcopum darentur quibus de compositione Partis; & Fisci constantique emendatione juberetur referre. Utrumque præstitit tum Vicarius Capitularis anno 1778., tum modernus Episcopus anno elapso de compositione partis, & Fisci referentes; deque bonis Oratoris moribus tum ante, tum & magis post patratum crimen luculentissimum testimonium perhibentes.

Orationem suam in hæc verba claudit Episcopus, quæ hodiernæ instantiæ summam præseferunt = *Nunc autem septemdecim sunt anni ex sequuto homicidio in quibus tot labores*

bores totque incommoda passus est Orator, & etiamnum patitur ad egestatem, ut ita dicam reductus, neque ei amplius ulla suppetunt media quibus, & commode sustentari, & vitam qua Clericum decet, honeste agere possit! Eaque propter miserrimum Oratoris statum pro pastoralis mei officii munere præ oculis habens beneficio absolutionis, & irregularitatis dispensatione, ut in suomet Oppido, in quo Patrimonium Ecclesiasticum sibi constitutum est, celebrare atque ibi remanere valeat quantum ex me est, dignum existimo = .

Revera hoc homicidium casuale appellat Episcopus, & casuale etiam illud enunciabant præcedentes Vicarii Capitularis Litteræ. Id colligit Episcopus ab amicitiæ fœdere quod occisum inter, & occisorem intercedebat, ab insigni distantia pedum 585. qua posita, verisimilis erat in occisore persuasio explosionem in irritum fore cessuram, ut Fiscus accitis Peritis factoque experimento didicit; ab ipsa occisi confessione, qui ideo absque ulla formidine periculo sese lubens exposuit.

Erit tamen saltem non omnino voluntarium, atque adeo extranea erit Tridentina Sanctio spem perpetuo adimens accedendi ad Altare Domini obtinendæque in id dispensationis ei qui ex proposito, per dolum, per insidias occiderit proximum suum *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*, & sæpe hæc Sacra Congregatio respondit *in Bisacen.* 10. *Junii* 1741., *in Feretrana* 22. *Januarii* 1757., *in Derathen.* 8. *Maii* 1766., *in Taurinen.* 12. *Septembris* 1770.

Accedit quod agitur de promoto cum quo liberalius agendum esse sexcenta prostant exempla præsertim post annum 1613. quo sexdecim S. R. E. Cardinalium Congregatio coram S. M. Paulo V. convocata suum huic sententiæ calculum adjecit, ut *in Montis Falisci* 7. *Junii* 1739., *in Fulginaten.* 4. *Martii* 1758., *in Agrien.* 31. *Martii* 1770.

Accessus occisoris ad Urbem, actaque diu per 17. annos pœnitentia æstimanda sunt, ut nuper *in Melevitana* 21. *Januarii currentis anni*. Excipi solet a permissa celebratione locus commissi delicti; sed ab anno 1768. memoria ejus excidisse videtur, quam plane circumstantiam præ oculis habendam esse advertit *Fagnan. in cap. Henricus de Clerico pugnante in duello num.* 22., *& seqq.* Nec prætereundum est Episcopi contra hanc exceptionem judicium, cujus verba, & emollientes regulam causæ transcriptæ supra fuerunt.

Hæc

Hæc sufficere videntur, ut Eminentissimi PP. respondere possint.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Affirmativè per Breve.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI. Brevis fuit inter Conjuges Joannem Baptistam Pagani, ac Mariannam Baruzzi concordia. Sese invicem copularunt die 11. Julii anni 1784.; sed cum vir paulo post vix ægrotare cæpisset die 20. dicti mensis accersitus fuit Chirurgus qui lue celtica infectum eum esse putans, remedia ad eam depellendam opportuna paravit. Convaluit vir post quadraginta & ultra dies; sed nihilominus uxor ad maritalia redire obsequia detrectavit cum Viro, quem violati conjugalis fæderis reum postulabat. Orta igitur quæstio est super separatione Thori, quæ a SSmo D. N. attento partium consensu ad hanc S. Congregationem ablegata fuit. *Sess.24. cap. 8. de Reform.*

Notissimum est adulterium alterutrius conjugis legitimam præbere causam parti innocenti petendi separationem a connubiali thoro. Præivit Christus Dominus *Matthæi* 5, & consonant Canonicæ Leges, quæ nullam inter virum & mulierem distinctionem agnoscunt *cap. ex litteris* 5., & *cap. Porro* 3. *de divort. cap. si quis uxorem* 32. *quæst.* 1.

Difficultas esse solet in adulterii probatione: Hæc utique bene desumitur ab ea Celtica lue, quæ matrimonium subsequatur, quæve vere talis & venerea sit, non ad illius similitudinem, & ab innocuis progenita causis, puta nimia sanguinis acrimonia incauto, vel nimio conjugii usu sub ipsa præsertim matrimonii exordia, & aliis quæ considerat *Zacch. quæst. medic. Legal. tom.* 3. *caus.* 28. *num.* 14. *Baglivus de morbo venereo cap* 10

Ait porro Joannes Baptista Pagani totam sui criminis probationem in ore residere Chirurgi Paganini cui tamquam unico, & extrajudiciali in re gravissima fidendum non sit *cap. licet de testibus Leg. jurisjurandi Cod. de testibus*; eo autem securius, quia inverisimilia deponat. Vix enim post paucas a contracto matrimonio horas ad impermissos amplexus Orator convolasset, quod credibile non esse docet *Rota in Romana Separationis Thori* 6. *Junii* 1777. *cor. Emo Riminaldo*. Immo neque tempus prætensi venerei morbi definire potuit, quæ tamen circumstantia momentosissima est in præsenti definienda quæstione. Sci-

tum namque esse ait non statim a contracto miasmate in hujus generis morbis pravi humoris signa apparere, & erumpere sed ad plures quandoque dies rem protrahi; hinc nil vetare quod si noxia esset morbi qualitas, matrimonium morbi causa anteuisset cum post 9.a matrimonio dies accersitus fuerit Chirurgus Paganini, quod ideo dictum profitetur Joannes Baptista Pagani non quod sibi etiam ante matrimonium conscius hujus criminis sit, sed ut ostendat quam longe a necessariis probationibus distet Marianna Baruzzi, cum ad separandum conjugale fædus demonstrare oporteat violatum illud pendente matrimonio fuisse *Rota in Placentina Separationis Thori* 5. *Junii* 1752. §. 5. *cor. clar. mem. Card. Bussi*.

Quo autem uberius contrarias exsibilet probationes, affert Joannes Baptista Pagani locupletes testes de sua honestate ingenuisque moribus; addit, & alios de machinationibus materteræ uxoris suæ, ut illam a suo complexu divelleret; & demum judicium plurium illustriumque tum in Chirurgia, tum in Medicina professorum exhibet qui hallucinari potuisse, vel hallucinatum revera fuisse Chirurgum Paganini testantur.

Horum alii perdifficile admodum esse dicunt, immo sine infirmi confessione distingui vix posse inter veneream luem celticam, & eam quæ fere analoga in effectibus ab innocuis nihilominus causis proficisci potuit judicium sequuti tum *Baglini de morbo venereo cap.* 10., tum *Francisci de Sauvagas in sua Methodica Vagalogia*. Alii ipsammet paraphymosim cui tantopere innititur Chirurgus Paganini, vel æquivocam admodum esse docent, frequentique deceptioni suppositam, vel stare omnino non posse hujusce morbi veritatem cum iis de quibus Chirurgus Paganini infirmum ipsum postquam convaluerat, interrogavit, corporeis namque oculis rem ipsam videre, & animadvertere omnino debuisset, ut ante ipsos etiam dixerat *Heistoreus instit. Chirurg. part.* 2. *cap.* 131.. Est demum qui ex brevitate morbi fortasse etiam per muta adhibita antivenerea remedia ampliati noxiam illius, & veneream qualitatem excludit. Ex quibus omnibus concludit Joannes Baptista Pagani quod si rejicienda esset Mariannæ Baruzzi pro separatione instantia, quandocumque ipsa evidentissimas non affert violatæ fidei probationes, multo magis repellenda sit, cum eæ quas in medium profert, ineptæ omnino inverisimiles, aut falsæ deprehenduntur, ut concludit *Rota in Romana Separationis Thori* 22. *Martii* 1779. §. 2. *cor. Emo Riminaldo*.

Per-

Pertinent hæc ad primum ex infrascriptis Dubiis. Disceptationi secundi causam dedit improvidus Mariannæ Baruzzi discessus una cum matertera sub emendicato curandæ valetudinis colore in exteram ditionem. Ea res in fraudem judicii propediem ab hac S. Congregatione ferendi, ut videtur, acta Joannem Baptistam Pagani excitavit, ut ad Emum Episcopum confugeret. Hic autem Laudatissimus Antistes tum ut fugientes reduceret, tum ut harum mulierum dicteria confunderet, quæ eorum fugæ assensum fuisse Emum Episcopum jactitabant, sub sequestro posuit Mariannæ Baruzzi mobilia, illa scilicet quæ eadem secum non adsportaverat: Et confestim litteras dedit ad hanc S. Congregationem, quibus eam reddidit tum de facto sequestro certiorem, cum de causis, quæ illum ad consultissimum hoc decretum impulerunt. Respondit S.C. laudando Emi Episcopi consilium & gesta, eumdemque impense hortata est, ne ullo modo hæc sequestra adeo sapienter decreta elabi, aut violari permitteret. Dubia sunt

I. *An sit locus separationi thori in casu &c.*

II. *An sint servanda sequestra in casu &c.*

Ad I. Negativè; Ad II. Affirmativè.

URBINATEN., SEU ARIMINEN. ANNUI ASSIGNAMENTI. Delata Marci Antonii Gisgoni hæreditate ad formam illius postremæ voluntatis in Ariminensis Civitatis pauperes, & Hospitale, S. M. Innocentius XII. ad petitionem pauperum invalidorum, ac puellarum miserabilium ejusdem Civitatis reditus bonorum tres in partes divisit; aliam scilicet partem pauperibus invalidis destinavit, aliam puellarum dotalibus subsidiis, ac tertiam hospitali. Mox præstationem annuam postulante Genevra de Rubeis ab testatoris Abavo descendente; cum fuerit animadversum, jussam a testatore fuisse prælationem illorum de Domo, eidem mulieri scuta duodecim assignata fuerunt, quæ & ad alia scuta sex favore filiorum deinde ampliata sunt. Sic anno 1772. San. Mem. Clemens XIV. mandavit, annua scuta 36. Lucæ Alexandri subministrari, licet remotissimo conjungeretur gradu testatori. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Cum vero sub annum 1774. preces huic Sacræ Congregationi obtulissent suas, ut similem præstationem consequerentur, Marianus Alexandri Lucæ prædicti frater, & Ni-

Nicolaus ejusdem Nepos, die 9. Julii 1774. proposita Causa, rescriptum fuit = *Consulendum SSmo pro applicatione annuorum scut.* 18. *detrahen. ex subsidiis dotalibus favore Nicolai tantum*; *in reliquis negativè* = quemadmodum videre est in *Thesaur. Resolut. tom.* 43. *pag.* 127. Supplicavit quoque sub annum 1784. Geltrudes Alexandri consanguinea Nicolai, & germana Lucæ Soror, meruitque die 7. Februarii dicti anni rescriptum = *esse locum assignamento scut.* 18. *ex subsidiis dotalibus favore oratricis*, *facto verbo cum SSmo*, *& amplius* = veluti in *Thes. Resol. tom.* 53, *pag.* 32., & 43.

Rebus sic stantibus, Marianus Alexandri, qui sub annum 1774. in petitione sua rejectus fuit, denuo instat, ut ex illa die annis quindecim, & ultra exactis, & pauperior effectus, cum senescat, & arthtriticis doloribus, podagraque sæpe sæpius laboret, assignamentum denique consequatur, quo tota cognatione sua exteri pauperes ex sui consanguinei substantia, & charitate fruuntur.

Inquit enim, cur erit ipse repellendus ab eo vitæ subsidio, quo & frater suus, & Soror, & Nepos, aliique de testatoris Domo digni effecti sunt? Fortè sub annum 1774. Sacra Congregatio, pauperem eum non esse, opinata est, quod lyristæ artem, non exiguo nomine, exerceret. Sed modo opinionis hujusmodi basis est admodum imminuta. Nam præter gravem ætatem cum ei in malorum compendium accesserit, & molesta Arthritis, & acerba immitisque Podagra, nedum frequenter compellitur in lecto quiescere, & ab arte exercenda prohibetur, sed cum virium decremento spiritus quoque in dies attenuatur. Quid autem ars valet, si desit exercitium? *Ulpianus in l.* 5. *ff. de libèr. agnoscen.*, refert Pii rescriptum ad Titianum sic habens = *Competentes Judices ali te a patre tuo jubebunt pro modo facultatum ejus, si modo cum opificem te esse dicas, in ea valetudine es, ut operi sufficere non possis* = *& Rota decis.* 226. *num.* 8. *cor. Celso* observavit, ad Artis exercitium bonam, rectamque valetudinem esse necessariam.

Ergo si lyræ sonitus paupertati suæ suppetias olim detulit, inquit, cum lyra modo obmutuerit, paupertas ingravescit, ipsumque ferè opprimit, Nec facessere; ab infirmitatibus non omni tempore detineri, ne quandoque surgat, artique incumbere possit. Quis enim tempora prænoscit morbi supervenientis, illiusque diuturnitatis? Cum Orator valetudine indigeret meliori, consuetis redeuntibus, sive extraordinariis in anno solemnitatibus, tunc con-

contingere ſæpe poteſt, aut arthritide, aut podagra laborare. Incertum proinde artis exercitium redditum eſt; Eaque incertitudo ad effectum, quo de agitur, quamlibet illius æſtimationem penitus excludit. Quid verum et ſi aliquod ex lyra ſibi lucrum quandoque nanciſcatur? Ab infirmitatum ſumptibus, qui pluſve, minuſque declinari nequeunt, deglutiuntur.

Poſt hæc non inficiatur Orator, domunculam incolere paternam, & agellum ſibi eſſe. Sed ſuam non inde paupertatem excludi, defendit. Cum enim ab agrorum perito judicium de prædio exquiſiverit, cognovit, annua vix reddere ſcuta Romana 27. 50. $\frac{2}{3}$ a quibus ſi ſcuta ſex demantur, quæ in æris alieni Cauſſam ſolvere quotannis Creditori debet, jam ejuſdem prædii fructus in ſcut. 21. ſuperſunt. Num tenuis hæc ſumma exhibitioni par erit ſuæ, aut pauperem non eſſe probabit? Non etenim ab ipſo rigoroſa adeò probatio egeſtatis requirenda eſt, qualis in iis, qui ſibi victum, ſive in trivio, ſive oſtiatim obſecrant.

Sin vero obiiciantur iterum, ut ſæpe factum eſt, *Deciſiones Rotæ in Ariminen. Legati 2. Martii 1693. cor. Hervavult in nuper. la 31. tom. 4. & in illius confirmatoria*, quæ eſt *la 217. inter impreſſas cor. Caprara*, in quibus ipſe teſtatoris frater ab annua, quam petebat, præſtatione rejectus fuit. Reponit Orator, duo in cauſſa præſertim fuiſſe cur repelleretur: quod ſcilicet in extera, remotaque Auſtriæ Regione morabatur, quodque eidem teſtator ex pingui legato proſpexerat. Extraneum propterea Rotæ judicium a re præſenti eſſe. Sed neque hodiè attendendum, poſtquam S. M. Clemens *XIV*. favore Lucæ Alexandri in ratiocinato ſuo Chirographo Sententiam ſuam interpoſuit, & deinde Sacra hæc Congregatio favore Nicolai, & Geltrudis Alexandri ſemel, & bis judicavit.

Ex oppoſito Ariminenſis hoſpitalis Curatores, breviſſimè ſeſe expedientes, inquiunt, inanem eſſe opportere Oratoris fiduciam de Sacra Congregatione revocanda a juſta, quam anno 1774. edidit, reſolutione. Cum namque eadem cauſſa ſit, eædemque circumſtantiæ ſemper maneant, eadem quoque eſſe debet perſiſtentia in deciſis. Sic utique; quia domum, quam poſſidebat, & inhabitabat, poſſidet, & habitat; itemque prædium Cupparum 24. & ultra, non quidem exiguum, quod ſibi erat, modo eſt. Ex quibus ſicuti non licuit illum tunc pauperem renunciari ſic minimè licet. Non quippe teſtator de panpertate

te correſpectiva locutus eſt, cum pauperes nuncupavit, eiſque proſpexit, ſed de veris pauperibus. Poſſeſſor autem ſtabilium verè pauper non eſt. Idcirco ſi prælationem iis de Domo conceſſit, non inde illorum gratia gradum paupertatis immutavit, ſed cæteris in eodem paupertatis gradu paribus, voluit dumtaxat præferri.

Magiſque proſequitur, paupertatem deeſſe, ſi, veluti in propoſitione anni 1774., iterum hodie penſentur, quæ abs Lyriſtæ exercitio lucra conſequitur. Vtcumque autem ipſe doleat, infirmitatibus affligi, nec poſſe ad Concentus accedere muſices, attamen Ariminenſis Cathedralis Corypheus teſtatur, plures per annos mercede Conductum fuiſſe, tum ab Auguſtinianis Arimini in B. Nicolai Tolentinatis feſto, tum a Longiani Oppidanis in feſto Sanctiſſimi Crucifixi.

Ex quibus eſſe inferendum, a veritate facti penitus diſtare, lucra eidem Lyræ ſuæ defeciſſe; Neque idcirco exemplis eumdem poſſe uti fruique, ſive traductis ab Chirographo S. M. Clementis XIV., ſivè ab Reſcriptis Sacræ hujus Congregationis. Quandoquidem in iis de verè pauperibus res erat, non de reſpectivè paupere, & ſtabilium poſſeſſore. Deinde in iis Supremi Principis gratia triumphavit, non ſimplex, & nuda juſtitia. Proindeque. ubi de juſtitia quæſtio fit, exempla gratiæ traducenda non ſunt.

Super Oratoris precibus audiri fuerunt tum Archiepiſcopus Vrbini, tum Arimini Epiſcopus. Primus reſcribens ſic habet = *Marianus Orator fidicen profeſſionis domum habet in hac civitate inſtructam, & prædium pariter poſſidet, aliquo tamen ære alieno gravatum. Sicuti autem in mandatis habui ab EE. VV. audiendi omnes intereſſe habentes, R. P. D. Epiſcopum Ariminenſem de Mariani inſtantia, utpote hæreditatis Gisgoni præſidem, reddidi certiorem, qui ſuper Oratoris precibus huic S. Congreg. ſuam, ut nuper mihi innotuit, dedit relationem. Hæc ſunt, quæ pro veritate EE. VV. exponere duxi, ut ſi quid Oratori ex magnanimitate conſtituere dignemini, eleemoſinæ potius titulo cedet, quam juſtitiæ argumento* =

Epiſcopus vero S. Rotæ judicium repetit, quo teſtatoris frater in ſua poſtulatione ſuccubuit. Deinde obſervat, alios de familia Alexandri ſubſidia obtinuiſſe, & alios ſecus; & concludit = *rationes igitur, quas ſibi favere jactitat Orator ad aſſequendam ſubventionem ex hæreditate Giſgoni, non ſunt adeo claræ, ut judiciali examine nequaquam indigeant, Sin minus in præſenti caſu videndum erit*,

erit, utrum adsit in Oratore paupertatis qualitas, & an ea malitiosa fuerit, ac volita in confidentiam Legati, quod præsumi posse quodam modo videtur ex eo, quod paucis ante annis probare illam nequiverit =

Resumere dignentur EE. VV. folium hujusce Causæ distributum in Congregatione diei 11. Junii 1774. & die 9. Julii ejusdem anni, quod est impressum *in Thes. Resolut. tom.* 43. *pag.* 104. & 127. pariterque folium alterius Caussæ propositæ sub annum 1784. *in Thesaur. Resol. tom.* 53. *pag.* 32. & 43. deindeque Sapientissime de more edicere, quid sentiant de dubio,

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 9. *Julii anni* 1774. *in casu &c.*

Pro assignatione scut. 18. annuorum ex subsidiis Dotalibus, facto verbo cum Sanctissimo.

PAPIEN. = Presbiter Joannes Albertus Brizio de oppido Salarum Papien. Diæcesis institutis in usufructu fratre, & Sorore, iis extinctis ex asse hæredem nominavit animam suam, jussitque, ut Parochialis Ecclesiæ Archipresbyter exequutor testamento designatus bona omnia venderet, pretiumque erogaretur in tot Sacra, & Officia in eadem Parochiali Ecclesia celebrandam in expiationem animæ suæ. *Sess.* 25. *cap.* 6. *de Reform.*

Defecerunt usufructuarii hæredes, factusque est locus demandatæ venditioni ac celebrationi Sacrorum, & Officiorum. Josephus autem aliique Ragni testatoris ex sorore nepotes optarent legatum Missarum ex temporaneo fieri perpetuum, retentis nimirum stabilibus hæreditariis implicatisque in frugiferum censum pecuniis, ex venditione mobilium retrahendis, quorum omnium fructus in eleemosynam tot Sacrorum in designata Ecclesia celebrandorum in singulos annos erogarentur. Illud etiam exoptarent (ut ex Archiepiscopi Episcopi Papiensis epistolis colligere est) quod Sacerdotis pro Sacrorum celebratione eligendi nominatio ad eosdem Oratores tamquam proximiores spectaret.

Auditus fuit super precibus S. Congregationi hac de causa porrectis Archiepiscopus Episcopus Papiensis, qui utilem hanc voluntatis commutationem esse refert ut Ecclesiæ Parochiali, quæ sufficienti Missarum numero festis aliis diebus præterquam Dominicis caret, & Parochianorum necessitati, qui uno eodemque tempore Parochiali Mis-

Missæ interesse nequeunt, consulatur. Sufficere huic rei fructus hæreditatis animadvertit cum stabilia retinenda attollantur ad sc. 760, cætera vendenda, & implicanda, ut supra ad sc. 160. Favet etiam nominationi Oratoribus deferendæ. Exequutorem testamentarium aut verius personam ejus loco deputatam audivit qui prius assensit, alteroque die dissentit, rogatusque ut dissentiendi rationes verbo aut scriptis ederet, loqui aut scribere recusavit.

Similis instantia proposita in S. Congregatione fuit in *Perusina seu Civitatis Plebis Cappellaniæ* 1733. eademque omnino Dubia quæ hodie proponuntur in disceptationem veniebant S. Congregatio die 27. Junii respondit = *Episcopus procedat ad erectionem Cappellaniæ imposito Cappellanis onere celebrandi juxta mentem Andreæ Jontanti tot Missas quot celebrari possent ex fructibus bonorum ad rationem manualis detractis utensilibus, & Cappellania remaneat liberæ Collationis, sed pro prima vice ex gratia conferatur fratri Constantiæ &c.*

Idem promereri responsum videtur hodierna instantia tum propter hodierni assis (injunctum opus quod attinet) amplitudinem, tum propter Parochiæ, & Parochianorum utilitatem, cui provideri in dando per S. Congregationem responso facile posset demandata celebratione diebus aliis festis præter diem Dominicum; tum denique propter votum Archiepiscopi Episcopi quod semper magni faciendum est. Quatenus inter Oratores Sacerdos adesset hujusce erigendæ Cappellaniæ capax loco perpetuæ, ut supra nominationis consuli pro prima vice eidem posset per collationem eidem ab Ordinario ex gratia similiter faciendam.

Quæstionis capita sunt.

An sit locus erectioni Cappellaniæ in casu &c.

An jus nominandi Cappellanum sit reservandum favore proximiorum testatoris in casu &c.

Non proposita cum sequen.

EUGUBINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Conc. Trid. Sess. 22. cap. 6. de Reform.

In ultimo cum quo decessit testamento Joannes Antonius Gili Sacerdos Eugubinus anno 1724. jussit ut defunctis hæredibus quos instituerat ex omnibus bonis suis quatuor Canonicatus in Ecclesia Collegiata S. Christino dicata ejusdem Civitatis erigerentur. Pro cujuslibet Canoni-

nicatus præbenda annua scuta quinquaginta Vrbinatensia assignavit: Quod si ex suæ hæreditatis asse aliquid superesset, id per annos triginta implicaretur in frugifera investimenta & pro æquali imposterum inter eosdem Canonicos divideretur. Jus nominandi ad duos Canonicatus eidem Collegiatæ, ad tertium Petro Simoni Petrucci, ad quartum Stephano Fabri reliquit.

Hæredes omnes decesserunt; vivit autem Jacobus Cappellonius Prior dictæ Collegiatæ solus testamentarius exequutor, eique propterea quatuor Canonicatus erigendi onus incumbit. Cum tamen cognoverit totius hæreditatis reditus annua scuta octuaginta Vrbinatensia non superare, eaque prorsus ad quatuor Canonicorum sustentationem imparia esse voluntatis commutationem, totius etiam Collegiatæ nomine efflagitat, atque ut loco quatuor Canonicatuum totidem mansionariatus erigantur.

Componitur hæc Collegiata in præsenti rerum statu ex octo Canonicis, & duobus dumtaxat Mansionariis.

Patroni petitæ Commutationi nedum consensum præbent, verum etiam illam exoptant: Solus ex iis Stephanus Fabri alium mutationis modum proposuit nempe ut Canonicatuum potius numerus ad duos tantum reducatur: Sententiam tamen hanc suam Episcopi placito & voluntati submittit.

Episcopus omnia confirmat, votumque aperit suum pro petita a Cappellonio Commutatione. Petitionem immo legitimam justamque esse pluribus probat. Statuit in primis axioma in qualibet commutatione, quod minus dispositionis substantiam lædit esse eligendum: huic autem principio consequentem esse instantiæ æquitatem, & justitiam existimat cum nonnisi in nomine discrepet servitium quod vel a quatuor Canonicorum nomine insignitis vel a quatuor Mansionariis nuncupatis præstetur. Addit procliviores esse oportere in eam mutationem quæ nondum cum effectu consumata fuerit.

Hanc autem mutationem præ ea quam Stephanus Fabri proponit eligendam esse judicat *tum quia* adhuc duobus erigendis Canonicatibus impar esset reditus sc. 80., *tum quia* nominali illa, ut ita dicam, mutatione in quatuor mansionariatus minus a testatoris voluntate disceditur, *tum quia* jurgia, & lites inter patronos crearet illa duorum Canonicatuum erectio. Præbendarum tandem proportionem pro quatuor Mansionariis ostendit tribuendo nimirum eorum unicuique scuta viginti uti adamussim alii duo Mansionarii actu existentes percipiunt.

A veteribus usque Ecclesiæ Canonibus per sancte constitu-

tum fuit ut ultimis defunctorum voluntatibus exacte obtemperaretur, *Cap. ultima voluntas 4. cauf. 13. q. 2. & Cap. nos quidem de testamentis*. Præstius id præceptum fuit *Clement. quia contingit 2. de Relig. Domib.* in qua sola excipitur supremæ Sedis auctoritas = *Quoad ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium ad illum debent, non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate, converti*. Nec quoad pias præsertim largitiones peculiaris, & Ecclesiastica ratio deest ne scilicet fideles per despecta piorum morientium placita aut crebram improvidamque eorumdem mutationem a dispositionibus in expiationem animæ suæ arceantur, ut observat *Card. Petra in Comment. tom. 3. ad Constitut. 7. Innocent. IV. num.* 50.

Tridentinum Concilium *Sess. 22. Cap. 6. de Reform.* antiquorum Canonum severitatem haud immutavit; exceptionem addidit justæ, & necessariæ causæ, quas inter ea indubie est, si pecunia legata designata pio usui haud sufficiat: Tunc enim necessitate veluti cogente non tam mutatur quam explicatur defuncti voluntas electo pio, & proximiori usu minus a testatoris desiderio recedente, *Barb. in Conc. Trid. loc. cit.* atque passim servavit S. hæc Congregatio ut in *Romana Commut. volunt. 27. Februarii* 1734, *in Camerinen., & Fabrianen. Com. volunt.* 10. *Sept.* 1754. *in Nullius Terræ Pontiani* 30. *Jan.* 1745., & *in Interamnen.* 8. *Maii* 1756.

Mutationi porro de qua sub infrascriptis Dubiis disceptatur, & cui in genere & in specie ut supra favet Episcopus iis in medium prolatis fundamentis quibus aliquid addere supervacaneum esset. Analoga & similis fuit instantia a Capitulo Cathedralis Prænestinæ huic S. Congregationi porrecta 15. *Martii* 1777. in qua loco Canonicatus Mansionariatum erigi postulabat, & obtinuit ea potissimum de causa, quia adeo imminuti erant reditus, ut pro decenti Canonici sustentatione impares prorsus evaserint.

Eadem hodie concurrant nec ne fundamenta, eodem in casu danda nec ne venia & gratia sit, videbunt Eminentissimi PP. a quorum proinde oraculo pendet definitio.

An sit consulendum Sanctissimo pro Commutatione voluntatis Testatoris in ea parte qua quatuor Canonicatus erigi mandavit firmis remanentibus cæteris oneribus præsertim Missarum in casu &c.

Et quatenus affirmative,

An sit Consulendum Sanctissimo pro erectione quatuor Mansionariatuum, vel potius duorum Canonicatuum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 1. *Aprilis* 1786. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

DEſcribuntur primo loco duæ, quæ ex ultima Congregatione ſuperfuerunt Cauſæ, reliquæ ſeptem hodie primum proponuntur.

PAPIEN.

I. *An ſit locus erectioni Cappellaniæ in caſu &c* — *Seſs.* 25. *cap.* 6. *de Reform.*

II. *An jus nominandi Cappellanum ſit reſervandum favore proximiorum Teſtatoris in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè juxta Votum Archiepiſcopi-Epiſcopi = Ad II. Negativè, & ex gratia pro prima vice conferatur nominando a Joſepho, & aliis Ragni.

EUGUBINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. — *Seſs.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

I. *An ſit conſulendum SSmo pro commutatione voluntatis teſtatoris in ea parte, qua quatuor Canonicatus erigi mandavit firmis remanentibus cæteris oneribus præſertim Miſſarum in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An ſit conſulendum SSmo pro erectione quatuor manſionariatuum, vel potius duorum Canonicatuum in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam.

Sess.24.cap.12. de Reform.

DUBIA SUPER PROFESSIONE FIDEI IN REGNIS HISPANIARUM. Orta est in Hispaniarum Regnis inter Ecclesiasticos viros modesta, nec illaudanda contentio quoad nonnulla disciplinæ capita, quæ sub infrascriptis Dubiis comprehenduntur. Cum parte ex una nec lucri cupido, nec ullæ simultates, sed mutuus amor Sanctarum Ecclesiæ legum eam accenderit, parte vero ex alia serenissimus idemque piissimus Hispaniarum Rex quæstionem omnem in suo veluti ortu præcidere exoptaverit, hinc pro sua eximia pietate, & sæpe testata in Apostolicam Sedem observantia a SSmo Domino Nostro decisionem expectandam esse censuit. Oblatis ergo ab ejus laudatissimo in Urbe Oratore precibus Sanctitati Suæ iisque ab eodem SSmo Domino Nostro ad hanc Sac. Congregationem ablegatis ea quæ sequuntur capita ab EE. VV. definienda proponuntur.

Primum quod attinet præmittendum est saluberrimam regulam de emittenda a beneficiatis fidei professione, aut suam debere originem Hispanorum Antistitum pietati, aut ab iisdem solemniore decreto fuisse consecratam in *Toletano Conc. IV. cap.26., & 11. can.10.* Mox Tridentinum Concilium *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*, & Pius IV. Constit. *injunctum nobis* universalis legis vim auctoritatemque addidere. Eam porro fidei professionem coram Episcopo, vel ejus Vicario generali, atque insuper coram Canonicis capitulariter congregatis esse faciendam dudum edixit Sac. hæc Congregatio in *Catiacen.* 25. *Januarii, & 9. Februarii* 1726. Rogata enim = *An sit emittenda coram Episcopo, aut ejus Vicario, & deinde coram Canonicis capitulariter congregatis* = Respondit =*Emittendam esse coram Episcopo, aut ejus Vicario, & etiam coram Canonicis Capitulariter congregatis, sufficere tamen si emittatur coram Capitulo cui Episcopus, vel Vicarius generalis intersit* =. Sede autem Episcopali vacante loco Episcopi, aut Vicarii generalis adhibendus est Vicarius Capitularis, nec satis est coram solo Capitulo professionem emittere, quia licet Capitulum succedat in jurisdictionem Episcopi, voluit tamen Tridentinum eamdem jurisdictionem exerceri per Vicarium Capitularem *Garzias de Benef part.3.cap.3.n.27., & 28., Barbos. de Off., & potest. Episcopi alleg 61.n.18., Castropalao tract. 4. de Fide disput. 1. punct. 19 num. 9. Bonacin. in 1. Eccl. præcepto disp.3. quæst.2. punct.4. n.2.*

Hanc autem fidei professionem renovandam esse quoties novam

vam Parochi, Canonici, Dignitates &c. assequuntur Paræciam, Dignitatem; Canonicatum &c. ab eadem Sac. Congregatione dudum fuisse decisum refert *Garzias de Benef. part.3. cap.3. num.17., &* 18. Ait enim, quod proposito Dubio = *An teneatur fidei professionem facere is, qui secundam Parochialem consequitur si in adeptione præbendæ quam amisit, vel alias quacumque de causa coram Episcopo, sive aliis pubblice Fidei professionem semel emisit* = Sac. Congregatio respondit = *Teneri* =. Consentit *Barbosa de Offic., & potest. Episcopi alleg.*61. *num*.9., qui bene multos allegat subscribentes DD., atque idem certam invictamque affert dictę obbligationis causam *de Canon., & Dignit. cap.*17.*num*.8. = *Amplia in eo qui semel emisit fidei professionem in adeptione alterius similis Dignitatis, vel Canonicatus, quia ille qui fuit Canonicus, & postea Canonicatum dimisit præstito juramento adstrictus non remanet; imo si Canonicus denuo ibi efficiatur, iterum jurare tenetur*. Immo si Parochus, Canonicus, Dignitas &c. ad eam redeat quam dimisit Paræciam, Dignitatem, aut Canonicatum &c. a lege renovandæ professionis eamdem ob causam non eximitur, ut bene concludunt *Castropalao tract.*4. *de fide disput.*1. *punct.* 19. *num.* 7., *Reinfestuel in lib.*1. *Decretal. tit.*1. §.8. *num*.159.

Quoad secundam quæstionem licet Sac. Conc. Tridentinum, quod legem modum, & tempus emittendæ fidei professionis invexit, contrarias non obliteraverit consuetudines, tamen *Pius IV. in sua Const. Benedictus Deus*, qua Concilii decreta approbavit eas apposuit salutares clausulas, per quas contrariæ consuetudini patere amplius non posset accessus. In graviori conciliari sanctione de Parochialibus, etiam patronatus Ecclesiastici per concursum conferendis, dubitatum olim fuit, an quidpiam contra hanc legem posset immemorabilis observantia, cui pedissequa esse solet Apostolici privilegii præsumptio. Sac. Rota *in Legionen. Parochialis* 11. *Januarii*, & 2. *Julii* 1705. *cor. Kaunitz* momentosam censuit, & attendendam immemorabilem observantiam, sed postea de suo sensu diffidit jussitque, ut super viribus dictæ immemorabilis duo Romanæ jurisprudentiæ lumina Prosper Lambertini deinde Bened. XIV., & Pitonius pro veritate scriberent, id quod utrique præstitere, ut eorum primus testatur in sua *Inst. Eccles.*60,, & *secundus alleg.*5. *de controv. patron.*. Contra immemorabilem consuetudinem responderunt di-

cti

cti duo Consultores; sed defuit occasio ea de quæstione amplius agendi in S. Rota; cum ob collitigantis obitum ulteriorem non habuerit ea causa progressum, *ut ex Novarien. Parochialis loci Cisti* 27. *Januarii* 1710. *§. Hinc non minus cessat cor. Priolo*.

Cæterum extra dictum Tribunal de hac ipsa re quærere oportuit, & præsertim nullas hasce consuetudines exerere vires posse contra Conciliarem legem a Pio IV. confirmatam docet *Bened. XIV. instit. Eccl.* 60. *num.* 5., & *seq.*, ubi postquam retulit prætensam Bononiæ consuetudinem perpetuam firmamque, ut provisi a Dataria de Canonicatibus, aut Paræciis fidei professionem non emitterent, & postquam veram in facto non esse dictam consuetudinem testatus est, hæc habet = *Secundo licet hujusmodi consuetudo constans haberetur, nihili tamen facienda esset cum Tridentino Concilio apertissime repugnet. Quamvis enim post decretum quo professio fidei præcipitur, aliud decretum non sequatur abrogans quæcumque in contrarium proferri possent, tamen id cautum satis fuit per Pium IV. Pontificem in ea Const., quæ incipit Benedictus Deus. Illa quidem abrogat omnia, quæ Tridentinæ Synodo contraria esse videantur, ideoque singula ejusdem Concilii capita simul complectitur, & nullius efficit momenti consuetudines, quæ Leges aliquas in iisdem capitibus præscriptas violent*.

Quod si ille alter Vicarius de gremio Capituli, de quo in formula Dubii vere, & proprie est Vicarius generalis jam sine ullius præsidio consuetudinis emitti coram eo, & Capitulo professio potest, cum vetitum non sit Episcopo præsertim ampliori Diæcesi præposito duos habere Vicarios generales *C. quoniam de Off. Ordinarii C. ad hæc de Off. Archidiaconi Barbosa de Off., & potest. Episcopi par.* 3. *alleg* 54. *num.* 126., *Anaclet. in lib.* 1. *Decretal. tit.* 28. *num.* 67., *Zerol. in praxi Episcoporum part.* 1. *verbo Vicarius num.* 1.; Sin autem dictus ille alter Vicarius vere, & proprie generalis non est (de quo improprie generali Vicario intelligere necesse est quæstionem in dubio propositam, ne alias supervacanea immo contradictoria sit) jam ejus præsentiam nullum adjicere robur consuetudini potest contra formam a Tridentino invectam, & præcise servandam, *ut supra in §. Primum quod attinet*.

Quid possit quoad tempus præteritum bona fides in tertio capite quæritur. Neminem latet haud posse Ordinarium auctoritate sua a restituendis fructibus absolvere eos, qui pro-

professionem fidei tempore, & modo a Tridentina lege praestituto non emiserunt. Sed aeque omnes norunt San. Apostolicae Sedis hac in re indulgentiam quoties malitia absit, concurratque bona fides; Refert *Garzias de Benef. part.* 3. *c.*3. *num.* 53., *& seqq.* Gregorium XIII. semper hosce fructus condonasse. Nec aliter se gessit S. Congregatio, tum in casu quem refert *Navarr. in summa Bullar. p.*1. *comment.* 59. *num.* 10., tum in alio cujus meminit *Barbos. de Canon. cap.*17. *num.*3. Illustrius autem recentius, & generalius suppeditat exemplum Causa *Cathanen.* in hac S. Congegatione acta *anno* 1726. cujus supra mentio facta est. In ea inter caetera definitum fuit non posse professionem fidei emitti per Procuratorem; sed cum eodem contextu animadversum fuerit facile hinc captam iri occasionem privandi fructibus eos, qui bona fide professionem per Procuratorem emisissent, insinuatum prudentissime fuit, ut hoc contingente casu fieret sic professo fructuum remissio erogata in pauperes aliqua eleemosyna. Reque vera ita actum est erga Archidiaconum Cathedralis Ecclesiae Cathanensis, qui bona fide per Procuratorem professionem emiserat, ut ex *lib.*76. *Decret. pag.*133.

Gravius etiam est exemplum, cujus meminit *Bened. XIV. in sua Instit. Eccl.* 60.. Sub inani praesidio consuetudinis, quodque deterius erat, assertae, sed non probatae immo exclusae, ii qui in Bononiensi Diaecesi de Paraecia, aut Canonicatu in Metropolitana Ecclesia a Dataria Apostolica provideri obtinuerant, ab emittenda professione fidei abstinebant rati praeterea silentium Bullarum mandatique de immittendo, quod Litteris Apostolicis adjungi solet sibi prodesse. Errorem emendavit idem Bened. XIV. tunc Bononiensis Archiepiscopus, sed interim monuit tum Canonicos, tum Parochos, ut ad S. Congregationem pro impetranda fructuum remissione una simul confugerent. Paruerunt amantissimo Pastori, & Sac. haec Congregatio confestim litteras ad Emum tunc Archiepiscopum dedit in haec verba = *Negotium de quo agitur in adjunctis precibus nonnullorum Canonicorum istius Metropolitanae aliorumque Parochorum tum Civitatis, tum Diaecesis Emi PP. remittendum esse duxerunt arbitrio, & prudentiae Em. V., cui proinde facultatem faciunt, ut Canonicos, & Parochos praescriptos, qui fidei professionem coram Ordinario prout exponitur erronee, & contra dispositionem S. Concilii Tridentini emittere praetermiserunt ad novam fidei professionem faciendam coram Em. V., seu ejus* Vica-

Vicario Generali admittere possit, eisdemque fructus suorum respective Beneficiorum a die adeptæ possessionis perceptorum, erogata tamen aliqua summa arbitrio Em. V. taxanda in eleemosynam Christi pauperum liberaliter condonare valeat.

Dubia sunt

I. *An in qualibet nova provisione Canonicatuum, Dignitatum &c. in Ecclesiis Cathedralibus (etiam in eadem Ecclesia) iteranda sit professio fidei ad formam Decreti Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

II. *An ea emitti debeat coram Ordinario, vel ejus Vicario generali, & tempore Sedis Vacantis coram Vicario Capitulari, & Capitulo, vel potius stante consuetudine liceat eam emittere coram solo Capitulo præsertim iis in Diœcesibus, in quibus Ordinarii præter Vicarium generalem habent alterum Vicarium de gremio Capituli ad effectum convocandi Capitulum, & eidem interessendi in rebus respicientibus Ordinarium, & Capitulum.*

Et quatenus negativè ad secundam partem.

III. *An stante bona fide sit consulendum SSmo pro absolutione a restitutione fructuum pro tempore præterito, quoad eos, qui professionem fidei coram Capitulo, ut supra emiserunt.*

Ad I. Affirmativè.
Ad II. Affirmativè ad primam partem; Negativè ad secundam.
Ad III. Affirmativè.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

TOLENTINA. Proposita fuit hæc causa in Congregatione diei 7. Maii anni elapsi, & resoluta die 28. ejusdem mensis. Duo erant Dubia = I. *An, & quommodo, & in qua summa debeantur fructus*: II. *An debeatur eleemosyna pro onere trium Missarum qualibet hebdomada celebrandarum*. Primo datum est responsum = *Affirmativè juxta modum nempe deberi annua scut. 14. ultra rubra quatuor frumenti, & scut. 6. solutis a Seminario utensilibus, Cathedratico, & Collectis* = Secundo = *Negativè* =. Redit hodie instante Seminario, & de excessu conquerente assignatæ Canonicis Valtieri subministrationis in pecunia

ob

ob eos calculi errores quos in brevi sua allegatione prosequitur. Instant quoque Canonici Valtieri, ut edita contra eos, quoad secundum Dubium resolutio retractetur.

Itaque data utrique Dubio responsio EE. VV. judicium expectat sub infrascriptis duobus Dubiis.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

In decisis, & amplius ad utrumque.

BENEVENTANA. Pro meliori Beneventani Montis regimine Emus Archiepiscopus, qua est in pauperes Apostolica charitate incensus regulas edidit viginti duobus capitibus comprehensas, & sua subscriptione firmatas, quarum exemplar EE. VV. seorsim distribuitur. Has postulat laudatissimus Antistes Apostolica auctoritate confirmari. *Sess.22. cap. 9. de Reform.*

In Epistolis hac de re ab Emo Archiepiscopo datis, vel ad Emum Praefectum, vel ad Secretarium hujus S. Congregationis refertur hunc Montem in sua origine usuras besses a pignoribus exegisse, nunc vero quincunces percipere: additur eumdem Montem fundos possidere quorum sors, & caput attollitur ad ducatos 8051 10., annui fructus ad Ducatos 220. in pecunia vero numerata habere ducatos 20118., quorum usurae si ad rationem supputarentur quinque in singula centum efferri posse putabantur ad annuos ducatos 900. E converso impensa ministrorum Montis non excedit Ducatos 301., aut 360. computata mercede ratiocinatoris pro revisione computorum restauratione capsularum pignora continentium, aliisque minutioribus partitis.

Mox vero apparuit decrescere statum activum Montis in Ducatis bismille, annuoque fructu octuaginta Ducatorum, quia cum pecunia Montis par non esset egenorum levamini, anno 1764. idem Mons censum imposuit Ducatorum bismille quibus consuluit necessitatibus pauperum ad eumdem Montem confugientium, ut graviores argentariorum usuras, quibus suffocabantur, effugerent.

Deinde obvia sese obtulit animadversio, inconsulto nimis fuisse narratum, quod ducati 20118. retento etiam

antiquò fœnore quinque in singula centum annuos gignerent Ducatos 900. . Non enim a Kalendis Januarii ad ultimam anni diem semper pecunia implicatur, sed plurimi fluunt dies hebdomadæ, & menses antequam restitutæ a primis mutuatariis pecuniæ, aliis denuo, atque aliis cum fœnore dentur = *Per li diversi pegni, e dispegni, che si fanno nel corso dell' anno non può succedere, che il capitale rimanga intieramente impiegato, e fruttifero dal principio alla fine dell' anno. Vi sono ordinariamente de mesi, ne quali molto capitale rimane senza impiego; siccome puo anche accadere, che dandosi in appresso annate fertili, ed ubertose, per cui i poveri non avessero tanto bisogno dal Monte rimarrebbe o tutto, o la maggior parte del fondo suddetto infruttifero, ed ozioso* =.

Idipsum quoque ab experientia emersit *Ho voluto* prosequitur Emus Archiepiscopus = *far formare un conto del prodotto, che è rimasto a beneficio del Monte tra lo spazio di anni 20., ed ho con evidenza rilevato, che quantunque il fondo fosse in quel tempo di circa ducati 17. mil., ed impiegato tutto coll' usura alla ragione del 5. per 100., secondo lo stabilimento del fondatore; pur tuttavolta non ha il Monte fatto altro vantaggio, che di un tre quarti per cento libero ed esente da pesi. Non debbo però tacere, che tra questo spazio di tempo vi sono stati non pochi rilasci fatti da miei Antecessori a poveri, e Nobili ancora di questa Città del pari, che sul principio del mio governo feci anche io*.

Præ oculis duo retinenda esse animadvertit Emus Antistes unum in facto, alterum in jure. In facto quod San. Me. Bened. XIII. tunc Archiepiscopus Beneventanus hujusce Montis fundator, seu restaurator in votis habuisse videtur, ut sors, & caput Montis pertingeret ad Ducatos 40. mil. = *Il Fondatore stabilì, che gli annui frutti avanzati &c. rimanessero in ogni anno impiegati in aumento, e stabilimento maggiore del Monte medesimo. In una notificazione Sinodale del 1723., sembra che avesse desiderato questo fondo per ducati 40. mil.*. Addit ab experientia didicisse quantitatem ducatorum 20. mil. imparem esse sublevandis pouperum ad Montem recurrentium necessitatibus, quibus, ut provideretur, oportuit anno 1764. æs alienum ducatorum bismille, de quibus supra contrahere = *La sperienza ha fatto constare, che il Capitale di Ducati 20. mil., che ora tiene il Monte impiegato sopra pegni, non è sufficiente a supplire al bisogno de Poveri* =.

In jure verò ultro permitti quod ex pignoribus usuræ exigantur manutentionem Ministrorum, & Montis superantes si eæ in necessariam Montis dotem convertantur, ut ita Mons ipse ditior effectus, absque ulla prorsus usura tandem aliquando mutuare egenis pecuniam possit. *Concina Theolog. XII. Tom. 7. de mutuo, & usura Cap. 20. §. 5. Contingere potest quod ipsi Montes interdum egestate laborent, & necessitate succurrendi pauperibus premantur, & tunc Montes loco pauperum haberi possent atque ipsis tamquam eleemosyna applicari potest, quod superest. Hoc siquidem concessisse Monti Borgomensi Sixtus V., & Monti Ferrariensi Clemens* X. *perhibetur* = Verba litterarum Apostolicarum a Sixto V. Monti Borgomensi datarum; & quas per extensum refert *Ballerinus de usuris Tom. 2. append. fol.* 256. hæc ad rem sunt = *Ac insuper præfatis Officialibus, & pro majori ipsius Montis stabilimento faciliorique expensarum, & onerum supportatione a personis dd. pecunias mutuo accipientibus ad rationem trium pro quolibet centenario, & anno exigere, & recipere, atque in ex[illegible], & onerum hujusmodi solutionem, atque sup[illegible] convertere, & si quid illis solutis, & supporta[illegible] superfuerit in Capitale ejusdem Montis accumulare libere [illegible] valeant* = Similia occurrunt in Brevi Clem. X. pro Monte Ferrariensi, qui cum dotem in sua fundatione non haberet, æs alienum contraxit. Permisit autem Pontifex, ut exigerentur super pignoribus scuta sex in singula centum, quorum quatuor essent pro usura æris alieni, reliqua duo pro Ministrorum impensa; addit etiam quod ante dd. quatuor pro centenario exigi possint *donec, & quousque prædicta octingenta loca* (hoc erat æs alienum pro constituenda dote contractum] *extincta fuerint*, ut ex Brevi *per antedictum auctorem relato pag.* 260.

Alias rogata S. hæc Congregatio quoad observationem Constitutionum Montis Pietatis Lugi a cl. mem. Cardinalibus Donghio, & del Verme approbatarum, quibus inter cætera jubebatur, ut reditus ex fœnore pignorum consurgentes [illegible] & Montis Ministrorumque manutentioni redundantes in eleemosynam erga pauperes erogarentur, lege [illegible]logavit edito responso *affirmative quoad eleemosinas faciendas ex usuris* ut videre est *in Imolen. Præcepti* 20. *Decembris* 1704. cujus resolutio laudata fuit in examine reservatorum ejusdem causæ *die* 14. *Martii, & die* 28. *dicti mensis anni* 1705.

Infert ex his Eminentissimus Archiepiscopus laudandum esse ejus consilium in nova ulteriorique imperanda usurarum di-

diminutione a quincuncibus ad trientes usuras donec ea effet, quam diximus, Montis opulentia ita ut plenius pauperum levamini consuli posset. Hoc itaque sibi proposito fine statuisse = *minorare l'usura del Monte dal cinque al quattro per cento affinchè li poveri comincino d'ora innanzi a risentire qualchè vantaggio che maggiore possano sperare in appresso qualora sarà giunto il Monte ad avere quel fondo che soddisfi il publico bisogno, e la volontà del pio institutore* =.

Non defuit qui emeritissimum Antistitem requireret fieri ne posset, ut fœnerandæ sub pignore pecuniæ vis in duas quodammodo partes divideretur, quarum altera in minusculis indigentium personarum pignoribus ad summam usque trium, vel quatuor ducatorum omnino gratis impenderetur, pars vero altera antiqua retenta usura mutua daretur. Duabus de causis id fieri non posse respondit Laudatissimus Archiepiscopus: Et primo quidem quia = *data la libertà ai bisognosi di fare li piccioli pegni senza veruno interesse restarebbe in pochi mesi impiegato tutto il sudetto Capitale, e perciò sopravenendo degli altri dovrebbero rimandarsi con tumulto sconsolati*. Secundo vero quia *ne seguirebbe che dovendo necessariamente aumentarsi il numero dei Ministri per tener conto di tanti ed infiniti piccoli pegni gratis verrebbe coll'andar del tempo il Monte a minorare nella propria dote*.

Et illud animadversione dignum putat Eminentissimus Archiepiscopus, quod præ natura loci cui vel nulli, vel graviorem usuram requirentes circumstant Montes Pietatis, Beneventanus Mons nedum suis Diæcesanis pauperibus, sed & iis simul, & divitibus, & aliis extra diæcesanis cogitur pecuniam mutuare, ideoque paucarum fere horarum spatium integra dos absumeretur quatenus, vel cum nullo, vel cum tenui fænore traderetur. Observandum an hæc necessitas sive intrinseca coactio Beneventani Montis quidpiam commune habeat cum ea necessitate, & coactione quam alias S. Congregatio de Propaganda Fide Legitimam præbere causam censuit cur ex mutuo aliquid lucri ratione hujus coactionis ultra lucri cessantis damnique emergentis, custodiæque pignorum titulos percipi posset. Incidit in S. dicta Congregatione quæstio, quoad Sinensis imperii subditos, qui Judicis auctoritate ad mutuandam sub fænore pæcuniam cogebantur. Quærebatur porro an ii baptizari possent, vel quid in illis circumstantiis agendum esset. En S. Congregationis Decretum præeunte voto qualificatorum S. Officii

edi

editum 12. Septembris 1645, & a S. M. Innocentio X. approbatum = *Censuerunt Chienses in statu usurario permanentes baptizari non posse: Si vero Judicis auctoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas posse aliquid accipere etiam recepto pignore ultra sortem principalem tum ratione oneris quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, & damni emergentis &c.* Late *Pignatell. consult. can. Tom. 5. cons. 45. per totam, & Ferraris verbo usura in appendic.*

Pertinent hæc ad XVI. regulam ex iis quæ expendendæ proponuntur. Cæteræ Levissimam præseferunt indaginem. Erunt itaque partes EE. VV. iis assueta maturitate sapientiaque consideratis decernere.

An, & quommodo Constitutiones Montis sint approbandæ in casu &c.

Quoad usuras ad rationem quatuor prò Centenario Negativè. In reliquis videatur particulariter.

ASTEN. . Proposita fuit hæc causa in Congregatione diei 9. Julii elapsi anni cujus folium EE. VV. resumere dignabuntur. Rescripsit ea die hic Amplissimus Ordo *Dilata, & ad Eminentissimum Gerdil pro voto auditis.* edidit votum suum laudatus Emus Dominus, & illud quidem peregregium, & accuratissimum. A Capitulo Cathedralis Ecclesiæ impressum distribuitur EE. VV. Eo itaque perpenso resumptaque allegatione ejusdem Capituli in antedicta Congregatione distributa partes erunt EE. VV. sapienter de more decernere. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Eminentissimi Relatoris facto verbo cum Sanctissimo.

ALEXANDRINA DISPENSATIONIS. Quatuor canonicatus, seu potius beneficia instituit in sua ecclesia S. Georgei Castri Cerioli Præpositus Carolus Augustinus Ferrari; jussitque illorum possessores ad quinque Missarum Celebrationem qualibet in hebdomada per seipsos teneri, casu excepto infirmitatis, alteriusque legitimi impedimenti. *Sess. 22. cap. 5. de Reform.*

Cum vero digressus est ad illorum patronatum activum, & passivum designandum, contulit patronatum activum Cano-

nonicatus sub titulo S. Josephi, quem circa quæstio præsens versatur, in Marchionem Carolum Ranutium Guasco, ejusque filios, & descendentes Masculos, iisque deficientibus, in Comitem Joannem Guasco, ejusque pariter filios, & descendentes masculos.

Passivi autem patronatus quatuor Sedes constituit his verbis = *qui in casu Vacationis d. Canonicatus sub titulo S. Josephi teneantur omnino nominare, & præsentare ad d. Canonicatum Clericum, seu Sacerdotem ex descendentia d. D. Hyppoliti Dominici Bulla, si aderit, sin minus clericum seu sacerdotem dd. Joannis Antonii, & Pauli de Ferrariis, ubi tamen, & quatenus filii, & descendentes utriusque familiæ prædictæ non possideant aliquem ex canonicatibus prædd. a d. D. Fundatore institutis, & fundatis, qui si de eis provisi sint, tunc & eo in casu voluit, & vult, quod d. D. Marchio Carolus Ranutius, ejusque filii, & descendentes, & in ejus defectum, ut supra, d. D. Comes, & ejus filiis & descendentes, ut supra, teneantur nominare, & præsentare ad canonicatum prædict. aliquem Sacerdotem de dicto loco Castri Cerioli, si aderit, sin minus aliquem Clericum de eodem loco Castri Cerioli, qui habeat, & habere debeat ætatem annorum quatuordecim; & si non aderit nec Sacerdos, nec Clericus de dicto loco, qui possit nominari, & præsentari ad dict. Canonicatum, tunc, & eo in casu, ubi reperiatur aliquis Sacerdos, vel Clericus in Vicariatu dicti loci Castri Cerioli, quod primo loco talis Sacerdos præsentari debeat, & eo non existente, clericus de d. Vicariatu ætatis prædictæ* =

Vacato sub annum 1784. per obitum Sacerdotis Joannis Mariæ Ferrari præfato S. Josephi Canonicatu, patroni, scilicet Comes Antonius, & Marchio Carolus Guasco die 17. Maii ejusdem anni præsentarunt, sub conditione dispensationis a S. Sede obtinendæ Jacobum Philippum Bulla, laicum ætatis annum 42. agentem, qui ab Hyppolito Dominico Bulla descendens in prima passivi patronatus Sede a fundatore fuerat prædilectus. In casu autem non obtentæ dispensationis facultatem præsentandi alium idoneum sibi præservarunt.

Sed cum Jacobus Philippus præsentationi renunciaverit sub conditione pensionis scut. 50. attenta illius paupertate de S. Sedis benignitate consequendæ. Statim ad præsentationem Sacerdotis Josephi Antonii Torriani loci Castri Cerioli iidem patroni devenerunt, illeque pensionis præstandæ obligationi libenter assentitus est.

... verat, inutiliter tamen, adolescens in undecimo ætatis anno tunc constitutus Jo. Antonius Ferrari, ut, cum

ipse

ipse in secunda vocationis sede a fundatore descriptus fuisset, ita a patronis sub spe dispensationis ætatis præsentaretur. Summum itaque Pontificem adivit tempore opportuno, & de Canonicatu provideri cum ætatis dispensatione, postquam clericali tonsura insignitus fuerit, de more supplicavit. Suam quoque Sacerdos Torriani supplicationem intra quadrimestrem porrexit. Sed ab Eminentissimo D.Cardinali Pro-Datario utraque ad hanc Sacram Congregationem supplicatione ablegata interrogatus fuit Episcopus, qui diffuse rescribens, veluti in illius informatione, quæ circumfertur, sic de Jo. Antonio Ferrari concludit = *Hæ sunt potissimæ animadversiones Oratoris, quibus addam ego, quod ubi, & quatenus EE. VV. censeant, concedendam esse dispensationem ab eo petitam, ipsique adjudicandum vacantem Canonicatum cum onere annuæ præstationis titulo alimentorum favore D. Jacobi Philippi Bolla, utpote pauperis, eandem, ut existimo, non debere excedere scuta sexdecim monetæ Romanæ, quot nempe supersunt ex depurato oneribus reditu ultra quadraginta ejusdem monetæ scuta, quæ exæquant taxam pro titulo ordinationis in hac mea Diæcesi ad tramites sæpedictæ instructionis præstitutam* =

Prædilectionem, nominationemque Fundatoris sibi favere, inquit adolescens Jo. Antonius Ferrari. Cum etenim ex fundationis lege, quatenus nec Clericus, nec Sacerdos adsit ab Hypolito Dominico Bulla descendens, jubeantur patroni præsentare Clericum seu Sacerdotem discendentem a Joanne Antonio, & Paulo Ferrari, sequitur, ipsum veluti dubio procul descendentem ab iis, nominatum a fundatore fuisse, nec patronorum votis indigere. Nam eo res punctim venit, ut in descendentia Hypoliti Dominici Bulla desit Clericus, desitque Sacerdos.

Ita sanè; etsi Jacobus Philippus Bulla ab Hyppolito Dominico descendens adsit, qui patronorum nominationem assecutus fuit. Namque is & laicus est quadragenarius & ultra, omnisque ferè expers litteraturæ, & sui denique conscius de promotione ad Sacerdotium desperans, quam fundator voluit, nominationem renunciavit. Unum porrò, idemque est, quemquam non adesse ex genere vocato, & adesse, sed vocatione uti, fruique abnuere *Piton. controv. patron. alleg.* 100. *num.* 716

Quoties propterea Jo. Antonius est hodiè unicus in secunda fundationis sede passivè vocatus, toties illius favore dispensatio ætatis facilius indulgetur, & præsertim cum fundatori sit sanguine conjunctus, quippe qui descendit a Joanne Antonio Ferrari, quem in eodem fundationis In-

Instrumento consanguineum suum , fundator ipse nuncupavit : *Corrad. prax. dispensat. lib.* 4. *cap.* 3. *num*, 8. *Vivian. de Jurepatr. lib. 6. cap. 6. num.* 9. *Piton. discept. Eccles.* 13. *num*.42.

Quin rem mutet , Ferrarius prosequitur , supplicatio alia Sacerdotis Josephi Torriani . Quandoquidem non ille satis habet , dum se præsbyterum præstat , ac patronorum profert præsentationem . Nam eo caret , quod est potissimum : scilicet prælativa fundatoris vocatione . Num patronis licuit legem præterire in fundatione præscriptam ? At præteriverunt ; Cum Ferrarium omiserint in secunda sede vocatum , & Torrianum præsentarint ,cui sedes tertia a Fundatore adscripta fuerat . Inefficax itaque præsentatio fuit .

Verum tamen illius inefficaciam in ipsam hominum lucem consurgere , addit;si oculis subiiciatur fidelibus conditio, qua sub , sivè Sacerdotes , sive Clerici Castri Cerioli ad Canonicatum vocantur . Conditio hæc est , ut patroni tunc præsentent Sacerdotem , sin minus Clericum Castri Cerioli , cum in Canonicatus vacatione comperiatur , descendentes familiæ Ferrari altero ex Canonicatibus a fundatore institutis potiri . Hæc Instrumenti verba sunt= *Qui* (scilicet descendentes) *si de eis provisi sint , tunc* & *eo in casu voluit* , & *vult , quod d. D. Marchio Carolus Ranutius* &c. *teneantur nominare* , & *præsentare ad Canonicatum præd. aliquem Sacerdotem de dicto loco Castri Cerioli* &c.Statim ac autem vacationis tempore nemo de familia Ferrari Canonicatum ullum obtinebat , jam patet , conditionis casum minimè factum fuisse . *Rot. decis.* 59. *num.* 11. *tit. de fideicom. cor. Falconer.*

Hinc ; perperàm reponi , concludit ideò fuisse Sacerdotem Torriani a patronis præsentatum , quod nullus ex Familia Ferrari Clericus adesset . Ubi enim in fundationis instrumento legitur , in conditione positam fuisse non existentiam Clericorum familiæ Ferrari ? Nullibi æquidem . Fundator porrò Præsbyteros Castri Cerioli invitavit in solo , & uno casu , quo Ferrarii alterum ex Canonicatibus suis possedissent. Hic unicus est casus , quem in conditione sub taxativis verbis = *tunc* & *eo in casu* = ipse posuit . Sed casum alium non existentiæ Clerici vacationis tempore non consideravit , minusque in conditione posuit . Cum propterea deficientiam Clerici Ferrari Torrianus dixit , nihil dixisse videtur .

Sin vero ; quæ in fundatione non legitur , supponi velit conditio non existentiæ clerici , non ideo sua jura decrescere protuetur .Nam sicuti vocationis sedem semper obtinet

tinet Ferrarius anteriorem; Nequit propterea, qui posteriorem, ac subsidiariam sedem habet, impedire, quia primus vocatus, & dilectior, sive intra terminum quadrimestris clericali tonsura initietur, sive eumdem intra terminum Apostolicam ætatis dispensationem consequatur, veluti cæteris omissis egregiè *Piton. controv. patron. alleg.* 1. *num.* 23. *& in discept. Eccles.* 13. *num.* 41., & *seqq. Rot. in Tridentina Capellaniæ* 5. *Aprilis* 1715. *§. fin. cor. Cerro*, *& in Montis Alti beneficii* 5. *Julii* 1765. *§.* 9. *cor. Herreros*. Non attento alterius subsidiariè vocati præjudicio, quippe quod non a jure de præsenti quæsito dependet, sed a jure dumtaxat eventuali ad tradita per *Piton. controv. patron. dicta allegat.* 1. *num.* 24. & *in Parergon. ad discept. Eccles. num.* 20.

Post hæc breviter expeditur a Jacobi Philippi Bulla renunciatione cum reservatione pensionis scut. 50., illius paupertate attenta, consequendæ. Patronis enim alimenta deberi, concedit, non passivè vocatis, neque hoc sub prætextu licere jus aliorum passivè vocatorum perimere. Sin vero pauper est, cum aliorum canonicatuum potiatur jurepatronatu, utatur in iis jure suo, non in Canonicatu S. Josephi, cujus Familia Guasco, non ipse, obtinet patronatum.

Hæc Jo. Antonius Ferrari. Uti facilem se præstat in ætatis dispensationibus concedendis Dataria Apostolica, justitiæ & æquitatis sectatrix, quoties de passivè vocatis res est; ita Sacra hæc Congregatio dispensationes hujusmodi favore vocatorum frequenter indulsit, & si ætatem nondum septemnem agerent, nullatenus oppositione attenta, minusque eventuali præjudicio alterius, quamquam Clerici, sive Sacerdotis, in Jurispatronatus passivi ulteriori sede subsidiarie vocati, sive substituti; quemadmodum habemus ex plenè collectis *in Monaster.*, & *Osnabrug. Canonicatuum anni* 1753. *in Thesaur. resolut. tom.* 22. *pag.* 33. & pleniori calamo, in graviori casu volitæ a fundatione qualitatis Sacerdotalis, reassumptis *in Cremonen. Dispensationis* 2. *Decembris* 1755. *in d. Thesaur. tom.* 44. *pag.* 18. *in Urbevetana* 27. *Novembris* 1784. *in Thesaur. Resol. tom.* 53. *pag.* 237., & *in Civitatis Castelli* 21. *Januarii hujus anni*.

Placeat EE. VV. definire.

An, & quæ supplicatio sit signanda in casu &c.

Signandam esse Supplicationem favore Joannis Antonii Ferrari.

Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.

URBINATEN. DISSOLUTIONIS SPONSALIUM.

Mense Junii anni 1783. nobilis Virgo Marianna Borgongelli Urbinatensis apocham Sponsalium subscripsit cum Pio Mazzanti Feretrano suadente, & impellente Laurentio Borgongelli sponsæ fratre cujus incompositos mores atque indirecta ea in re consilia late exponit R̃mus Urbinatensis Antistes in Epistola ad Sac. Congregationem data. Paucos post dies pœnituit sponsam inconsultæ subscriptionis, utque importunas evaderet fratris suasiones & minas, intra alicujus Monasterii septa recipi exoptavit; quo ex loco tum pluribus tum ipsi Pio Mazzanti alienum ab ineundo illo conjugio animum patefecit. Adiit Pius Mazzanti Sac. hanc Congregationem die 16. Augusti dicti Anni, & datis confestim litteris ad Urbinatensem Archiepiscopum, retulit hic die 15. Decembris ejusdem anni tum constans mulieris propositum numquam cum tali viro contrahendi nuptias, tum alterius fratris honestissimi viri consanguineorumque dissensum, tum plures fallacias quibus incautæ virgini ebreptum fuit, tum denique caussas aperuit cur Marianna e sponsalibus resiliret, ob generis scilicet disparitatem, & imparem omnino sponsi censum qui ad sc. 1000. Urbinatensia quoad caput, & sortem efferebatur quorum fructus in quinque erant personas dispertiendi.

Petiit die 24. Aprilis anni 1784 Marianna, ut quoniam Sac. Congregatio satis ab Urbinatensis Antistitis informatione rei statum didicerat, eam a Sponsalium nexu liberam declararet. Tunc jussum fuit ut causa in folio describeretur præfixo Pio Mazzanti termino ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione, prout revera præfixus ab Archiepiscopo fuit. Sed interim Pius Mazzanti in Curia Archiepiscopali petierat ut nonnullarum epistolarum ad se a Marianna datarum caracter recognosceretur, testesque nonnulli per eum inducti formali examini subiicerentur. Renuit Marianna in judiciali comparitione diei 30. Maii 1784. assertum suum caracterem recognoscere tamquam rem omnino inutilem, & vicissim destitit Pius Mazzanti ab urgenda recognitione vel per rei veritatem vel per judicis decretum quo manus pro recognita pronunciaretur; nec sollicitior fuit in postulato testium examine.

Rumor increbuerat non alio consilio causam a Pio Mazzanti ampliari, quam ut virgo jam ætate grandæva de aliis nuptiis desperaret. Hinc illa die 3. Augusti elapsi anni coram S.C. institit ut terminus Pio Mazzanti præfigere-

retur ad transportandum acta facta in Urbinatensi Curia, quo non impleto juberetur ad ulteriora progressus sine actis, decretumque meruit instantiae conforme cum praefixione termini 20. dierum. Die 21. Septembris dicti anni Pius Mazzanti comparuit coram Sac. Congregatione ut ejus voluntatem audiret super transportatione actorum in Curia Archiepiscopali Urbini factorum, & pandita Sac. Congregationis voluntas fuit per decretum quo praefixus illi fuit novus terminus 20. dierum ad transportanda acta; Sed neque tunc experrexit Mazzanti; Statuta itaque fuit per decretum in correspectiva citatione editum ad instantiam Mariannae Borgongelii hodierna dies pro faciendo jurium suorum experimento.

Inspecto jure civili adeo enervis erat sponsalium obbligatio ut ab iis discedere impune permiserint *Imperatores Diocletianus*, & *Maximianus in leg.* 1. *Cod. de sponsalib.*; solumque quidquid arrharum nomine ea occasione datum erat vel amitti, vel duplum aut etiam quadruplum uti pactum fuisset, restitui jusserunt *Imperatores Leo*, & *Anthemius in leg.* 5. *Cod. eodem*. Sed jure canonum attento valida ex illis oritur actio qua pars invita atque reluctans implere cogitur quod promisit *cap.* 1. 2., & 9. *de Sponsalib.* sunt tamen legitimae causae ex quorum concursu licitum est a Sponsalibus praesertim juramento haud firmatis resilire *ad text. in Cap. quemadmodum de jurejur.*, *Cap. Acquisivit de Sponsal.*, & *Sac. haec Congregatio in Senogallien. Sponsalium* 1. *Septembris* 1714. *lib.* 74. *Decr.* & *in Mediolanen. Sponsalium* 13. *Julii* 1725.

Sunt autem hae causae *consanguineorum dissensus* ut in casu Aloysii Bongongelli qui est Pater familias Domus, & Sponsae frater *Rota in Recent. part.* 10. *decis.* 19 *n.* 45., & 54., & *part.* 14. *decis.* 249. *num.* 13., & *coram Molines decis.* 979. *num.* 3.; Generis quoque *disparitas*, & *tenuis* arctusque adeò Sponsi *census* ut omnino impar sit ad Sponsam exhibendam quod de Pio Mazzanti adamussim praedicari refert Urbinatensis Archiepiscopus *Sanchez de Matrim. disput.* 14. *num.* 3. *Caesar de Grassis decis.* 2. *n.* 5. *tit. de Sponsal. Rota in recen. part.* 10. *decis.* 19. *n.* 5., & *cor. Molines decis.* 979. *num.* 2.; *Seductionis Deceptionisque* suspicio quae a circumstantiis Loci, personarum, gestaeque rei serie eruatur, ut hic arguere licet ex neglectu fratris patrisfamilias, ex traductione mulieris ad ruralem domum, ex conspiratione cum immorigero Sponsae fratre spe illecto alterius pro se divitis conjugii, ex insueta in antenuptiali apocha cessione a Sponsa facta

partis hæreditariæ sibi competentis, & jam sibi ut falso enunciatum fuit assignatæ. Regula autem est legitimas disrumpendorum Sponsalium causas a prudenti judicis arbitrio pendere *Canonistæ in cap. de litteris, & Cap. Requisivit de Sponsal. Sanchez. de Matrim.. disput.* 29. *n.* 16. *Rota cor. Burat. decis.* 311. *num.*2., & *in Recent. part.* 10. *dec.* 19. *n.*7.

Quod si legitimarum concursus causarum sponsum eximit ab implenda sponsalium fide ita ut nullis propterea compelli Canonicis pœnis, & censuris possit idipsum æquo jure præstandum erga se Marianna Borgongelli postulat nullasque præmittendas esse monitiones quæ cum de muliere agitur, sunt censurarum vice subrogatæ ut conciliando responsa *cap. ex Litteris*, & *cap. Requisivit*, plene tradidit *Rota in Majoricen. Sponsalium* 25. *Aprilis* 1746. §. 10., & 16. *Januarii* 1747. §. 6. *coram clar. mem. Card. Molino*; Tantoque securius quia plusquam semel etiam tunc cum jussu Archiepiscopi explorata ejus sensa fuerunt, aversum adeo ab hujusmodi conjugio pandidit animum ut potius intra Monasterii claustra vitam finire parata esset, quam tali viro jungi, quod etiam considerat *Rota cor. Ansald. decis.* 515. *num.* 26

Prætereundum non est quod in postremis suis litteris ad S.C. datis significavit Urbinatensis Antistes, in quibus referens legem sibi injunctam transmittendi Acta soluta per Mazzanti mercede Cancellario debita. Mox prosequitur=*Acta in hoc tabulario quieverunt, & quiescunt adhuc ex contumacia pensitationis competentis mercedis tabulario a Pio Mazzanti instante subeundæ. Peractæ interim fuerunt testium repetitiones in forma, ex quibus cum Pius Mazzanti nihil profecisse cognoverit vexare interea non erubescit, instando deveniendum nunc esse ad examen singularis testimonii jam inducti sed ex illius affectata culpa prætermissi sic irridendo Mariannam Borgongelli quæ per biennium, & ultra tædio affecta instat exorare EE. VV. a subterfugiis Mazzanti eam vindicare. Eo fortius quia Pius alias inire nuptias quamvis infructuose tentaverit.*

Dubium est.

An sit locus exequutioni seu potius recessui a sponsalibus in casu &c.

Negativè ad primam partem. Affirmativè ad secundam.

BRU-

BRUGNATEN. IRREGULARITATIS. Cum dimissi a Schola vespertina diei 23. Decembris anni 1781, luderent solutis animis pueri in Cæmeterio paræciæ Vallis Zerii, rixa, ut sæpè solet, enata est inter clericum Marcum Boleri annorum 14., & Josephum Gulielmi Loci Sueri annorum 13.; Consertisque statim manibus, Clericus Josephum prostravit, eique superfuit. Sed ubi adversarii vim is denique evasit, breviorem cultrum, quo Scholares utuntur, distrinxit, clericumque iterum aggredientem in Coxa vulneravit; Cumque ab ictu Cruralis arteria intercisa, sive lacerata admodum fuerit, ex nimia Cruoris profusione, quam, nemine artis remedia præstante, vulneratus passus est, modicas post horas occubuit. *Sess. 14. cap. 7., & Sess. 24. cap. 6. de Reform.*

Exoptans modo præfatus Joseph ad clericalem militiam institui, humiles porrexit preces, ut ab incursa irregularilate dispensationem consequatur. Requisitus Brugnati Episcopus, confirmat facti seriem in precibus expositam, & refert, Oratorem, cum nemo comparuisset accusator, neque inquisitum, neque processatum in sua Curia Ecclesiastica fuisse. Ex fide verum Notarii Criminalis Pontremuli sibi constitisse quod etsi laicalis Curia processerit, nullam tamen pænam eidem decrevit; quodque Orator per eadem Acta pacem liberè obtinuit ab ipso interempti Clerici parente.

Votum denique ita aperit suum = *Ex quibus omnibus cum satis mihi constet, adnexas preces, quas remitto, esse veritati consonas, & prædictum Clericidium haud suadente diabulo fuisse perpetratum, habeatque orator ipse bonum testimonium a dicto Parocho suo, etiam Scholæ magistro, de probitate Vitæ, non levi progressu in litteris, & præcipuè de Sacramentorum frequentia, assiduo Ecclesiæ servitio, & constanti propensione erga statum Ecelesiasticum, hinc aperiendo sensum meum, prout mihi ab EE. VV. de, mandatum fuit, asserere non ambigo, prædictum Scholarem Josephum Gulielmi dignum esse gratia, quam a SSmo Domino Nostro suppliciter postulavit* =

Homicidium neque voluntarium fuisse, neque per insidias, per industriam, aut ex proposito a se admissum, Orator defendit. Cum etenim aliis Coniunctus pueris Scholaribus luderet, hoc est rei licitæ operam daret, casus rixam puerilem obtulit, qui prævideri non potuit, & ex rixa homicidium subsecutum est. Nunquam vero voluntarium licet renunciare, quod ex accidenti evenisse constat, ac præter propositam operantis intentionem,

ex doctrina *divi Thom. 2. secundæ quæst. 64. art. 8.* Sin autem homicidium fuit casuale, jam in re præsenti certius debet obtinere secunda pars conciliaris dispositionis *in cap. 7. Sess. 14. de Reform.*

Utque præterea alienum omnino ab occidendo puerile consilium magis comprobet suum offert animadvertendam in primis brevioris cultri qualitatem, tum vulneris locum. Utique, ait, qualitas illius ad occidendum inepta admodum videtur; minusque apta, ubi Coxæ vulnus infligitur, quæ pinguedine abundat; Veluti post *Codronchium Imolen.* observat *Zacch. quæst. Medic. legal. lib. 5. tit. 2. quæst. 2. num. 14., & Calderò decis. 11. n. 6. part. 1.*

Quid, quod, etsi dubium esset, an homicidium in Classe Casualium recensendum sit, certè quidem pro tutamine vitæ vim vi repellendo admissum fuisse defendit. Cum enim Clericus in Josephum iterum irrupisset, debuit hic, quod natura docet, vitæ suæ periculum pavere, si ab adversario spoliaretur Cultro, eodemque confoderetur. Quare alterius expers Consilii ad colluctantem sauciandum veluti compulsum se fuisse affirmat. Et hic casus alter est, quem expendit, & excipit Tridentinum Concilium in secunda parte dicti *cap. 7. Sess. 14.*

Ad hæc, quæ orator profert, in primis est observandum, duplicem homicidii voluntarii speciem constitui, nempe aliam homicidii voluntarii directè, & aliam homicidii voluntarii in Causa, seu indirectè, quemadmodum distinguit *Vanespen. in jus Eccles. part. 2. tit. 10. cap. 7. n. 14.*. Quamquam autem, si placeat, a prima specie præsens distet casus, non obstante, quod ipsa Cultri districtio natura sua ad vulnerandum dirigatur, tamen facile posset in secunda specie comprehendi. Quia cum orator cultrum distrinxerit, steteritque contra adversarium, causam posuisse videtur ad homicidium perpetrandum. Ea vero Cultri districtio omittenda erat. Non enim contra inermem uti Cultro ad repulsionem, defensionemque licebat. Plenè *div. Thom. 2. secundæ dicta quæst. 64. art. 7. num. 50.* Usus propterea actus illiciti non nihil conprobat, homicidium, quod inde evenit, fuisse voluntarium saltem indirectè, sive in Causa ex auctoritate ejusdem *S. Doctoris loco citato art. 8. num. 30.*

Quæ perbelle exposuisse visus est laudatus *Vanespen. loco pariter citato num. 18.* ubi = *Ex eodem principio judicandum erit de Variis Casibus, de quibus a Canonistis, ac theologis quæritur, an homicidium, ex actione aliqua sequutum, sit voluntarium in causa, inducatque irregulari-*

ta-

tatem. Expendendum enim erit, an actio, sive ex se fuerit licita, sive illicita, in hisce circumstantiis fuerit omittenda ob periculum homicidii; adeout qui in talibus circumstantiis actionem illam ob hoc periculum non omittit, censeatur indirectè velle ipsum homicidium, quod ex sua actione sequuturum prævidebat, aut prævidere debebat =

Deinde observandum est, homicidii casualitatem non esse a rixa minimè prævisa, & per accidens enata, repetendam. Quia subsecutus est actus magis homicidio proximus, videlicet Cultri districtio. Hinc si actus eujusmodi fuit de sui natura ad homicidium ordinatus, quis indicabit, casu dumtaxat subsequutum fuisse ab ejusdem ictu Cultri homicidium? Nam Cultri ordinatio ad vulnera est, & vulnera ad necem inferendam ordinantur; veluti in proximis terminis ratiocinatur *Fagnan. in Cap. ad audientiam n.*57. 58., & 61. *lib*.5. *decret.*

Ex quibus patet, inutiliter proponi, seu necessariæ defensionis excusationem, seu Cultri brevitatem, seu vulneratæ partis pinguedinem. Porrò nunquam esse potuit necessaria cum Cultro defensio contra rixantem inermem. Quia ut actus sit licitus, fini proportionetur oportet; veluti opportunè docuit *S. Tom*.2. *quæst*. 64. *art*. 7. ubi concludens, inquit = *potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum* = Præterea necessitas esse debet extrema; quemadmodum probant Pontificis verba in *Clementina unica de homicid.* ubi = *De illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, aut mutilat aggressorem* = eamque constitutionem explicans *Pignatell. consult.* 20. *num*.6. *tom*.7. inquit = *debet igitur esse ad necessariam sui defensionem: videlicet, cum quis neque clamando, neque fugiendo, neque alio modo mortem evitare potest* =

Neque inquirere modo est cum de Cultri brevitate, tum de coxæ pinquedine. Si namque ex ictu Cultri arteria lacerationem passa fuit, & vulneratus post horas interiit, jam ex eo vulnere sequutum fuisse homicidium, in comperto est, ad tradita in terminis per *Gramatic. vot.* 24. *num*.10. *Calderò d. decis*.11. *num*.4. *Zacchias quæst. med. leg. lib*.5. *tit*.2. *quæst*.2. *num*.2. neminemque latet, lethalia esse arteriæ vulnera *Heister. Instit. chirurgic. part*.1. *lib* 1. *cap*.1. §.8., & 22.

Quæ vero, si de viro res esset, observationes urgerent, admodum emolliri in puero annorum 13. videntur. In pue-

pueritia siquidem, quæ infantiæ pars altera est ad tradita per *Cujac in leg. 2. in princip. ff. de excus. Rot. in recen. decis.* 194. *num.*2. *part* 2., rationis, & intellectus perfectio deficit. Itaut corporis quidem functiones, non tamen animi explicare possint. Et quamquam rationis magis particeps sit pubertati proximus, quam infantiæ, tamen simpliciter loquendo, uterque, consilium fragile habet; prout iisdem ferè verbis ex auctoritate Aristotel. Hippocr. Galen., & aliorum docuit *Zacchias quæst. Medic. leg. lib.*1. *tit.*1. *quæst.*4. *num.* 14. *ad* 24.

Insignis est locus in *decretal. cap.*1. *de delict. puer.* ubi Gregorius hujusmodi ætatis infirmitate cognita, sic habet = *Quis vero audeat affirmare, furta, mendacia, & periuria non esse peccata? At his plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in majoribus punienda videantur* = Et Alexander tertius puerum a pœna immunem esse decrevit, qui cum aliis Sagittans, alterum puerum interemerat; ut *in cap.*2. *eod. titulo*, ibi = *Mandamus, quatenus si constiterit, filium prædicti H. infra decimum quartum ætatis suæ annum eundem excessum commisisse, memoratum Abbatem moneas, & compellas, ut ab eodem H. prædictos centum solidos propter illam consuetudinem non exigat, nec ab ipso pro temporali pœna requirat* = quibus accedere visus est Clemens V. dum ab incursu irregularitatis infantes excepit in dicta *Clementina unica de homicid.*

Observandum denique erit, tum quod Episcopus refert, Curiam laicam Pontremuli post processum non devenisse ad condemnationem, num vero Orator absolutus fuerit, non dicit; tum quod præter dispensationem indiget Orator absolutione a censuris, quam in foro tantum conscientiæ a Saç. Pænitentiariæ tribunali obtinuisse, ipse Episcopus renunciat.

Dignentur itaque EE. VV. Sententiam dicere de dubio, quod proponitur.

An, & quomodo sit locus dispensationi in casu &c.

Non proposita.

Die Sabbathi 6. Maii 1786. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

UNica superfuit ex ultima Congregatione Causa, quæ primo loco describitur. Sequuntur ex ordine reliquæ.

BRUGNATEN. IRREGULARITATIS.
An, & quommodo sit locus dispensationi in casu &c.

Sess. 14. cap. 7., & Sess. 24. cap. 6. de Reform.

Constito de satisfactione Fisci, affirmativè pro gratia Absolutionis, & Dispensationis facto verbo cum Sanctissimo.

ROMANA DELETIONIS ONERIS. Titulo Legati Ascanius Bolognini anno 1647. reliquit Archiconfraternitati B. M. V. de Monte Carmelo erectæ in Ecclesia S. Chrisogoni Urbis scut. 250. cum onere celebrationis unius Sacri in singulas hebdomadas, & unius Anniversarii in Octava Commemorationis Omnium Defunctorum. Sequenti anno 1648. ab Angelo Ceccarelli Camerario Archiconfraternitatis implicata ea pecunia fuit in censu cum quodam Lazzoni, fidejubente Joanne Baptista Camelio, dataque pro fundo fuit Domus certis circumscripta finibus, & prope Cœnobium posita S. Nicolai de Tolentino; Eademque occasione idem Camerarius in Instrumento promisit implere onera, ut supra Legato adnexa.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Cum moras necteret debitor in solutione fructuum, egit contra eum Archiconfraternitas, uti quoque contra suum

Camerarium, sive illius hæreditatem. Sed eæ diligentiæ haud satis visæ sunt Congregationi particulari a Sa. Mem. Benedicto XIII. pro deletione, aut reductione onerum institutæ, & a Clemente XII. confirmatæ: Ea namque justam quidem, sed adhuc immaturam censuit liberationem ab Archiconfraternitate petitam ab onere hebdomadalis Sacri, & Anniversarii de quo supra, adeoque an. 1737. rescripsit quod *Missæ celebrarentur donec doctum fuerit de inexigibilitate fructuum Census in sorte scut.* 250., *& quod infra annum docendum ab ea foret de diligentiis*.

Ad hæc persequuta est Archiconfraternitas anno 1756. eum, quem sibi blandiebatur tandem adinvenisse fundi censiti possessorem. Sed rejecit actionem judex coram quo doctum fuit, Domum pro fundo Census ut supra assignatam ad PP. Carmelitas hujusce rei prorsus ignaros spectavisse, nec umquam ad censuarium debitorem pertinuisse.

Adiit ergo tandem Archiconfraternitas anno 1759. S. hanc Congregationem pro deletione oneris; sed quia Congregatio particularis manus apposuerat ut supra, hinc rescribi debuit *Supplicet SSmo*. Oblatis ergo precibus Summo Pontifici, iisque ad hanc S. Congregationem ablegatis, exquisitum fuit Emi Protectoris votum, quod anno tandem 1773. datum fuit a clar. mem. Cardinali Stuppanio secundum preces Confraternitatis. Re nihilominus per summaria precum proposita die 13. Decembris 1773. decretum fuit = *Lectum reservato Archiconfraternitati jure agendi pro sua liberatione contra quos de jure*.

Animo non despondit Archiconfraternitas; & denuo anno 1777. eamdem apud S. Congregationem renovavit instantiam, prodiitque rescriptum *ponatur in Folio*. Audito propterea hodierno Emo ejusdem Archiconfraternitatis Protectore, qui & ipse luculentissimo voto suo justam censuit Archiconfraternitatis postulationem, hæc hodie in Folio describitur.

Speciale est in acquisitione stabilium, quæ per Tutores, Curatores, hæredes gravatos &c. fiat, ut nonnisi de dolo lataque culpa teneantur juxta *Ulpianum ad edictum in L. 7. ff. de administrat. & peric. Tutor. = Competet adversus Tutores tutelæ actio si male contraxerint hoc est si prædia comparaverint non idonea per sordes, aut gratiam. Quid ergo si neque sordide, neque gratiose, sed non bonam conditionem elegerint; Recte quis dixerit solum latam negligentiam præstare eos debere.* = Et de hærede gra-

gravato *Rota cor. Lancetta decis.641. num.20. = Cum non probetur dolus, aut lata culpa nullo modo de evictione, seu ad damna, & interesse tenetur, ut in terminis tutoris, & administratoris, quibus in hac parte hæres gravatus æquiparatur; est Textus &c.* Atque in illius confirmatoria *quæ est dec.679.n.2. & 3.cor.eod.=Licet* (Tutor) *regulariter teneatur etiam de levi culpa, attamen in emptione stabilium tenetur solum si per sordes, aut gratiam, vel si lata culpa illa comparaverit.*

Neque difficilis, vel obscura est receptæ hujusce distinctionis causa. Cum enim periculosa sit emptionum materia, & prudentissimos quosque haud raro fallat; ita ut neque ea satis sit diligentia quam solertes patresfamilias in rebus adhibent suis; Asperum Prudentibus visum est secluso dolo, aut gratia administratorem plectere, quia non bene pecuniam investiverit. *Faber Jurisprud. Papin. tit.13. de tutelis illat.9. = Si tamen nec sordide, nec gratiose tutores quid fecerint, sed non bonam conditionem elegerint rectius dicatur solam negligentiam præstare illos hac parte debere.* Et bene prosequitur *dicta decis. 679. coram Lancetta num.4. = Ex ea evidenti ratione, quia in subjecta emptionum materia maxima etiam diligentia, ac sollicitudo sæpissime eluditur, ut quotidiana edocet experientia*, multosque allegat concordantes; Aliamque tradit æque obviam rationem *Rota cor. Ansaldo*, quod nimirum incredibile sit, Tutorem similemque legalem Administratorem sine ulla sui utilitate in patrimonii perniciem conspicere velle, ut *in decis.465. num 15. = Quis enim adeo fatuus, adeo malignantis naturæ posset inveniri qui dolose se gerat in ullo negotio sine propria utilitate, vel lucro, aut delectatione.*

Nisi itaque de fraude, de dolo, de lata culpa Confraternitatis doceatur, agi contra eam pro inauspicato investimento non poterit; ostendi enim ea, & probari exadverso debet cum nunquam sit præsumenda *dicta decis. cor. Lancetta §.5. = Profecto hujusmodi lata culpa tutoris nullo modo probatur, cum tamen perspicuis, & undequaque concludentibus probationibus convincenda sit =.*

At vero tantum abest, ut ea fraus, dolus, & culpa lata demonstretur, quod potius tota rei gestæ series inculpatam credulitatem bonamque fidem Archiconfraternitatis ostendant. Rem audire præstat ab Emo Protectore, qui docte, & nervose omnia perstringit = *Omnem autem impendisse sollicitudinem sodales, ut aliquo modo si fieri* po

potuisset, Census sortem & fructus exigerent, in discrimen adduci nequit. Constat enim inutiliter primo in judicium fuisse lacessitos debitorem Lazzonum, ejusque Fidejussorem Camelium; quamquam enim contra utrumque mandatum obtentum fuisset, primus tamen fugam arripiens, secundus facultatibus lapsus mandati executionem præpedierunt: Conversa dein le actione contra hæreditatem Ceccarellii Archiconfraternitatis Camerarii, qui improvido consilio desperatum investimentum ejus nomine perfecerat, conatus omnes cesserunt in irritum; quandoquidem Ceccarellii hæreditas comperta est omnino vacua, & inanis. Tandem illud etiam tentatum est, ut immissio vigore Salviani Interdicti expeteretur ad Domum, quam Censui subjugatam Impositionis Instrumentum memorabat, quamque modo possident PP. S. Juliani; sed perperam instituta est actio in eos qui docuerunt Domum ad eos demigrasse ex juribus unius ex Religosis, illud etiam convincentes prædictam Domum nullo unquam tempore ad Lazzonum spectasse, ideoque insidiose tantum, & malis artibus id ipsum fuisse in Instrumento enunciatum. Quibus ita indubie manentibus quemadmodum ex his impensi undique studii, & sollicitudinis certissimum monumentum emergit, & in tot litium anfractibus Sodales Archiconfraternitatis ære proprio sumptus subierint, nec non etiam ad cætera, quæ ex Archiconfraternitatis Instituto explentur præ ejus inopia pecunias quotidie suppeditent, delendum esse Legatum firmiter censeo. Satis enim diuturno tempore nullis extantibus redditibus impletum est onus, quod cum piæ Sodalium liberalitati sit referendum, dissolvendum modo est renuentibus vinculum, ad quod certe dirimendum cessante, prout demonstratum est, culpa Oratorum, tum ipsa naturalis ratio, tum juris Canonici disciplina conducit =.

Neque subsumatur, quod Archiconfraternitas egit, & in judicio obtinuit contra Camerarium. Is enim erga Archiconfraternitatem non ex legali administratione, sed ex stipulatu tenebatur, is erat conductus mercede exercitor, is gratia utriusque negotium susceperat. Rem declarat, & distinguit *Alciat. in L. Periculum num.3., & 4. ff. si certum putat, Gratian. discept. for. discept. 125. num. 3. Cum secus sit in Procuratore, & aliis qui non adhibent operam gratuitam, illi enim præstant levem culpam, quasi ejusmodi levis culpa idest civilis quædam inadvertentia sit præstanda in his, quæ celebrantur causa utriusque contrahentis.*

Accedunt, quæ generaliter de omnibus sub necessaria admi-

ministratione viventibus traduntur, & præsertim Ecclesiis Locisque Piis, quod nimirum ex dolo culpaque suorum Officialium haud teneantur. Legendus omnino *Monacell. Append. ad formam Instruz. 5. num. 8., & seqq. = Se poi gl'obbligati allegassero, che li Capitali per li pesi di Messe fossero senza loro colpa periti &c. si devono assolvere &c., e ciò deve farsi a pro delle Chiese, e Luoghi Pii anche nel caso, che si provasse, che il Capitale lasciato, ed assegnato fosse PERITO, O RESO INESIGGIBILE PER COLPA, E NEGLIGENZA DEGL' OFFICIALI*. Et infra = *La Chiesa, o altro Luogo Pio non son tenuti a rilevare il fatto e sentir la pena del delitto, ancorche liquido de' loro Officiali, ed Amministratori se non in quanto si provi, che il Capitale, e Fondo che più non esiste sia stato convertito in utilità della Chiesa, o Luogo Pio, e che per esso sint effecti locupletiores =*.

Dubium est.

An sit Locus deletioni oneris in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Emi Protectoris.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

Moriens anno 1774. Jo. Franciscus Jacobi duo legavit Prædia sua piæ Congregationi S. Mariæ Gaudii, & S. Apolloniæ Bononiensis Civitatis; & de redituum applicatione disponens, ait = *Voglio si eroghi dalli Confratelli della medesima nel modo, e forma prescritta da Sebastiano Ghirardelli nell' entrata de suoi Beni =*.

Ghirardellius autem ab anno 1668. Congregationem eandem sibi hæredem universalem instituerat, indicta tamen lege medietatis redituum impendendæ in Ecclesiæ ædificio, alteriusque medietatis in Missarum celebratione erogandæ. Ædificio autem perfecto, reditus omnes celebrationi Missarum perpetuo addicendos esse, mandaverat.

Cum Jo. Francisci Jacobi in piam Congregationem Legatum venerit, compertum est, fatiscere rusticas ædes, illarumque reparationibus incumbendum ex proposito esse. Idcirco ab omni redituum erogatione Sodales substitere, iis in Arca subsignatis. Sed re aliquot post annos ad forum Archiepiscopale delata, Vicarius generalis, congruum

gruum æquitati esse judicavit, ut tertia fructuum pars in Missarum celebrationem erogaretur, duæque aliæ in prædiorum Domos reparandas. Dicitur hocce decretum executioni aliquando missum fuisse, nobis tamen non benè liquet. Mox adita a Sodalibus Sacra Congregatione Episcop. & Regul. facultas iisdem facta est sub diem 21. Januarii anni 1780. utrumquePrædium alienandi,quæ Jo. Franciscus legaverat.

Rescriptum præfatæ Sacræ Congregationis ita se habet = *Attenta relatione Emi Archiepiscopi, eidem Emo benignè remisit, ut veris &c., & prævia absolutione a censuris, & pœnis etiam &c. atque Edictorum affixione, postquam compererit in evidentem Sodalitatis utilitatem fore cessuram petitam vendendi facultatem, pretiumque inde redigendum in Causas expressas fideliter erogandi, pro suo arbitrio &c. Oratoribus impertiatur, ita tamen, ut Oratores infra decennium, deposita quotannis rata scut. 400., reintegrare teneantur, ad quem effectum apponatur sequestrum super reditibus alicujus fundi sufficientis specialiter assignandi sub pœnis &c.*

Otiosa hinc apudSodales mansit summa redituum in scu.257. 46., quæ ante alienationem cumulata fuerat. Interea cum manus admovere reputarint Sacrario, & Oratorio ædificandis, preces iidem porrexere huic Sacræ Congregationi, ut in ædificiorum impensis uti summa præfata liceret;& Eminentissimo Archiepiscopo,qui de more auditus fuerat, favente, cum in Congregatione diei 21. Junii 1783. interrogati fuissent Emi Patres = *An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum* = rescripserunt = *Affirmativè pro medietate summæ depositæ* =.

Quemadmodum in omnibus Ædificiis æque frequens, ac notissima praxis edocet, impensas admodum excedere prolatum a peritis de futuro opere judicium; Ita Sodales ajunt, in re præsenti accidisse. Uni etenim Fabromurario scuta tercenta numerentur oportet. Sed post eum nonnihil restat faciendum, & præsertim Sedilia Oratorii, aliaque plura. Postulant itaque, iis concedi, quod ex deposito reliquum est. Et Emus Archiepiscopus iterum rogatus suum petitioni suffragium adjungit. *Eædem ipsæ in præsentiarum* [inquit] *immo majores subsunt causæ; nam cum antea Oratores putarent satis esse scuta 240. ad absolvendum opus, modo certi sunt, nec sufficere scut. 300.* =.

Dignentur EE. VV. Folium hujusce Causæ resumere distributum in dicta Congregatione diei 21. Junii 1783., quod pu-

publici juris factum habetur in *Thes.Resol.to.52.pag.*122., & quàtenus annuere petitis placeat, exscribere votum non præteribo, quo informationem suam anni 1783. Emus Archiepiscopus concludebat = *Itaque, ut Defunctus Confrater Jo. Franciscus Giacobi manus adjutrices ferat dilectæ suæ Congregationi, non tamen sine aliqua compensatione, existimarem, ex speciali gratia concedi Confratribus posse summam scut.* 240., *ita nempe, ut non solum residuum, videlicet scut.* 17. 45. 10. *statim erogetur in celebratione Missarum ad mentem Legantis Giacobi, verum etiam ipsa Confraternitas ad annos decem, aut duodecim de suo celebrare faceret Missas quinquaginta annis singulis, ac præterea per idem tempus die quolibet festo congregati Fratres deberent recitare in suffragium tanti Benefactoris Psalmos Miserere, & De profundis* =.

Quibus stantibus, expendendum erit, an petitioni deceat accedere, etsi nos lateat, num annuum scut 400. depositum executioni sit commissum, quod in hanc diem post sexennium evolutum ad scut. 2400. conscenderet; Numque depositorum investimenta confecta fuerint; & de illorum fructibus quid actum sit.

Dubium, quod proponitur, est.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Dilata, & scribatur Eminentissimo Archiepiscopo juxta instructionem.

VRBEVETANA EMPHITEUSIS. Binos porrexit huic S. Congregationi supplices libellos R. P. D. Galeatius Marescotti, in quibus exposita duorum prædiolorum deterioratione, quæ ad totidem per ipsum possessa beneficia pertinent, postulabat, ut eadem sibi liceret prædia in emphiteusim ad tertiam generationem concedere Bernardino Pozzi, qui pro terrula Beneficii S. Marci annua scuta 13. obtulerat, proque prædiolo Beneficii S. Spiritus scuta 17., cum obligatione utrasque meliorandi terras, omniaque pariter onera subeundi. *Sess.*25. *cap.*11. *de Reform.*

Rogatus de more fuit Eminentissimus Vrbis veteris Episcopus

pus, ut S. Congregationem instrueret, votumque suum utraque de postulatione aperiret = *prævia edictorum affixione favore majoris oblatoris ad tertiam generationem masculinam tantum* =

Respondens Eminentissimus Episcopus retulit, oblationes ad Acta numero plures fuisse delatas, easque ex ordine ita recenset =

Primus ex illis est Bernardinus Pozzi, de quo in precibus, & conductor universalis bonorum dicti Præsulis. Hic offert pro prædio S. Spiritus annua sc. 17., & pro terra S. Marci sc. 13. cum obligatione tamen plantandi viginti arbores Mororum, eo quia exponit, in malum statum abiisse terram, quod falsum esse, mihi asseritur. In totum igitur offert sc. 30.

Secundus est Marcus Bertoccini, qui pro prima emphiteusi exhibet annua sc. 32. 50 pro altera vero sc. 21. 50. in totum sc. 54.

Tertius comparet Augustinus Canuti, qui promittit pro prima sc. 32. pro secunda sc. 21. in totum sc. 53.

Extat quartus Angelus Grappelli pro prima offerens sc. 25. pro secunda sc. 20. pro utraque sc. 45.

Quintus comparet Joseph Majoli, spondens pro Canone primæ sc. 25. pro secunda sc. 20. in totum sc. 45.

Venit demum sextus, videlicet Vincentius Bernardi, qui pro prima Emphiteusi promittit sc. 25. pro secunda sc. 20. in totum sc. 45.

Et hic postremus addit promissionem plantandi olivarum arbores num. 20. & tam hic, quam Augustinus Canuti, & Angelus Grappelli reservatam sibi volunt facultatem nominandi, si sine liberis fortè decedant.

Omnes tamen suprad. Oblatores onus sibi assumunt solvendi onera Cameralia, & manutenendi domum in prædio S. Spiritus, præterquamquod principaliores muros & trabes, ut passim in Regione illa paciscitur.

Præter jam relatos oblatores alii duo sunt, qui obtulerunt dumtaxat Canonem pro terra, quam dicunt Canapule pertinente ad beneficium S. Marci videlicet Lucas Antonius Bianchini spondens sc. 22. 35. & Antonius Prudenzi scut. 19. 10.

Votum tamen non aperiens suum, duo tantum advertenda esse monet: Scilicet in primis oblationem Bernardini Pozzi bonorum conductoris infimam esse: deindè oblatores pro utraque emphiteusi haud facili emphiteusi ad alterutrum prædium restringendæ esse adhæsuros.

Re-

Rebus sic stantibus, Bernardinus Pozzi, ejusque filius exponentes utriusque terras beneficii in culturam redigisse meliorem, præferri petunt iisdem cum conditionibus quas fecit major & melior oblator.

Plana res est, Marci Bertocini oblationem, quæ ad sc.54. pertingit, reliquis esse majorem. Sed & meliorem esse quoque renunciandam, ipse Marcus defendit. Quamvis enim, inquit, a Vincentio Bernardi sexto oblatore scutorum 45. repromissum fuerit, oleas viginti in Ecclesiæ utilitatem consiturum se fore; Attamen Canonis amplitudini in scutis 54. non ea est modicarum olearum utilitas comparanda. Eoque securius, si pactum æstimetur oblationi suæ alligatum, scilicet facultatis nominandi, quatenus sine filiis ipse decedat.

Inquirendum superest, an Bernardino, ejusque filio Pozzi peberi possit ex aliquo jure petita prælatio, seu quod terras actu conducant, seu quod meliorationibus auxerint. *Pacionus de Locat. & Conduct. cap.* 20. *per tot & Corradinus de Jure Prælat. quæst.* 41. *ex num.* 1. *ad plur. seqq.* rem magistraliter agunt, concluduntque, Doctoribus plena manu relatis, Conductorem nec jure conductionis, nec jure melioramentorum beneficio prælationis pro eodem pretio, quod alius obtulit, potiri, Conductoribus fiscalibus exceptis, qui ad relocandum, novo deficiente Conductore compelli possunt. Cæterum, melioramentorum, quæ confecisse iidem exposuere, probationes hactenus desiderantur.

Placeat EE. VV. Sapientissime decernere de dubio.

An, & cujus favore sit stipulandum instrumentum emphiteusis in casu &c.

Esse stipulandum favore Marci Bertoccini salvo jure Vigesimæ, & Sextæ.

PARMEN. Simplicis cujusdam Ecclesiastici Beneficii nuncupati *Lucanorum* sub invocatione Sanctissimi Corporis D. N. J. C. in Ecclesia Præceptoriali S. Antonii Viennensis Parmensis Civitatis fundatio non invenitur. Quamvis Cancellariæ acta pervoluta fuerint, & Præce- *Sess.25. cap. 5. de Reform.*

ptoriæ Archivium perlustratum, cognitio de ea nulla, vel indicium hauriri potuit. Bullæ collationum dicti Beneficii quæ identidem ad hanc diem factæ sunt, nullum exprimunt onus Beneficio inhærens. In quodam dumtaxat libro nuncupato = *Il Campione*= mentio de illius Beneficii oneribus facta legitur, Missa nempe quotidiana, & assistentia Missæ cum cantu, & Vesperis in dicta Ecclesia S. Antonii canendis.

Aliunde ex visitationum libris eruitur istiusmodi onera ab anno 1570. adimpleta haud fuisse. In libro Apostolicæ Visitationis a bo.me. Joanne Castello Episcopo Ariminen. qua delegato Apostolico peractæ anno 1578. legitur = *Adest Beneficium quod Lucanorum dicitur, cujus Rector est D. Joannes Berjanus, cui incumbit onus Missam quotidie celebrandi, & Vesperis interessendi, ac Missis quæ cantantur. Nihil fit ab annis octo &c. Reverendus hujus Ecclesiæ Præceptor apud Vicarium Episcopalem instet &c.*

In libro etiam Visitationis Ecclesiarum Civitatis Parmæ habitæ anno 1715. ab Episcopo Marazzani habetur = *Tertium quoque Beneficium est sub titulo Sanctissimi Corporis D. N. J. C. appellatum Lucanorum cum onere unius Missæ quotidianæ, atque inserviendi Missis, & Vesperis in hac Ecclesia. Modernus Rector est R. D. Carolus Panizza qui beneficium hoc est assequutus mediante renunciatione de eo ipsi facta a R.D. Antonio Maria Panizza ejus fratre. Neuter unquam satisfecit, & de anno 1578. ista onera ab annis octo non adimplebantur ut ex visitatione Castella. Mandavit nihilominus exhiberi inventarium redituum.*

Modernus Rector & possessor ab anno 1768. Sacerdos Joseph Evangelista exponit anno 1768. scivisse quæ referuntur in antedicta Visitatione Episcopi Marazzani, & cum in præsentiarum Beneficii reditus 23, scutorum summam non superent, a dicto anno redituum dumtaxat medietatem pro tot Missarum celebratione insumpsisse. Dubitat modo num recte se gesserit, proindeque supplex adit Sacram Congregationem pro declaratione quid imposterum agere debeat, & pro absolutione quoad præteritum, quatenus male se gesserit. Expostulat onerum reductionem ad rationem taxæ perpetuæ, facultatemque in qualibet Ecclesia, & Altari Missas celebrandi.

Episcopus exposita confirmat, votumque suum ita aperit = *Quibus sic habentibus incongruam non existimo Oratoris humillimam petitionem, ut onus prædictæ Missæ quotidianæ reducatur ad tot Missas, quot celebrari possunt cum redi-*

di.

ditu prædicto retenta taxa perpetuæ , ad hoc ut Beneficiatus , & ipse commodum reportare possit ex Beneficio ; & cum libertate dictas Missas celebrandi ad Altare Privilegiatum in quacumque Ecclesia , cum jam non constet ex decretis recensitarum Sacrarum Visitationum celebrationem prædictæ Missæ præscriptam fuisse in Ecclesia anted. S. Antonii.

Delendum esse onus assistendi Missis & Vesperis de quo supra dubitari non potest . Cum enim sc. 23. quo annui hodierni reditus efferuntur , nec pro quotidiano Sacro sufficiant , cumque latente fundatione ignorare oporteat disponentis voluntatem , locus est receptae , & saepe confirmatae ab hac S. Congregatione regulae , ut caetera prius onera , quam Sacrorum numerus imminuatur , ut post *Fagnan. in cap. ex parte num.* 34. *de Constit. monet Bened. XIV. de Synodo Diæcesana lib.* 15, *cap. ult. n.* 23.

Addatur his testimonium Praeceptoris Ecclesiae S. Antonii sive ejus Generalis Procuratoris , quod Episcopus suae Informationi adnexuit = *rapporto all'onere di dovere il Beneficiato intervenire alla Messa e Vesperi che si cantavano nella Chiesa di S. Antonio sono più di cento anni che ciò non si prattica .*

Quo vero ad reductionem Sacrorum ad taxam perpetuae praxis S hujus Congregationis est post semel factam acceptationem non aliam impertiri reductionem quam ad manualem . Immo si de oneribus in Beneficii fundatione impositis aut de obligatione agitur per contractum suscepta quaestiones reductionis non audit , sed ad laesionis remedium confugere oportet . Nihilominus observandum esset an hodiernae quaestionis species congruat potius casui taxationis faciendae in nova acceptatione , quam reductionis ex intervallo elargiendae . Intermortua enim erat obligatio quae hodie veluti a somno excitatur cum ex praemissa visitatione anni 1715. appareat quod neque actualis Beneficiatus , neque illius Antecessor Missas celebraverint , immo & quod anno 1578. ab octo annis Missarum onera non adimplebantur *juxta superius transcripta verba* . Spectatis autem rerum circumstantiis non raro hic Sacer Ordo etiam obligationes Sacrorum per contractum susceptas ad taxam perpetuae reduxit . Et bene multa responsa legere est collecta *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., *& in Anconitana Missarum* 1782. §. *erit tamen* .

Hoc autem semel constituto, pronum erit definire an & quantum a Canonicis regulis Sacerdos Evangelista aberraverit cum retenta in sui utilitatem redituum medietate

medietatem alteram in tot Sacrorum celebratione juxta manualem taxam erogavit, quod idem esse videtur ac celebrationem juxta taxam perpetuæ curasse cum ea duplo major manuali eleemosyna esse soleat. Et quam regulam sequi imposterum debeat, quatenus ea quam servavit approbari haud mereatur.

Dignetur EE. VV. decernere.

I. *An & ad quam taxam sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An quoad tempus præteritum sit approbanda methodus ab Oratore servata, vel potius an & quomodo sit absolvendus in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad Taxam perpetuæ.

Ad II. Affirmativè in omnibus facto verbo cum Sanctissimo.

Sess. 14. cap. 13. de Reform.

ASCULANA. Fruitur Vincentius Cataldi plurium Beneficiorum, & Cappellaniarum patronatu, atque inter cætera trium quæ ab Abbate Prospero Cataldi possidebantur, quæque per illius mortem anno 1774. sequutam vacarunt unius scilicet beneficii sub invocatione Sancti Marci, & duarum Cappellaniarum in Ecclesia S. Christophari; Atque item patronatu gaudet alterius Beneficii ad aram Sancti Marci quod anno 1776. per obitum Xaverii Monti sine possessore remansit.

Lapso jam semestri a sequuta vacatione anni 1774. supplex adiit Vincentius Curiam sui Ordinarii a qua prorogationem obtinuit prius duorum mensium, mox aliorum quatuor pro explenda dd. trium Beneficiorum nominatione; qua ad exitum vergente auctoritatem imploravit S. Congregationis, ut inducias obtineret ulteriores, simulque ut sibi decerneretur eorumdem Beneficiorum administratio hunc in finem, ut satisfactis oneribus Beneficiorum, seu Cappellaniarum sortes redintegrare posset, & æs alienum a patre contractum dimittere.

Ordinarius Asculanus suum dedit secundum vota Oratoris responsum pro suspensione collationis nedum trium, quæ va-

vacaverant, sed & aliorum, quæ imposterum vacatura essent Beneficia ad effectum redintegrandi dispersas patronalium beneficiorum, & Cappellaniarum dotes. Sero tamen respondit; propterea exposita hac Curiæ Episcopalis mora die 6. Maii anni 1775. a S. Congregatione Vincentius rescriptum prorogationis obtinuit ad *alios duos menses*, itemque aliud die 8. Julii dicti anni *ad alios duos menses*, & novo die 16. Septembris dicti anni oblato libello narravit satis sibi videri ne tempora contra eum currerent quod instantia penderet in S. Congregatione super administratione, & nihilo minus expressam prorogationem postulavit; Datumque est responsum = *ad alios tres menses ad effectum tamen summas retrahendas deponendi in S. Monte Pietatis cum indicatione provenientiæ*.

Cumque aliud Beneficium de quo supra anno 1776 vacasset idem Vincentius S. Congregationi narravit preces, quas pridem obtulerat pro assequenda trium Beneficiorum, de quibus antea dictum est, administratione, addidit vacasse nunc per obitum Xaverii Monti pingue hoc Beneficium, hinc trium mensium inducias postulavit, ut vel ad hæc quatuor beneficia præsentare posset, vel S. C. suum panderet judicium super concedenda, vel deneganda, quam postulabat administratione; Die 11. Januarii 1777. dictis precibus datum est responsum ad alios tres menses.

Lapsis non solum tribus mensibus, sed sequenti anno 1778. jam pene ad exitum vergente, Vincentius ampliores postulavit inducias quatuor mensium, quas ad beneficium sub titulo S. Marci coercuit, sacræque Congregationi narravit pendere cor. eadem quemdam tractatum super omnibus beneficiis suo patronatui addictis. Rescripsit S. Congregatio die 12. Decembris addicti = *Resumatur, & interim ad duos menses, & Episcopo pro informatione, & voto præcipue, super indicato tractatu*; En verba datæ in eam rem a S. Congregatione Epistolæ = *Eminentissimi PP. declarantes interim in re de qua agitur tempus, & tempora non currere per DUOS MENSES TANTUM, præsentes dandas esse mandarunt &c. præsertim, ut referat super indicato tractatu* =

Finis hic prorogationum; sed tamen usque ad annum 1784. nulla expleta fuit nominatio a Vincentio Cataldi, immo neque ullum factum in Sacra Æde depositum exactorum fructuum per ea tempora quibus ei dederat ut supra S. Congregatio, quod exigeret, & deponeret. Mense itaque Majo 1784. Clericus Aloysius Ciucci alterum ex prædi-

dictis Beneficiis quod per obitum Xaverii Monti vacaverat, & sub invocatione est S. Marci jure devoluto a S. Sede impetravit directis sub diem 9 Junii dicti anni litteris Apostolicis vel ad antiquiorem Canonicum, vel ad Vicarium Generalem Asculanum. Fere post mensem nempe die 2. sequentis Julii Nihil transeat in Episcopali Cancellaria Vincentius Cataldi apposuit; hinc die 7. dicti mensis ad dictum Beneficium Clericum Michaelem Angelum Cappelli nominavit; his tamen non obstantibus a Canonico Decano Aloysius Ciucci in Beneficii possessionem immissus fuit.

Conquestus statim est Michael Angelus Cappelli impetratasque a Ciuccio Bullas subreptionis vitio laborare dixit ob *reticitas prorogationes a Cataldi obtentas, & pendentiam in S. Congregatione pro ulterioribus prorogationibus obtinendis* = suæque supplicationi rescribi obtinuit = *Relaxetur ad merum effectum exhibendi S. Congregationi Concilii pro voto an sit signanda*. Exhibita ergo fuit supplicatio S. Congregationi, & quoad eam primum ex infrascriptis dubiis inter Vincentium Cataldi ab eoque nominatum Michaelem Angelum Cappelli ex una, & Aloysium Ciucci ex altera parte definiendum est.

Ast interim Clericus Ciucci monitus impendere ruinam ruralis domus sui Beneficii provocavit Vincentium Cataldi qui per octo annos beneficium possedisse narrat nec opportunis restaurationibus occurrisse, ad subeundas reædificationis expensas; quæ plane quæstio in secundo ex infra positis dubiis continetur.

Pro primum Dubium, quod attinet pro petita a Ciuccio manutentione facit; quod ipse possessionem cœperit præsidio fretus litterarum Apostolicarum quas licet Canonico antiquiori directas haud immerito exequutus est eo absente is qui post eum sedebat *Scarfant. ad Lucubr. Ceccoper. lib.* 1. *tit.* 18. *num.* 4. *De Luca in Miscell. Eccl. disc.* 39. *num.* 14. & 15. non attento *nihil transeat* interim in Curia Episcopali a Michaele Angelo apposito tum ratione loci, tum ratione materiæ Bullarum nempe in forma gratiosa expeditarum *Rota dec.* 816. *a n.* 1. *ad* 3. *cor. Molines*.

Cæterum, quoad rem ipsam indubii juris est in patronatum etiam laicorum si patronus finit legitima ad præsentandum labi tempora beneficii collationem ad Sedem Apostolicam devolvi. *Rota cor. Molines decis.* 542. *num.* 12. Itaque cum Beneficium de quo agitur, per obitum vacaveris

rit Sacerdotis Xaverii Monti anno 1776. sequutum, omniumque postrema prorogatio ex iis, quæ supra relata singillatim fuerunt, obtenta fuerit 12. Decembris 1778., per se patet collationem sexennio postea a Sede Apostolica factam nempe anno 1784. reprehendi nullo modo posse.

Nec bene Michael Angelus verba captaret cum supplicis Libelli ea occasione Sac. Congregationi oblati, tum rescripti ab eadem Sac. Congregatione obtenti. Nam in supplici Libello meminit quidem Orator pendere in Sac. Congregatione tractatum super omnibus suis patronalibus beneficiis eamque fuisse causam, cur superiores sibi datæ fuerint induciæ; sed tamen instantiam concludit petendo *altra proroga di quattro mesi*; Rescriptum vero prorogationem præsefert *interim ad duos menses, & Episcopo pro informatione, & voto præcipue super indicato tractatu* = quod etiam uberius declaravit Epistola a Sac. Congregatione ad Episcopum data = *Emi PP. declarantes interim in re de qua agitur tempus, & tempora non currere per duos menses tantum præsentes ad A. T. dandas esse mandarunt ut &c. signanter referat super indicato tractatu*=Ex quibus emergere plane videtur ipsummet Oratorem ad extremum solam postulasse prorogationem temporis ad præsentandum, & Sacrum hunc Senatum prorogationem tantummodo concessisse, & intra datarum induciarum tempus prohibuisse ne tempora laberentur, ita ut finito termino absque eo quod vel novus impetraretur, vel ad actum præsentationis patronus deveniret, vires resumpserit inducta a jure ad Sedem Apostolicam devolutio, nullamque mererentur censuram Apostolicæ litteræ a Ciuccio impetratæ *Rota in Potentina Canonicatus* 9. *Maii* 1746. §. *Nec erat cor. cl. mem. Card. Bussio*, & *in Ostunen. Contractus* 15. *Junii* 1750. §. 8. *cor. Card. Molino*.

Quod pertinet ad II. Dubium perceptos fuisse a Vincentio Cataldi hujusce beneficii fructus a die vacationis ex facto constare affirmat Ciucci; & cum S. Congregatio quoad tria prima beneficia de quibus primum in Relatione facti mentio occurrit, & quæ anno 1774. vacaverant, Patrono indulserit 16. Septembris 1775. ut ad tres menses fructus exigeret ad effectum deponendi in S. Æde Pietatis, desidem tamen usque adeo patronum fuisse ut ne obulum quidem deposuerit ut ex *testibus in hanc rem oblatis*. Alios autem dat testes evincentes quod hodierna ruralis do-

domus ruina ab omiſſis reparationibus ei incumbentibus qui fructus percipiebat, repetenda ſit.

Duæ ſunt quæſtiones.

I. *An ſit danda manutentio Clerico Aloyſio Ciucci Proviſo Apoſtolico, ſeu potius ſit relaxanda ſupplicatio favore Clerici Michaelis Angeli Cappello in caſu =*

Et quatenus Affirmativè ad primam partem.

II. *An Vincentius Cataldi teneatur ad refectionem domus ruralis in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam, & amplius.

Ad II. Affirmativè, & Amplius.

Seſſ. 14. cap. 13. de Reform.

ASCULANA. Præter beneficia de quibus in ſuperiori cauſa actum eſt habet Vincentius Cataldi patronatum alterius beneficii in Eccleſia, & ſub titulo S. Chriſtophari Civitatis Aſculi, quod per obitum Sacerdotis Cantalameſſa anno 1778. vacavit. Lapſo quadrimeſtri ad præſentandum laicis patronis dato, die 19. Septembris dicti Anni novas a Sac. Congregatione obtinuit inducias = *ad tres menſes*.

Nihil inde actum eſt ad annum uſque 1784. quo Clericus Joſeph Galoſi jure devoluto beneficium illud a S. Sede impetravit. Litteras tamen Apoſtolicas ſubreptionis accuſavit Clericus Michael Angelus Cappello qui ad hoc etiam beneficium eodem actu quo ad alterum, veluti in ſuperiori cauſa a patrono Vincentio Cataldi nominatus fuit. Eædem fuerunt allegatæ ſubreptionis cauſæ, idemque datum eſt a Dataria reſponſum ſupplicationi Michaelis Angeli Cappello, in cujus ſequelam primum ex infra relatis Dubiis expendendum eſt.

Redeunt quæ in relatione ſuperioris cauſæ dicta ſunt de devolutione Beneficii etiam laicali patronatui ſuppoſiti ad Sedem Apoſtolicam poſt lapſum legitimi temporis ad præſentandum dati, & de excurſis ut in caſu, a pluribus annis conceſſarum prorogationum metis.

Re-

Reliqua tria quæ poſt primum ex ordine ſequuntur Dubia alia reſpiciunt beneficia eidem patronatui ſuppoſita, atque alios habent contradictores in formula Dubii expreſſos. Nituntur primi devolutione juris patronatus ad S. Sedem; Alii ſeſe nominatione patroni tuentur.

Dubia ſunt.

I. *An ſit locus expeditioni litterarum Apoſtolicarum favore Clerici Joſephi Galoſi, ſeu potius relaxanda ſupplicatio favore Clerici Michaelis Angeli Cappello in caſu &c.*

II. *An ſit locus expeditioni Litterarum Apoſtolicarum favore Sacerdotis Vincentii Paolini ſeu potius ſit relaxanda ſupplicatio favore Ignatii Merli in caſu &c.*

III. *An ſit locus expeditioni Litterarum Apoſtolicarum favore Sacerdotis Vincentii Paolini, ſeu potius ſit relaxanda ſupplicatio favore Ignatii Mari in caſu &c.*

IV. *An ſit locus expeditioni Litterarum Apoſtolicarum favore Vincentii Ercolani, ſeu potius ſit relaxanda ſupplicatio favore Michaelis Angeli Cappello in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad ſecundam, & Amplius.

Ad II. III., & IV. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad Secundam.

ROMANA. PP. Carmelitæ Cœnobii S. Mariæ Tranſpontem duobus inter cætera premuntur oneribus: Horum unum complectitur quotidianum Sacrum in Sacello ſub invocatione Conceptionis B. M. V. agendum, & officium unum quotannis celebrandum, utrumque in expiationem animæ Marchioniſſæ Victoriæ Tulphiæ. De hoc onere nulla quæſtio. Licet de eo ſileat teſtamentum dictæ matronæ, loquuntur tamen tres Codicilli, loquiturque marmoreus lapis, uti ipſa mandaverat, appoſitus anno 1588., ſummamque dati oneris collatique emolumenti ſpeciem præferens.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

Onus alterum bene multis ab hinc annis reductum fuit ad Sacra 181.; sed olim putabatur diurni Sacri alteriusque insuper hebdomadalis Sacri necessitatem imponere. De hoc onere quod eamdem respicit Marchionissam Tulphiam conqueruntur PP. Carmelitæ: Illud omni carere fundo autumant, deleri ergo postulant. Cum nihilominus per sæculum & ultra ei satisfactum fuerit, efflagitant ut pro medietate onus alterum de quo supra minuatur, donec impleatur numerus Sacrorum, quæ ipsi errore ducti celebrarunt: eidem namque testatrici celeriori suffragio rem ipsam quod attinet satisfecerunt.

Emus Protector omnibus qua solet diligentia consideratis refert nihil de hoc secundo onere sive in testamento sive in Codicillis Marchionissæ Tulphiæ haberi; Nullum de imposita horum Sacrorum celebratione, collatoque propterea emolumento extare instrumentum aut memoriam: Errori forsan dedisse causas Codicem Conventus in quo infrascriptæ quatuor adnectuntur partitæ = 10. *Marzo* 1578. *scudi cento avuti per limosina dalla Signora Marchesa della Valle* = 10. *Decembre* 1578. *sc.* 300. *dalla Signora Marchesa della Valle a conto delli mille scudi per una Cappella nella nuova Traspontina per obbligo fatto come nel contratto* = 5. *Febraro* 1579. *dalla Signora Marchesa della Valle sc.*200. *di moneta a conto delli mille scudi per una Cappella* = 21. *Ottobre* 1579 *dalla Signora Marchesa della Valle sc.* 500. *manca giulj trè per il resto delli scudi mille dati per lemosina della nuova Cappella presa nella Traspontina* =; Sed eas præstationes, quocumque nomine sive eleemosinæ sive obbligationis donentur, ad Cappellæ ædificationem acquisitionemque illius patronatus referri, non ad ullam agendorum Sacrorum obbligationem; Revera Patrem Ori Carmelitarum Generalem in reductione quam anno 1661. in vim Apostolici Indulti *adornavit*, consulto adnotasse *hæc pecunia data est sine obligatione Missarum*. Idipsum visum fuisse Angelo Stantelli a Congregatione S. Visitationis delecto anno 1704. pro nova conficienda Missarum tabella, sed in alium *impegisse* crassiorem errorem, quod nimirum origo hujusce oneris a testamento esset repetenda Marchionissæ Tulphiæ, cum nihil in eo hac de re legatur, immo ne nominentur quidem Carmelitæ Transpontem, ut ex materiali nudaque lectione recognovit anno 1785. Advocatus Fiscalis S. Visitationis. Demum anno 1723. occasione novæ reductionis cl. mem. Cardinali Sacripantes

dele-

delegatæ Brunettum expendendis scripturis deputatum in vetus iterum incidisse æquivocum, quod onus hoc a pecuniis pro fabbrica Cappellæ ut supra collatis desumendum esset : Concludit dignas quæ exaudiantur preces Oratorum quoad primum ex infrascriptis Dubiis videri ; de altero silet.

Quæstionem quod attinet in primo Dubio contentam, exploratum est stare correspectivum onus agendorum Sacrorum non posse sine traditione pecuniæ aut fundi eidem oneri correspondentis, ita quidem ut generalibus Decretis Sac. hujus Congregationis cautum postea fuerit, ne Superiores Sæculares aut Regulares acceptandorum onerum licentiam darent nisi prius accurate diligenterque explorassent fundum aut pecuniam quæ dabatur, suscipiendum onus saltem æquare ut *ex* §. 10. *eorumdem decretorum generalium*.

Hic autem, ajunt PP. Carmelitæ, aperte constare, nullum datum fuisse fundum aut pecuniam ad cujus correspectivitatem 181. Sacra de quibus agitur, referri queant. Testimonium inprimis proferunt domestici Archivistæ, qui omnibus perlustratis scripturis Archivii Conventus, alteriusque Archivii Ordinis immo & Archivii Curiæ Capitolinæ una cum Deputato *quoad hoc ultimum* S. Visitationis Apostolicæ, nihil quoad Sacra de quibus agitur, invenit. Inverisimile autem esse ut collatæ Dotis nulla extet memoria, quando alterius non controversi, & contemporanei oneris locupletissima adsunt testimonia. *Mascard. de probat. concl.* 1224. *Rota cor. Greg. XV. dec.* 239. *n.* 2. *& dec.* 245. *n.* 7. ; multoque inverisimilius in ea Benefactrice quæ dicti alterius non negati Missarum oneris adeo sollicita fuit ut tribus quodammodo non fidens codicillis legati, memoriam lapidi in Ecclesia affigendo consignari mandaverit *cap. quam verisimile de præsumpt. leg. non est verisimile ff. quod metus Causa Pignattell. consult. canon.* 146. *n* 20. *Tom.* 1.

Cæterum lubentes acquiescunt ut res etiam intimius expendatur. Duo Deputati in hujusce oneris causam inquisiverunt ut supra relatum est ; Stantellus anno 1704. a Sac Congregatione Visitationis Apostolicæ delegatus, & Brunettus anno 1723. à cl. mem. Cardinali Sacripantes deputatus. Primus fundamentum repetiit a testamento Marchionissæ Tulphiæ ; sed cedere oportet hujus delegati opinionem patentissimæ veritati quæ ex nuda testamenti lectione emergit in quo tantum abest ut de hoc

Legato mentio fiat ut in eo PP. Carmelitæ ne appellentur quidem veluti recognovit Advocatus Fiscalis S. Visitationis qui anno 1780. illud consulto perlegit *leg. ille aut ille ff. de Leg.* 3. *Rot. cor. Ludovis. dec.* 184. *n.* 5., *&* *cor. Merlino dec.* 792. *n.* 13.

Secundus vero oneris causam arcessivit a scutis mille vel mille & centum a Marchionissa Tulphia Conventui subministratis juxta quatuor partitas domestici Codicis Conventus supra relatas. Sed iis quoquo versum acceptis nihil aliud colligi posse inquiunt PP. Carmelitæ quam pecuniam illam sive eleemosinæ sive contractus nomine largitio hæc insigniri velit, pro materiali tantum sacelli ædificatione datam fuisse ut nuda, & simplex verborum lectio præsefert, quæ vincere, & anteferri cuicumque debet Deputati judicio *leg.* 3. *in fin. Cod. de liber. præt. Archidiaconus cons.* 115. *num.* 2. *Rot. decis.* 623. *num.* 4. *part.* 3.

Quod si observantia in PP. Carmelitas retorqueatur, & quidem ea quæ proximior suppositæ dispositioni fuit, animadvertunt Oratores eam fuisse per insigne spatium interruptam 62. annorum quot excurrunt ab anno 1661. epocha reductionis Ori ad annum 1723. epocham secundæ reductionis Sacripantes, eoque tempore cessatum prorsus fuisse ab harum 181. Missarum celebratione. Eam vero quæ antecessit, & quæ subsequuta est tamquam centenariæ metam non attingentem, & ab errore facti tituloque vitioso profectam nullo in pretio adversus demonstratam rei veritatem haberi posse. *Pignattell. consult. Canon.* 86. *num.* 18. *Tom.* 10., *Rota coram Bich. decis.* 162. *num.* 20., *&* *seqq.*, *&* *cor. Gregor. XV. dec.* 184. *num.* 5., & magis ad rem *Gonzalez. ad regul.* 8. *Cancell. glos.* 18. *num.* 48., *Barbosa ad Concil. Trid. Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform. num.* 18. = *Cum enim constet. de titulo invalido centenaria possessio prodesse non potest* = *Rota apud Scarfant. ad Cecoper. Tom.* 2. *decis.* 58. *num.* 9. = *Siquidem ea centenaria observantia fuit sequela dicti tituli*, illeque *dedit principium eidem observantiæ, ac proinde ipsa disjungi non potest ab eodem titulo veluti effectus derivans a primæva sua causa* =

Instantia in secundo Dubio contenta sæpe discussa est in Sac. Congregatione. Non agitur hic de difficili, & exosa Indebiti repetitione; Neque enim PP. Carmelitæ Eleemosynam condicunt Sacrorum quæ ultra debitum celebrasse contendunt. Faciliorem ineunt compensationis

viam

viam Sacrorum scilicet pridem celebratorum cum aliis imposterum celebrandis. Hisce in terminis Seponendae sunt resolutiones quae casum attingunt in quo is qui Sacra agere tenebatur pro pinguiori eleemosyna adeoque minori in numero, celebravit tamen grandiorem Sacrorum quantitatem, & cum manuali eleemosyna. Hic si compensationem postulavit Missarum ultra debitum celebratarum difficilem proponere quaestionem visus est, ita quidem ut nulla capta resolutione res commissa fuerit arbitrio Emi Praefecti *in Romana suspensionis oneris, & redintegrationis eleemosynae Missarum* 7. *Maii* 1718, *&* 17 *Januarii* 1722.

Pariter ad rem non pertinent resolutiones aliae in quibus is aut ii qui non ignorabant eleemosynam sibi constitutam manuali taxa inferiorem evasisse, nihilominus cum sero ad S. C. pro reductione confugissent, postularunt ea obtenta minui sacra imposterum celebranda quousque redintegrarentur de minori eleemosyna cum qua ante reductionem celebraverant. Visum est enim praemium ex sua negligentia consequi haud debere nec pro voluntaria largitione ullam competere reductionem *in Placentina* 21. *Novembris* 1778. *resolut.* 16. *Januarii* 1779.

Potius itaque ad rem facere videtur resolutio capta pro PP. Augustinianis Excalceatis qui sese in tabella inscripserunt debitores integri numeri Missarum tamquam si totam legati dotem accepissent; Cum tamen nonnisi illius partem habuissent erroneaque credulitate ducti Missas celebrassent totius Legati summae respondentes, Cl. mem. Card. Ruffo requisitus votum suum aperire, pro compensatione sensit Missarum excessive celebratarum; in ejusque sententiam ivit Sac. Congregatio discusso congruenti Dubio *in Romana Missarum* 31. *Julii* 1717. *lib.*67. *decretor. pag.* 303.

Quaestionis duo sunt capita.

I. *An sit delendum onus Missarum* 181. *in casu &c.*

II. *An, & in qua summa sit locus reintegrationi pro Missis jam celebratis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

IMO-

Seff. 24. cap. 8. de Reform.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI. Duobus comprehensa Dubiis proposita fuit hæc causa in Congregatione diei 11. Martii currentis anni. Quærebatur in primo = *An sit locus separationi thori in casu &c.*; Eique datum est responsum *Negative*. Quia vero interim uxor diverterat a Civitate una cum conjunctissima amita, & in exteram ditionem secesserat, ideo Emus Episcopus partim instantiæ viri deferens, partim & multo magis prudentiæ vias consulendo ad revocandas ad locum domicilii inconsultas mulieres sub sequestro posuit nonnulla earum bona. Factum hinc est ut & aliud disceptatum fuerit Dubium = *An sint servanda sequestra in casu &c.* Cui responsum fuit = *Affirmative*. Hæc omnia non deducente jura sua Marianna Bauzzi uxore. Hodie eadem contradicente causa denuo proponitur. Resumpto itaque dictæ Congregationis Folio iisque perpensis quæ ad eludendam viri instantiam afferre promittit Marianna uxor dignabuntur EE. VV. definire.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 20. Maii 1786. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX duabus, quæ in ultima Congregatione ſuperfuerunt Cauſis altera conſentientibus Partibus ad proximam Congregationem differtur, altera primo loco deſcribitur, quam reliquæ octo ſequuntur.

ROMANA.

I. *An ſit delendum onus Miſſarum 181. in caſu &c.* *Seſs.25. cap. 4. de Reform.*
II. *An, & in qua ſumma ſit locus reintegrationi pro Miſſis jam celebratis in caſu &c.*

Ad I. Negativè.
Ad II. Proviſum in primo.

ÆSINA. Jacobus Canonicus Moriconius Cappellaniam mere Laicalem inſtituit anno 1750 in Eccleſia Cathedrali Æſina, reſervata Capitulo nominatione. Plures pro Dote dictæ Cappellaniæ reliquit Cenſus diverſo ſub fænore collocatos annua ſcuta 54. 75. efferentes. Voluit autem Fundator, ut Cappellanus præter quotidianum Sacrum pro anima ſua in dicta Eccleſia celebrandum, Choro etiam intereſſe teneretur cæterorum ad inſtar Cappellanorum. *Seſs.25. cap. 4. de Reform.*

Hoc interim maximam paſſi ſunt diminutionem fructus dictæ Cappellaniæ: Pecuniis namque cenſualibus reſtitutis, nullum eſt oblatum inveſtimentum, quod antiquas æquaret uſuras, ita ut hodie ſolummodo, detractis utenſilibus ſcut. 45. 85. pro Cappellano remaneant, quæ imparia videri poſſunt præſcriptorum onerum implemento.

Quæ

Quapropter hodiernus Cappellanus Sacerdos Joseph Carotti orat pro Missarum reductione. Auditus fuit Ordinarius, qui Canonicorum sensum exploravit, retulitque eos præ Cappellanorum paucitate in ea esse Sententia, ut potiusquam deleatur, aut minuatur Chori servitium diurnorum sacrorum quantitas moderetur. Audivit insuper Sacerdotem Lucam Balducci, qui [sunt verba Episcopi] *testimonium perhibuit mentem institutoris Cappellaniæ ipsi patefactam a tribus Sacerdotibus fide dignis tempore, quo ipsa Cappellania fuit instituta, fuisse tres, vel quatuor Missas ad summum singulis hebdomadis ab instituto Cappellano celebrandas esse, dummodo Chori præsentiam non prætermittat* = Suum ergo votum aperit = *Quibus omnibus juxta veritatem expositis, & a me perpensis judicarem reducendum esse numerum Missarum ad duas, vel ad summum tres Missas singulis hebdomadis a Cappellano celebrandas*.

Cum sermo sit de dispositione, quæ & servitium Chori, & quotidianum Missæ Sacrificium comprehendit, & ob redituum diminutionem necessaria videatur alterutrius oneris moderatio parte ex una pro retinendo diurni Sacrificii numero facit scripturæ ordo juxta quem ante omnia a testatore præcipitur, ut in designatis Ecclesia, & Altari quotidie sacrum in expiationem Animæ suæ celebretur. Facit specifica designatio tum eleemosynæ, tum pretii pro sacris utensilibus = *Scudi trentasei per la Messa quotidiana, scudi tre per gli utensili, ed il rimanente per il Coro*. Facit demum regula in præsumpta morientium voluntate fundata quibus cum utilior sit Missarum celebratio, ita præ omnibus eas voluisse præsumuntur *Fagnan. in cap. ex parte de Constit. num. 34. Bened. XIV. in Syn. Diæces. Leg. 13. C. ult. num. 23.*, & videre est in *Regien. reductionis servitii Chori, & Missarum* 27. *Aprilis* 1776. *In Feretrana Reductionis Onerum* 16. *Jun.* 1781.

Contra vero cum ea regula in verisimili disponentium voluntate fundetur eam cedere verisimiliori eorumdem voluntati, quæ ex rerum circumstantiis emergat, necesse est. Videndum porro an cum fundatori, qui Canonicus erat Ecclesiæ Cathedralis, nota apprime esset Cappellanorum paucitas, ita Ecclesiæ suæ decorem adamasse videri debeat, ut Chori servitium præ grandiori Sacrorum numero prædilexerit. Videndum an huic intelligentiæ faveant ea proemialia dispositionis verba quamcumque oneris explicationem, fundique traditionem præcedentia = *Avendo io guadagnato, ed acquistato diverse somme*

me di denari dati a Censo , come si enuncia qui sotto però intendo questa restituire , come restituisco al Rmo Capitolo al preciso fine ed effetto di construire una Cappellania mera Laicale = . Videndum quanti faciendum sit illud Sacerdotis Balducci testimonium de auditu referens a tribus fidedignis Sacerdotibus , cui deferendum censuit Episcopus; Et denique videndum an suffragium Episcopi in rem præsentem versantis æquius esse suadeat Chori servitium retinere, Sacrorum numerum minuere. Rem prudenti judicum arbitrio committendam censuit *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 23. , & quando grandis præscriptus est Sacrorum munerus (uti hic pro qualitate Legati) piaculum non esse illa minuere , ut alia pietatis opera exerceantur , docuit *Dominicus Soto in* 4. *Sent. dist.*45. *quæst.*2. *art.* 3. , qui rem hanc expendit in casu præceptarum a testatore Missarum , jussæque pariter ab eo distributionis eleemosynæ in pauperes .

Placeat EE. VV. respondere Dubio .

An , & quommodo sit providendum in casu &c.

Esse providendum reductione Servitii Choralis ad dies festos de præcepto , & ad feriam IV. V. VI. , & Sabbatum Majoris hebdomadæ .

ASCULANA DISPENSATIONIS . Ad vacantia per obitum Æmigdii Luciani tria Beneficia simplicia, quorum duo patronatui subsunt familiæ Luciani , tertium vero Rev. Cameræ Apostolicæ pro medietate , & pro medietate altera ejusdem familiæ Luciani , hodiernus patronus Joseph Luciani uti , & R. P. D. Thesaurarius sub spe dispensationis Apostolicæ super infantili ætate præsentarunt bimum patroni filium Gasparem . *Sess.*23. *cap.* 6. *de Reform.*

Jam vero quoniam expensę pro Bullarum expeditione super dictæ ætatis dispensatione nimium patrono præ sua paupertate molestæ essent , ut testatur Asculanus Episcopus , qui luculentum perhibet de nobilitate simul , & de paupertate familiæ testimonium , hinc concedi sibi administrationem postulat redituum prædictorum Beneficiorum tamdiu duraturam quamdiu filius ad annos 14. , ætatem scilicet ad assequenda Beneficia etiam laicalis juris patrona-

tus necessariam, pervenerit adimpletis per alium oneribus, quae iisdem incumbunt.

Episcopus instantiae impensissime favet. Revera S. Congregatio adeo patronis semper indulsit, ut eis permiserit etiam pueros ad patronalia Beneficia nominare. In *Vercellen. 9 Julii* 1765. legere est collecta in hanc rem responsa a puero decenni usque ad puerum bimum. Concessit etiam cum de Cappellania Laicali res est, seu de Legato pio Missarum suspensionem ipsiusmet Cappellaniae administrationemque patrono dedit, ut se exhibere posset *in Nullius S. Michaelis de Clusa* 2. *Decembris* 1775., & 30. *Martii* 1776. In beneficiis quoque patronalibus egenti patrono non raro administrationem elargita est impletis oneribus, & deputato Ecclesiastico administratore. In *Segovien. Cappellaniae* 17. *Novembris* 1731. tertio loco quaerebatur = *An potius consulendum sit SSmo pro gratia, ut d. Franciscus Alphunsus possit Cappellaniam retinère non ex eodem priori titulo beneficii, sed ex novo titulo administrationis Laicalis cum facultate percipiendi fructus, & adimplendi Onera Missarum per alium donec aliquis ex ejus filiis possit eam obtinere in titulum* = Sac. Congregatio respondit = *Affirmative in casu de quo agitur*, & novissime *in Vercellen. proposita per Summaria precum* 26. *Novembris* 1785. in qua de beneficio agebatur cujus fundator etiam infantem voluerat esse capacem, & patronus ex recenti conjugio sperare masculum poterat favore dicti pauperis patroni rescripsit = *Pro gratia suspensionis ad triennium arbitrio Emi Episcopi, deputato interim Ecclesiastico admininistratore, qui satisfactis oneribus residuum Oratori consignet facto verbo cum SSmo*. Quae omnia ex ea fluunt canonica aequitate, quae indigenti patrono succurrendum esse jubet *Can. contra* 26., & *Can. quicumque* 31. *quaest.* 7., & *cap. nobis de jurepatr.*

Obstare videretur quod hic de uniendis agitur in uno individuo tribus beneficiis. Quidquid autem olim disceptatum fuerit, recepta hodie Sententia est, quod etiam in beneficiis jurispatronatus unio haec ferenda non sit tanquam primigeniae beneficiorum naturae, canonicisque sanctionibus contraria *cap. de multa de praebend.*, & *Trident. Sess.* 24. *cap.* 17. *de Reform.* late *Barbos. ad Conc. Trid. ad cap.* 17. *num.* 8., & *jur. Eccles. univ. lib.* 4. *cap.* 12. *numer.* 180. *aliique relati ex Piton. disc. Eccl. la* 42. *num.* 7.. Et quod licet habenti unum insufficiens concesserit Episcopo Conc. Trid. loco citato alterum beneficium conferte,

re, tertium tamen, utcumque omnia sint insufficientia, sine Apostolica dispensatione dari omnino non potest, ut ex S. C. Sententia docet *Fagnan. in cap. cum jamdudum* 18. *de præbend. num.*71. *qui* refert sæpe S. C. respondisse = *Episcopum habenti unum simplex beneficium, quod non sufficiat ad ejus sustentationem posse aliud simile conferre, sed non posse ultra duo absque dispensatione Sedis Apostolicæ, etiamsi omnia simul ad illius sustentationem non sufficiant*. Et in præcisis terminis beneficiorum jurispatronatus definivit hic amplissimus Ordo *in Bitecten.* 6. *Decembris* 1721. in qua cum secundo loco dubitaretur = *An obtinens duo beneficia sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus Laicorum minime sufficientia ad congruam sustentationem possit retinere tertium, & quartum de jurepatronatus Laicorum absque dispensatione Apostolica in casu &c.* Respondit = *Negativè, & ad mentem* =.

Sed quamquam inexplorata sit horum beneficiorum qualitas scilicet an eorum unum aut alterum honestæ exhibitioni sufficiat, ex loci tamen qualitate coniicere est imparia illa esse. Retinendum quoque est quod licet præsentationes factæ fuerint coram Episcopo, & reservata Apostolica dispensatio quoad ætatem tantummodo pueri ad beneficia nominati, tamen res hodie ad Summum Pontificem devoluta est, cui porrectus fuit a patrono Supplex libellus pro obtinenda beneficii administratione quousque nominatus ad annos quatuordecim perveniat. Ipsæmet autem Canonicæ leges, quæ hanc pluralitatem interdixere, casum dispensationis ab Apostolica Sede ac legitima causa obtinendæ exceperunt *d. cap. de multa* 28 *de Præbend.* = *cum ratio postulaverit per Sedem Apostolicam poterit dispensari*. Testis autem est Episcopus non desiderari in casu legitimas indulgentiæ causas = *Id quod* (sunt verba Episcopi) *promereri certe videtur attenta Domus paupertate, aucta insuper tum a morte fratris, quam etiam a lethali morbo ipsius Oratoris, quia eo perductus est ut necesse fuerit ob profligatam ex passo morbo valetudinem quæstuosum officium dimittere ex quo indigenti domui non leve obveniebat emolumentum*.

R. P. D. Thesaurarius qui & ipse nominationi unius ex dd. Beneficiis accessit die 19. Septembris anni 1775. clausulam adjecit resolutivam nempe quod nisi infra trimestre dispensatio ab Apostolica Sede impetraretur, liceret illi alium denuo nominare. Sed quatenus Emi PP. annuendum censerent Oratoris instantiæ, mandare quoque Se-

cretario poterunt, ut prius R. P. D. Thesaurarii voluntatem exploret, velit nec ne reservata uti facultate.

Quæritur.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro concessione administrationis redituum trium beneficiorum quousque nominatus perveniat ad annos quatuordecim in casu &c.

Consulendum Sanctissimo, ut attenta paupertate Oratoris committatur Episcopo deputatio administratoris Ecclesiastici trium Beneficiorum qui satisfactis oneribus residuum Oratori consignet usque dum nominatus ad legitimam ætatem pervenerit.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

CONSENTINA IRREGULARITATIS. In Congregatione diei 30. Julii superioris anni proposita fuit instantia Sacerdotis Augustini Frezza pro dispensatione ab Irregularitate in quam inciderat quia ut fratrem suum defenderet, Nuntiatum Juliani interfecit. Postulavit alias idipsum nempe die 8. Maii anni 1784. cum vix quatuor annos impositæ pœnæ exilii ad vicennium exegerat, sed rejectus fuit eo rescripti genere, quod erat veluti arrha futuræ gratiæ nimirum = *Supplicet expleto exilii tempore* = Iterum post tres & ultra menses institit sui Ordinarii testimonio suffragioque suffultus, sed perstiterunt in sententia sua Eminentissimi PP., & die 11. Septembris dicti anni responderunt = *In decretis sub diem* 8. *Maii currentis anni* = Non immerito dubitans rem contra ejus vota cessisse quia nec consumpta, nec deleta erat exilii pæna exhibuit in Congregatione anted. diei 30. Julii anni elapsi Archiepiscopi decretum, quo ab exilii pæna absolvebatur. Nihilominus Dubio quod proponebatur *an sit locus dispensationi in casu &c.* rati sunt Eminentissimi PP. dandum esse responsum = *Negative*, *& expectet* = Quamquam eo responso spes iterum data est proximæ indulgentiæ, nihilominus accedit quod hodie Archiepiscopus non tam de congruitate gratiæ testimonium perhibet in novissimis litteris die 15. Aprilis ad S. Congregationem datis, quam pro ea intercedit & precatur, vademque se & sponsorem esse dicit quod EE. VV. benignitas in immeritum non cadet Sacerdotem. Audire præstat laudati Antistis verba =

Tan-

Tanta est EE. VV. in me benignitas ut rogare non dubitem & vestram obtinere protectionem favore infelicis, & pauperrimi Sacerdotis meæ Consentinæ Diecesis Augustini Frezza. Postulat ille apud istam S. Congregationem habilitationem ab irregularitate per eam incursa ob homicidium prout ex attestatione mea manu subscripta & ex relatione ad EE. VV. per me transmissa. Preces nunc meas humillimas addere existimo enixe rogans ut quam citius solari dignentur præfatum miserabilem Sacerdotem, qui cæteroquin dignus sacro est Ministerio; QUOD IN ME RECIPIO.

Resumpto itaque Folio Congregationis diei 30. Julii anni 1785. definiendum hodie est,

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Attentis peculiaribus Archiepiscopi precibus pro gratia, peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua Domo religiosa arbitrio Archiepiscopi, & dummodo non celebret in loco commissi delicti per Bullas.

NICIEN, SEU TURRITANA MATRIMONII. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* Proposita fuit hæc causa in Congregatione diei 11. Martii currentis anni. Duo in disceptationem veniebant, nempe *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.*, & quatenus negative = *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione matrimonii rati, & non consumati in casu &c.* = Respondit Sacer hic Senatus *ad primum Provisum in secundo* = *Ad secundum affirmative.* Ad novum examen eadem hodie quæstio revocatur. Antequam ea denuo proponeretur petiit Isabella Petit tum facultatem examinandi formiter testes, tum aliam qualemcumque provisionem qua comparare sibi pleniora jura uberioresque probationes posset ad impugnandum S. hujus Congregationis sensum. Sed non aliud decernere potui quam ut illa suam hanc qualemcumque instantiam in S. Congregatione proponeret occasione qua de negocio principali confirmando scilicet vel infirmando jam lato judicio agendum erat. Itaque definiendum hodie est.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

DER-

Sess.6.cap.4.de Ref., sess. 25. cap. 13.de Regular.& cap.6. de Reform.

DERTHONEN. TRANSACTIONIS = Actum est de hac causa in Congreg. diei 10. Septembris 1785. sed distractis in æquas partes EE. PP. suffragiis ampliata definitio fuit per rescriptum *Iterum proponatur*. Hodie denuo proponitur novis ut ajunt hinc inde suffulta præsidiis quæ faciliorem resolutioni viam parabunt. Placeat igitur EE. VV. assueta maturitate, & sapientia respondere Dubio dudum a Partibus concordato in hæc verba.

An sit sustinenda transactio, seu conventio inita anno 1769. *in casu &c.*

Affirmativè.

Sess. 21. cap.4. de Reform.

CARPENCTORATEN. DISMEMBRATIONIS. In Congregatione diei 30. Julii superioris anni proposita fuit hæc Causa in quinque Dubia divisa. Quærebatur primo loco = *An sit locus additioni quarti Præsbiteri in Ecclesia Parochiali oppidi Montilii*=Eique responsum fuit= *Negative, & amplius* = Dubitabatur secundo loco = *An & cujus sumptibus sit ei assignandum stipendium* = prodiitque consentaneum rescriptum = *Provisum in primo* = Tertio loco disceptabatur = *An quomodo & quo in loco territorii les Palus sit erigenda Cappella seu Ecclesia Succursalis* = & Sacra Congregatio respondit = *affirmative juxta votum Archiepiscopi* = In quarto dubio quærebatur = *An, quibus mediis, & cujus expensis sit construenda Cappella seu Ecclesia succursalis ac Domus pro habitatione Præsbiteri Cappellani, nec non subministranda Sacra supellectilia, & respective manutenenda* = Itemque in quinto = *an quibus modis, & cujus expensis sit persolvendum stipendium eidem Præsbitero, & in qua quantitate* = Atque hisce duobus postremis dubiis datum est responsum = *Ad quartum, & quintum dilata* =

Hisce met autem duobus Dubiis in Congregatione diei 21. Januarii currentis anni EE. VV. judicio suppositis nulla capta resolutio fuit cum proponi causa nequiverit. Sed die sequentis mensis Februarii EE. VV. primo ex dictis dubiis responderunt = *Affirmative in omnibus sumptibus Monasterii* = Secundo autem = *Affirmative in omnibus*

sum-

sumptibus Monasterii juxta taxam præscriptam in Constitutione Sanctissimi anni 1778. = Eædem hodie quæ in hisce postremis Dubiis proponebantur quæstiones expendendæ sunt. Resumptis itaque dictarum Congregationum foliis solitaque sapientia & maturitate perpensis quæ hinc inde afferuntur juribus placeat EE. VV. definire.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam post proximam, & proponatur etiam unica, & ad mentem, & mens est quod Episcopus statim provideat de idoneo Cappellano pro incolis Loci *les Palùs* sumptibus Monasterii.

FERETRANA LEGATI = Parochus Joannes Maria Mini hæredem scripsit ex asse in nuncupativo quod condidit testamento nepotem hac addita declaratione = *Con questa dichiarazione però che le robbe di mobilie, cioè panni di dosso, biancaria, casse, tavolini, ferrami esistenti di mie ragioni nelle Case Parochiali di S. Leo*, hic oratio intercipitur a marginali nota in hæc verba = *Con tutt'altro che trovasi di mie ragioni, e che passi sotto il nome di mobilio* = Mox prosequitur = *si facciano stimare da persone perite, indi si vendano e col prezzo si facciano celebrar tante Messe &c.* *Sess. 25 cap. 4. de Reform.*

Putat hæres Legato non contineri nisi ea mobilia quæ species expressas vel eas quæ expressis analogæ sunt, complectantur, nunquam vero libros, vinum, frumentum, ceram, oleum, & si quæ sunt hujus generis alia. Contrarium censet Episcopus: Utrique conveniunt ut res S. hujus Congregationis supremo judicio definiatur.

Si de prima suprarelatæ orationis parte agatur cum post nomen generis *le robbe di mobilie* per particulam *cioè* certæ pluresque designatæ fuerint species *panni da dosso, biancarie, casse, tavolino, e ferrami* dubium haud videtur quin statim sese exerat regula genus contrahens ad species expressas. *In l. hæres meus* 100. *§.* 2. *ff. leg.* 3. agebatur de omni marmore legato, & Javolenus refert Labeonem probasse Castelli sententiam qui contra Ofilium, & Trebatium putavit non omnes deberi statuas quæ sub Legato genere marmoris continentur, sed duas tantum nominatim expressas. *In L. cum de Lanionis* 18. *§. cui fundum ff. de*

de instruct. & instrumen. Legat. quæstio erat de fundo instructo legato certisque designatis mancipiis; refert autem Paulus = *Cassius ait responsum esse tametsi mancipia instructi fundi sint, tamen videri eos solos legatos qui nominati essent.*

Quidquid secus dicendum foret si species generi subjecta genus ipsum destrueret, puta quia tantæ esset arctitudinis ut genere ad eam contracto stare illud amplius non posset; quemadmodum ex sententia Papiniani refert *Ulpianus in leg. quæsitum ff. de instruct., & instrumen. legat.* = *Si quis fundum ita ut instructus est legaverit, & adjecerit cum supellectili vel mancipiis vel cum aliqua re quæ nominatim expressa non erat, utrum minuit legatum adjiciendo speciem vel non: & Papinianus respondit = non videri minutum sed potius ex abundanti adjectum* =

Rem totam, & utrumque casum bene declarat *Averan. interpret. jur. lib.3. cap.22. num.6., & 7.* = *Tertia regula est si testator plures species generi adjecerit, illæ genus coercent adeo ut genus ad illas species redigatur, & ipsæ solummodo debeantur. Exemplum nobis suppeditat Paulus in leg. cum de Lenionis &c. vides hic tot species enumeratas fuisse, quæ totum fere genus absorbeant; itaque præsumi non potest aut eas ex abundanti adjectas fuisse, aut testatorem ignorasse, ea legato genere contineri. Hanc regulam plane perspicueque indicat Ulpian. in leg. quæsitum. Observo hic ab Ulpiano proponi vel unam tantum speciem adjectam velati supellectilem vel mancipia, vel unam aliquam rem, non autem has omnes species cumulatim adjectas fuisse, sed unam aut alteram tantummodo, itemque non plures res expressas fuisse. Atque id ideo quia aliter responsus fuerat si plures species cumulatim expressæ fuissent.* = Omnino ad rem *Rota in Bononien. Locationis* 14. *Januarii* 1780. *§.9., & 10. cor. bo. me. Litta, & in confirmatoria 26. Junii ejusdem anni §.7. cor. eodem.*

Si autem marginalis nota expendatur = *con tutt' altro che truovasi di mie ragioni, e che passi sotto il nome di mobilie*; cum iis quæ in corpore testamenti subsequuntur quærendum imprimis est quantum ei apostillæ deferre oporteat utcumque scriptæ eadem manu qua totum testamentum non tamen a testatore, vel a notario subsignatæ, & approbatæ. Neque enim generalis subscriptio testatoris in testamento aliena manu exarato, aut pedisseque Notarii recognitio quoad eamdem generalem subscriptionem facta trahi etiam ad hanc marginalem notam

posse

posse videretur ut notat *Rocca discept. Jur.* 35. *num.* 30., *& seqq.* = *Requirebatur vel subscriptio vel approbatio Notarii ad confirmandam apostillam : Neque generalis subscriptio , & apprrbatio potest extendi ad roborandam fidem Apostillæ additionalis , quamvis probetur illam fuisse scriptam ab eo qui scripsit integrum corpus Codicillorum* .

Ast præterea , & illud considerandum est quod etiam nomen generis si pluribus subjiciatur speciebus , & in eadem omnino oratione , ad eas contrahitur hoc necessario quodammodo exigente mutua inter utrumque relatione. Casum *vini amphorarii* legati ponit Labeo pluriumque subjectarum specierum ; mox additum supponit genus nempe = *& dulcia omnia* , *&* nihilominus ad dulcia esculenta utcumque sub genere contenta extendi Legatum negat in *leg.fin.ff. de tritic.vin.*, *& ol. legat.* = *Quod si ita legatum esset vinum amphorarium, Aminæum,Græcum, & dulcia omnia nihil inter dulcia nisi quod potionis fuisset legatum putat Labeo collatione vini amphorarii quod non improbo* = *Bene Averan. interpret. jur. lib.* 3. *cap.* 24. §. 11. = *Quinta regula species restringit genus quoties utrumque conjunctim exprimitur in eadem oratione ita ut alterum ad alterum referatur . Exemplis clarissimis illustrabo . Primum , & quidem singulare exemplum peto ex leg. ult. Genus illud = dulcia omnia = continet tam esculenta quam poculenta : Tamen quia dulcia simul cum vinis legata sunt , & dulcia conferuntur cum vino , solum continentur in hoc legato dulcia poculenta . Et quod maxime animadvertendum est illud restringit , etiamsi fuerit adjectum verbum universale = omnia = Rota in Urbinaten legator. in specie* 2. *Aprilis* 1753. §.8. *cor. clar. mem. Card. Bussio* .

Quibus consequens esset quod si verba quæ marginalem notam antecedunt, ad eas coercenda sunt species , quæ distincte , & singillatim in præcedenti orationis parte enumerantur , ad has quoque cohiberi debeat marginalis additio in eadem oratione contenta ; inspecto præsertim verbo *mobilie* quod in vulgari potissimum sermone mobilia ad instruendam domum destinata comprehendit,non ea quæ sub appellatione penu continentur . *Valent. de ult. volunt. vot.*26. *num.*12. = *Quo (communi loquendi usu) in subjecta materia spectato certum est nomine mobilium domus nonnisi supellectilem, & utensilia domus intelligi* = Et præiverat *Spada conf.*294. *num.*1. = *Non credo quod in hoc legato comprehendatur nec vinum nec oleum nec li-*

gna nec salsamenta nec fænum nec blada quia hoc legatum est restrictum = alli mobili, e robbe del Palazzo = Sicut enim in lingua latina supellectilia domus sunt diversa a penu ut constat ex duobus diversis titulis de penu legata , & de suppellectili legata , ita in vulgari sermone = i mobili , e le robbe del Palazzo = sunt quid diversum = Dalle provisioni del palazzo =

Neque ullum hic habet locum piæ causæ favor qui toties cessat quoties non de solemniis , sed de voluntate dispo- nentis quæstio est : Præ cæteris *Rota in Romana Legati* 28. *Junii* 1779. *§. fin. cor. R. P. D. Origo = Nullum autem piæ causæ privilegium competit , ubi in dubitationem venit perfecta , & absoluta disponentis voluntas , & reipsa facta dispositio*.

Non dissimulandum tamen Episcopo re ut inquit mature, & diligenter perpensa , auditis etiam jurisperitis exploratum videri quod hæc omnia de quibus sub infrascripto Dubio disputatur sub nomine mobilium compræhendantur ; neque hic de ampliatione agi sed de interpretatione voluntatis quo sub adspectu levis non est piæ causæ favor . Addita demum *tanto più che mi sono informato prendersi promiscuamente in Carpegna le parole* = Mobili = *e* = Mobilia = *che ne dica in contrario il Silvestrelli* =; est hic Silvestrelli pubblicus dicti loci Notarius .

Dubium est ,

An frumentum , vinum , oleum , cera , libri , & alia ejusdem generis compræhendantur sub legato in casu &c.

Non proposita cum sequenti .

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

SABINEN. IRREGULARITATIS . Vix Federicus Petrocchi Sabinen. vidit quemdam Stephanum de Silvestro adeuntem domum Archipresbiteri Francisci Seraphini die 6. Januarii 1780., continuo dixit elata voce = *mo si va in gabinetto*; qua de re leniter a dicto Archipresbitero objurgatus fuit. At eodem die ad vesperam declinante idem Petrocchi dicto suo Archipresbitero obviam occurrens aliâ in eum contumeliosa verba protulit = *Se fossi buon Arci-*

pre-

prete ſtareſti in caſa tua = Ad hæc excanduit Archipresbiter, dixitque *ſe vuoi niente vieni su*, atque alter repoſuit *ſe vuoi niente vieni giù*. Nec multa; deſcendit Archipresbiter, Petrocchius eum cultro ſemel, & iterum ſauciat, magnaque ira tunc percitus Archipresbiter Petrochium ictu ſclopeti ad mortem percuſſit.

Confeſtim Archipresbiter aufugit, Archipresbiteratum renunciavit, & poſt emenſos quinque annos Emum Epiſcopum exoravit pro venia quæ illi conceſſa fuit obtento prius conſenſu partis offenſæ, & completis triginta diebus ſpiritualium exercitationum in religioſa domo; juſſum tamen eſt ut quoad irregularitatem uteretur jure ſuo.

Stat ergo nunc coram Sac. Congregatione idem Archipresbiter pro diſpenſatione irregularitatis. Rogatus ut moris eſt Emus Epiſcopus narrata confirmat. Quoad Oratoris mores eos, dum ſuum Archipresbiteratum retinebat, ait *non ita bonos fuiſſe, ut populus imitari* poſſet; poſtquam vero in patriam rediit *bonitatis ſpecimen præbere* ut Parochus, & Comunitas ejus loci teſtantur, & concludit dignum ſibi Oratorem videri cujus inſtantiæ auſcultetur.

Revera homicidium cui Sac. Tridentinum Concilium ita adverſatur ut omnem pene ſpem obtinendæ diſpenſationis a contracta ob id irregularitate adimere videatur, illud eſt quod *per induſtriam, per inſidias, & ex propoſito commiſſum fuerit* quemadmodum ipſa Tridentini verba præſeferunt, & tradunt *Vaneſpen. jur. Eccl. tom. 1. part. 2. tit. 10. cap. 8. num. 25., Barboſ. de offic. Epiſc. part. 2. allegat. 39. num. 49., Garzia de Beneficiis part. 7. cap. 11. num. 44.*, ibi = *Concilium reſpicit homicidium per induſtriam, per inſidias, & ex propoſito*.

Ex his autem quæ in facti narratione expoſita ſunt, patet non agi hic de homicidio *per induſtriam, per inſidias, & ex propoſito*. Atque ulterius Conciliaris ſanctio promovendos ſpectat non autem promotos ut Sac. Congregatio ſub ſa. me. Paulo V. coram Eodem convocata definivit referente *Fagnan. in Cap. Henricus de Clericis pugnantibus in duello*, jugiterque poſtea Sac. hæc Congregatio obſervavit.

Neque momentoſa videri poteſt exceptio infamiæ ex patrato delicto ortæ; hæc enim ſi ſeparatim ab homicidio conſideretur infamia facti eſt non juris, quæ proinde ex facto ipſo tollitur, conſtanti nimirum emendatione quam plurimi DD. ſatis eſſe judicant, ſi fuerit ad triennium am-

pliata *Abb. in cap.*21. *num.*2. *de accusat. Silvester verbo infamia num.* 11., *Antonell. de Regim. Eccl. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 17.

Cæterum partes erunt EE. VV. considerare satis ne amplum, & explicitum sit Emi Episcopi de emendatis Oratoris moribus judicium quod in ea verba conceptum est quæ supra adnotavi; Nec non an laudabili hujus Sac. Congregationis praxi satis congruat ut emenso utcumque quinquennio a patrato homicidio statim Orator in sua petitione audiatur.

Dubium est.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Die

Die Sabbathi 17. Junii 1786. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DEscribuntur primo loco tres Causæ, quarum priores duæ proponi in ultima Congregatione non potuerunt, tertia ex præcedenti Congregatione ad hanc de partium consensu dilata fuit. Mox aliæ sex ex ordine recensentur.

FERETRANA LEGATI.

An frumentum, Vinum, Oleum, Cera, Libri, & alia ejusdem generis comprehendantur sub Legato in casu &c. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Negativè.

SABINEN. IRREGULARITATIS: *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Negative, & expectet.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI. *Sess. 14. cap. 8. de Reform.*

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum proponatur,

BO-

Sess. 22. cap. 6. & Sess. 25. cap. 4. de Reform.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET TRANSACTIONIS. In testamento, quod anno 1755. Laurentius Morisi Notario Terræ S. Joannis in Persiceto patriæ suæ clausum consignaverat, erectionem in Collegiata ejusdem loci Ecclesia unius Canonicatus, & trium Mansionariatuum cum chori, & certarum Missarum obligatione, dotibus unicuique constitutis, factaque patronatus activi, ac passivi destinatione, præceperat. Cum autem, ea de re voluntatem suam, exoptasset, esse firmiorem, accersito iterum Notario, stipulatoque publico Instrumento sub Mensem Junium ejusdem anni, ad fundationem tum Canonicatus, tum Mensionariatuum, post annum ab obitu suo exequendum, cum quibusdam modificationibus processit.

Canonicatui dotem in libris 11000., & Mansionariis in libris 5000. cuilibet assignavit, canonicosque pro tempore, voluit, choro inservire, missamque quotidie celebrare in sui, suorumque Conjunctorum, & amicorum expiationem; pariterque Mansionarios eidem chori servitio addixit, binisque missis in eadem Ecclesia, & in qualibet hebdomada singulos oneravit.

Ad activum patronatum descendens, eosdem prædilexit, quos in testamenti tabulis nuncupaverat; quatenus vero illas revocaret, prout inde revocavit, Archipresbyterum Collegiatæ, & Priorem parochiæ constituit, perpetuos esse patronos, & electores. Nec oblitus passivi patronatus, sancivit, eos præferri, qui ex Morisiorum familiis essent, incolis tamen ejusdem terræ S. Joannis in Persiceto.

Hæc cum fundator absolvisset, obitus Uxoris successit; & quamquam octuagenario major, ad secundas migravit nuptias cum florenti, lectaque Puella Antonia Morisi quartum ætatis suæ lustrum vix attingente, quæ grandævo Seni tredecim supra annos morigeram, optimamque Uxorem se præstitit. Vt ergo grati animi monumentum eidem redderet, in postremo, cum quo decessit, testamento illam sibi hæredem nuncupavit, prioribus revocatis omnibus testamentariis dispositionibus.

Verum fundationis non immemor Canonicatus, & Mansionariarum, quam anno 1755. peregerat, eandem noviter confirmavit per publicum instrumentum, in quo tamen, generalitate prælationis deleta, quam omnibus Morisiæ gentis in fundatione concesserat, declaravit, Uxoris suæ fratres de Morisiis, eorumque descendentes in præfatorum beneficiorum consecutione præferendos esse, & iis

ſis conſumptis, præferendos pariter eſſe deſcendentes ab ejuſdem Uxoris Sororibus, eoſdemque invitavit ad medietatem activi patronatus, alia medietate favore Archipresbyteri relicta.

Defuncto poſt hæc Laurentio Moriſi, ſtatus hæreditarius oneribus impar compertus eſt. Cum enim Canonicatui, & tribus Manſionariis conſtituenda dos eſſet in libris 26. mil. nimirum in ſcutis 5200., ſtatus hæreditarius non excedebat uti tunc putabatur ſcuta 7712. 91. 4. compræhenſis tum nominibus debitorum infrugiferis in ſc. 2862. 91. 4. difficilis exactionis, tum binis patrimoniis Sacris, quæ tunc redire ad patrimonium poterant, cum Sacerdotes illorum titulo promoti aliter provideri obtinuiſſent. Accedebant de patronatu tum activo, quam paſſivo quæſtiones. Nam in poſtrema declaratione ſub annum 1776. confecta Fundator Priorem paræciæ ab activo patronatu depulerat, quæ ex fundationis inſtrumento una cum Archipresbytero Collegiatæ obtinebat; itemque ad paſſivum patronatum prædilexerat Moriſius Uxoris fratres, illorumque deſcendentes, cum ex oppoſito in priori fundatione omnes è gente Moriſia ſine diſcrimine nuncupaviſſet.

His de Cauſis cum abſtinere a fundationibus opportuiſſet, res primum œconomicè acta eſt coram Vicario generali Curiæ Archiepiſcopalis Bononiæ; Mox Sanctiſſimo D. Noſtro precibus porrectis ab Archipresbytero Collegiatæ, auditus fuit Eminentiſſimus D. Cardinalis Archiepiſcopus, qui ad cl. me. Cardinalem Giraud tunc Pro-Auditorem Sanctiſſimi relationem dedit ſuam, quæ circumfertur. Denique totum negocium huic Sacræ Congregationi decidendum dimiſſum fuit. Interea meliorem in lucem patrimonii vires venerunt compertæque ſunt aſcendere ad ſc. 8997. 37. comprehænſis nimirum debitorum exactionibus, ac alterius ex binis patrimoniis Sacris acceſſione. Ventum eſt idcirco ſub Apoſtolici beneplaciti reſervatione ad concordiam, cujus pro confirmatione intereſſe habentes ſupplicarunt.

Capita Concordiæ hæc ſunt: *primum*, quod Canonicatus, & unica Manſionaria erigantur iiſdem cum oneribus a fundatore præſcriptis: *ſecundum*, quod alia Manſionaria præbendæ theologali, cujus fructus, oneribus ſubductis, ſcuta sex non excedunt, uniatur cum iiſdem obligationibus a fundatore impoſitis, ſervatis tamen quoad collationem legibus Sacri Concilii Tridentini. *Tertium*, quod ſupprimatur tertia Manſionaria, ejuſque dos

in-

inter Canonicatum,&Mansionariam erigendam partiatur, ut Canonicus & Mansionarius æquum habeant obligationibus emolumentum. *Quartum*, quod hujusce supprimendæ Mansionariæ onera Missarum partim imponantur Mansionariæ erigendæ, partimque præbendæ theologali, ut supra, adauctæ, commutatis dumtaxat celebrationum diebus, quos fundator constituerat. *Quintum*, quod hac pro vice Sacerdos Hercules Morisi ad Canonicatum, & Sacerdos Fœlix frater illius adMansionariam præsentetur. *Sextum*, quod de activo, passivoque patronatu lex servetur, quam in declaratione anni 1776. fundator exposuit. Denique ejusdem fundatoris Vidua præservatam sibi facultatem voluit supplicandi pro suspensione tantum applicationis, de qua in capite secundo concordiæ, ut illius Mansionariæ reditibus uti fruique ipsa possit, adimpletis tamen Missarum oneribus, donec patrimonium sacrum, quod Sacerdos Antonius Morisi obtinet, ad fundatoris hæreditatem redeat.

His desuper rogatus Sententiam suam dicere Emus D. Cardinalis Bononiæ Archiepiscopus, concordiæ substantiam summatim refert, indeque prosequitur = *illud visum mihi est ab æquitate alienum, quod illa Mansionaria, quæ constare debet scutis mille dumtaxat, & Canonico Theologo ad ejus præbendam augendam adsignanda est cum onere a testatore præscripto duarum per hebdomadam Missarum, gravari etiam deberet tertia per hebdomadam missa, una scilicet ex illis, quæ adnexa est illi Mansionariæ, cujus medietas in transactione applicatur Canonicatui, & altera medietas primæ Mansionariæ. Itaque tum a D. Hercule, qui destinatur ad Canonicatum, tum a D. Fœce fratribus, cui conferetur Mansionaria, eo quo supra modo adaucta, assensum in scriptis accepi, ne Mansionaria destinanda theologo ultra præscriptum a testatore gravetur, reservato dumtaxat D. Herculi recursu pro obtinenda facultate, aut celebraudi per alium, aut liberationem ab onere impetrandi. Ex his igitur sic constitutis cum insigniter variata non remaneat testatoris voluntas in beneficiorum institutione, necessarium autem prorsus sit augumentum dotis tum pro Canonicatu, tum pro Mansionaria prima, de suffragiis verò præscriptis nihil omittatur, videntur mihi oratores non indigni gratia, quam humiliter exposcunt ab ista Sacra Congregatione intra tamen limites supra expressos; Maximè ex eo, quod Concordiæ tandem, atque appositis a me conditionibus unanimiter consenserint* =

Ad I. Nisi justa, & necessaria causa comperiatur accedere, vo-

voluntatum commutationes vetuit Synodus Tridentina. *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* Cauſa verum juſta, ac neceſſaria videtur, quæ a tenuitate dotium beneficiis conſtitutarum comparativè ad onera procedit; veluti in relictis pro Miſſarum celebratione obſervavit eadem Sancta Synodus *Seſſ.* 25. *cap* 4. *de Reform.* Utique in re præſenti dotium tenuitas non deficit, ſi velint inveſtimenta seligi in locis Montium. Sin vero in ſtabilibus, aut cenſibus fiant, non ita tenues reditus fortaſſis erunt, tam Canonicatus, cui dos ſcutor. 2200., quam Manſionariarum, quarum cuilibet ſcutorum mille dos eſt. Hinc videndum erit, num habita ratione unius, aut alterius inveſtimenti potius faciendi, habitaque ad onera proportione de dotium tenuitate conſtet, Obſervandum tamen, dotis augumentum tum pro Canonicatu, tum pro prima manſionaria omnino neceſſarium ab Emo Archiepiſcopo exiſtimari.

In libello, qui ex parte intereſſe habentium diſtribuitur, Sacerdotes Hercules, & Fœlix fratres de Moriſiis, pænituiſſe, profitentur, præſtiti in manibus ejuſdem Eminentiſſimi Archiepiſcopi conſenſus, ne theologalis prebenda Miſſarum partiali onere gravetur ultra onus uniendæ Manſionariæ a fundatore impoſitum, cauſantes obſequii gratia, non libere aſſentitos fuiſſe. Num ipſos juvare ſera pænitentia poſſit poſt conſensum ſcriptis redditum, EE. VV. judicabunt.

Ad II. Inficiantur intereſſe habentes, ſive illorum potius aliqui, impensas ad concordiam conciliandam, ejuſque obtinendam approbationem, ſubeundas eſſe ab pii fundatoris hæreditate; magiſque decere, ut ſuſpenſa miſſarum celebratione correſpectivi reditus in eam ſumptuum cauſam erogentur. Obſervetur autem oportet, Sacram hanc Congregationem ex Inſtituto ſapienter ſolere, potius, quam miſſarum Celebrationem, alia onera minuere. Hinc conſequi videretur, magis eſſe ſuſpendendam ipſorum beneficiorum erectionem, quam miſſas in animæ fundatoris expiationem deſtinatas. Quamquam nec redituum cumulus deeſſe debet in hanc diem confectus, niſi quantitativa omnis hæreditas ſit, aut ſumma ad fundationes neceſſaria depoſita fuerit. Tenebatur enim hæres, veluti Fundator promiſerat in ipſo fundationis inſtrumento, præſcriptas beneficiorum dotes inveſtire; ſique integra conficere inveſtimenta non potuerit, ex parte tamen potuiſſe, non dubitatur. Cæterum quoties res eſt, de ſumptibus ad voluntatis executionem neceſſariis, onus illorum ad teſtatoris hæreditatem pertine-

re videntur. Si namque impensæ a beneficiorum dotibus sive ab illarum fructibus subducendæ essent, jam beneficiis quid minus eo, quod testator contulit, concederetur. Videri in proposito possunt Resolutiones in *Eugubina Canonicatus* 7. *Julii* 1770. *in Thes. Resol. tom.* 39. *pag.* 173. *in Ariminen. Reductionis* 13. *Martii* 1773. *in Thes. resol, tom.* 42. *pag.* 47., & *in Fanen. Subsidiorum dotalium* 9. *Aprilis* 1785.

Dubia, quæ proponuntur, sunt.

I. *An sit locus commutationi voluntatis, itaut sit confirmanda transactio.*

II. *An, quomodo, & a quibus subeundæ sint expensæ pro conficienda transactione, ac obtinenda voluntatis commutatione usque ad plenam illius executionem in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, dempta suppressione tertiæ mansionariæ.

Ad II. Expensas omnes subeundas ex fructibus decursis, & deinde a Beneficiis erigendis, prout de jure.

Sess. 21. *cap.* 8. *Sess.* 22. *cap.* 3., *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

ALBEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. Collegiata Civitatis Clebæ Alben. Diæcesis ex undecim componitur Canonicis quorum præbendæ adeo tenues sunt ut dispensationem ab applicatione quotidianæ Missæ Conventualis postulare quodammodo cogatur. Episcopus singulorum Canonicatuum reditus, & onera describit, & quidem Archipresbiteratus in Libell. Pedemontis 358.; exceptis incertis Parochialibus, & oneribus detractis: Primæ Canonicalis præbendæ reditum in libel. 350.. onera in libel. 255. secundæ reditum efferri dicit ad 390., onera ad 70. Tertiæ reditum ad 260. onera ad 230. Quartæ reditum ad 254., onera ad 6. Quintæ reditum ad 224. onera ad 571. Sextæ reditum ad 139. 11,, onera ad 10. Septimæ reditum ad 200., onera ad 61. Octavæ, & nonæ reditum ad 400, onera ad 52. Decimæ reditum ad 300, onera ad 35.

Cum

Cum nuper ex pontificio Indulto præbendæ illæ demptis nonnullis, regio censui per quindennium suppositæ fuerint, in sententia foret Episcopus, ut per idem quindennium concederetur Oratrici licentia limitandi applicationem Missæ Conventualis ad dies festos tantum.

Antiqua admodum est, & bene multis confirmata Canonibus Missæ Conventualis obligatio in qualibet Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia peragenda, ut præ cæteris constat *ex cap. Cum creatura de celebrat Miss.* Ea enim tamquam officii divini pars semper habita est *Can. de his dist.* 12 *Gloss. in Clem.* 1. *de Celeb. Mis.*; Omniaque veluti resumpsit Sa. mem. Bened. XIV: in *Encyclica*, cum semper oblatas. Ea enim non solum obligationis originem gravitatemque recensuit, non solum eam nova veluti auctoritate firmavit, sed etiam difficultatibus quæ hac in re exoriri possent luculenter occurrit. Inter hæc meminit præbendarum tenuitatis: Eo autem in casu remedia proponit a *Conc. Tridentino Sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.* constituta: Quod si neque ea præsto esse possint, Sacram hanc Congregationem adeundam esse monet, quæ, expensa paupertate, reductionem ad dies tantum festos indulgere haud raro solet.

Non desunt hinc exempla hujus indulgentiæ, ut *in Narnien.* 11. *Junii* 1712., de qua *in libro* 62. *dec. fol.* 211., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722., in qua proposito Dubio = *An, & quæ exemptio, sive a celebratione, sive ab applicatione Missæ Conventualis iisdem attenta Præbendarum tenuitate sit indulgenda* = Respondit S. C. = *Posse indulgeri, ut Missas applicent diebus tantum Festis de præcepto* = Et *in Spoletana* 5. *Dec. ejusdem anni* Dubio eodem modo efformato rescripsit = *Pro gratia quoad applicationem tantum* = & *in Veliterna* 14. *Martii* 1722.; Aliæ ibidem subsequutæ sunt conformes usque in hanc diem resolutiones, ut *in Amerina* 12. *Martii* 1746., *in Alexandrina* 23. *Novembris* 1776., *in Placentina* 1. *Martii* 1777., *in Telesina* 19. *Julii* 1777., *in Placentina* 30. *Junii* 1785., & *in Setina Chori*, & *Missæ Conventualis* 21. *Januarii currentis anni*.

Sunt nihilominus rigidiores DD. qui neque in casu tenuitatis præbendarum temperandam esse putant obligationem applicationis Missæ Conventualis. Horum in numero est *Monacell. tom.* 1. *in append. ad Dec. de celeb. Miss. num.* 12. affirmans quod non obstante redituum tenui-

nuitate Missa Conventualis, & celebranda, & applicanda sit, & consentientem allegat *Fagnan. in Cap. ut Abbates num.*82. *de ætat.*, *& qualit.* aliaque Sac. Congregationis Decreta. Erit ergo prudentiæ, & doctrinæ EE. VV. decernere.

An sit concedenda reductio applicationis Missæ Conventualis ad solos dies festos in casu &c.

Affirmative ad dies Festos de præcepto juxta Votum Episcopi quoad applicationem tantum.

*Sess.*25. *cap.* 2. *de Reform.*

FABRIANEN. APERITIONIS ORIS, ET ADMINISTRATIONIS. Quamvis unanimes anno 1765. Sorores Ursula, & Angela Gratiosi per ultimam voluntatem favore trium Locorum piorum Civitatis Fabriani disposuissent. Angelę tamen post Rosaliæ obitum secus visum est. Nam per actum irrevocabilem omnia bona sua Pronepoti Jacobo Zucchi, Pharmacopolæ Tabernam in Urbe exercenti, donavit, uno dumtaxat Prędio excepto = *Rapara* = quod ad Testamenti factionem sibi reservavit.

Angela mox defuncta, plures enatæ sunt judiciales disputationes. Loca Pia ex jure primi Sororum Testamenti agebant. Monachus Sylvestrinus Fidelis Frattini ex antiquiore fideicommisso Joannis Baptistæ Graziosi. Jacobus Zucchi ex eodem fideicommisso, tum ex præfata Angelę donatione. Clara denique Vecchiarelli jura quoque sua proponebat, veluti hæres instituta in postremo, cum quo Angela decesserat, Testamento, Sed & lis alia superaccessit a Joanne Paulo Baroni in Jacobum Zucchi coram A.C. mota super Apochæ observatione, & executione, in qua Zucchius remunerationis gratia, nonnullis tamen sub conditionibus, medietatem bonorum ex jure dicti fideicommissi recuperandorum eidem cesserat.

Primas controversias Sacra Rota definivit *in decis. Fabrianen. Manutentionis super Bono Jure* 26. *Junii* 1782., *&* 3. *Februarii* 1783. *coram R. P. D. Sentmanat*, ac subsecuta inter partes concordia compescuit. Alteram A.C. decisit, edito favore Joannis Pauli Baroni judicato, a quo ad ejusdem Rotæ Tribunal querela appellationis delata est, & hactenus pendet.

Summa rei fuit, quæ ad præsentem attinet quæstionem;

Mo-

Monacho Fideli Fratino fideicommissaria bona Joannis Baptistæ Graziosi adjudicata fuisse. Cum is ergo huic Sacræ Congregationi preces porrexisset, ut per se ipsum administrare bona posset, SSmus Dominus Noster, audita Procuratoris Generalis, & Emi D. Cardinalis Carrara, laudatissimi Antecessoris mei, relatione, mandavit, bona per Jacobum Zucchi in fideicommisso substitutum, vita Monaci durante, ministrari; adjecta eidem obligatione idoneè covendi de fideli administratione, & oneribus adimplendis, deque reddenda ratione, solvendisque Abbati S.Benedicti Fabriani annuis reditibus. Sed cum advertisset Monachus suarum errorem precum, in quem inciderat, ob factam Monasterii S. Benedicti, in quo moratur, mentionem, omissamque suæ filiationis expositionem erga Monasterium S. Sylvestri Montis Fani, iterum supplicavit, ut quæ in rescripto favore Monasterii S. Benedicti jussa fuerant, declararentur favore alterius Monasterii S. Sylvestri; & juxta preces eidem annuit S. Congregatio = *Servata tamen in reliquis omnibus forma præcedentis Rescripti* =.

Rebus huc perductis, tam Joannes Paulus Baroni, quam Monachus Fratini ad SSmum Pontificem querelas detulerunt suas de bonorum administratione Jacobo Zucchi collata, exponentes, quod sicuti Sac. hæc Congregatio rem perpendere abnuebat, non obtenta prius adversus Sacratissimum Rescriptum aperitione oris, ita facultates eidem delegare dignaretur. Uterque ex Voto gratiosè obtinuit. Idcirco bina, quę infrascripta sunt, partibus convenientibus, concordata dubia fuerunt, primum de aperitione oris, & alterum de administratione.

Ad I. Vix ad Cautelam aperitione oris indigere defendunt tum Monachus Fratini, tum Joannes Paulus Baroni. Quoties etenim, & clausula = *Sublata* = in Rescripto deficit, & imo Summus Pontifex utrumque Oratorem Sac. Congregationi remisit *cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis*, toties aperitionem oris concessisse videtur; Veluti cum ibidem allegatis firmat *Piton. discept. Ecclesʃ.* 108.*num*.2.

Sin autem de jusia perquirendum caussa sit, cur deceat aperitioni oris accedere, non illam, inquiunt, desiderari. Plurimam siquidem Baronius læsionem passus est, quod uni Zucchio bonorum ministratio data fuerit, stat imac post obitum Monaci Fratini non unicus Successor Zucchius est, sed bonorum medietatem Baronius consequi debet ex ipsius obligatione, quam exequendam esse,

A. C.

A. C. judicavit per decretum definitivum, ac Sententiam adversus exceptiones, cui, non obstante appellatione, præsumptio justitiæ favet, donec revocetur. Magis vero læsum ex Monaci jure Monasterium fuit. Quem quippe latet, substituto non nisi post gravati obitum ad successionem jus aperiri? *Rota in decis.* 193. *num.* 1. *coram Tanara*, *& in Faventina Immissionis* 8. *Martii* 1784. §. 4. *coram R. P. D. Flangini*. Cum autem ex Rescripto collata fuerit Zucchio administratio bonorum, quæ possessionis pars est, jam præmaturè substitutus in possessionis partem inductus veluti fuit; jamque Monasterium juris imminutionem sui graviter passum est.

Ad II. Nullam, ajunt, œconomicam rationem ferre posse, quod Zucchius Romæ degens, bona, quæ Fabriani sunt, administret. Non ita finit locorum tanta distantia; Non agrorum pernicies, quæ ob ministratoris absentiam inevitabilis fit. Fidendum igitur erit Ministro, quem Zucchius subdelegavit. Sed si gratuitus ille erit, diligentiam utilitati suæ parem præstabit; Sin salario conductus, onere certo exigua hæreditas, quod ferre nequit, gravabitur. Interea illud manet ex facto indubium, gravissimas frugiferarum Arborum incisiones fuisse confectas, colonicasque Casas proximam, nemine curante, ruinam minitari. Cur propterea damnosus, inanisque circuitus non erit reprobandus, reddita Monasterio, ejusque Abbati ministratione, cujus equidem intererit, utilitati Monasterii impènsius incumbere?

At Zucchius his omnibus reponit, nullam in primis de Joanne Paulo Baroni rationem habendam esse. Is enim proximè subiturus est Sac. Rotæ judicium, ideoque judicatum A.C. allegare non debet. Quo vero ad Monachum, non ne, inquit, ipse est, qui totam rei seriem Pontifici narravit? Non quidem submissa bonorum existentia in Agro Fabrianensi, neque submisso Zucchii Nepotis in Urbe incolatu, minusque Monasterii sui juribus submissis. Si ergo singulis bene cognitis, SSmus de administratione favore Zucchii decrevit, non decet, nec licet, de Pontificis intentione, salva honestate, dubitationem proponere, qua sine oris aperitioni locus non fit. *Rota decis.* 2148. *num.* 1. *coram Coccin.*, *& in Bononien.*, *seù Ferrarien. Terratici* 5. *Julii* 1756. §. 3. *cor. clar. mem. Cardinali Caprara*. Eoque minus oris aperitionem Monachus Fratini postulare potest, qui post editum rescriptum ipsemet ab hac Sac. Congreg. obtinuit, errorem corrigi, cui causam ipse dederat, veluti supra narratum est.

Ideo-

Ideoque nequit amplius tanta cum inconstantia modo reprobare, quod alias probavit, petiit, obtinuitque.

Perperam vero eundem de administratione conqueri, Zucchius dicit. Non certè de ministri salario; ipse namque gratuitam præstiturum fore administrationem, solemniter professus est. Non pariter de damnis, quæ pavet; Cavit enim Zucchius ad formam rescripti. Sique de damnis Monasterio actio erit, agat, postuletque rationum redditionem. Non autem conquisitis ad invidiam testibus incisionum veluti delictum objiciat; Cui admodum resistit ipsius Zucchii interesse. Cum etenim Monachus senio, & valetudine afficiatur, permagni sua interest præ omnibus, ut quo Zucchius tempore successurus sit, bona sibi habeat in meliorem conditionem redacta.

His itaque pensatis, quæ utrimque proponuntur, sapientiæ EE. VV. erit decernere.

I. *An sit locus aperitioni Oris adversus Rescriptum diei* 1. *Decembris* 1784.

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & cui sit danda administratio bonorum, de quibus agitur in casu &c.*

Iterum proponatur quoad utrumque.

JANUEN. REDUCTIONIS MISSARUM, ET ONERUM. Nobilissimum, & antiquissimum Monasterium Monialium Sancti Augustini sub invocatione Sancti Sebastiani nuncupat. Papien. bene multis premebatur Missarum Oneribus, quæ maximam partem a pervetustis Monialium [Apostolica, ut credere est auctoritate fultarum] Legatis manabant. Ea omnia Archiepiscopus superiori anno 1751. reduxit ad octo Cappellanias annui reditus scutorum circiter triginta sex: Et cum superextarent adhuc reditus, erogari eos jussit in tot Sacrorum celebrationem attributa cuique eleemosyna obolorum 16. monetæ Januensis, seu obolorum duodecim cum dimidio circiter monetæ Romanæ. *Sess.*25. *cap.* 4. *de Reform.*

Anno 1777. prævio hodierno laudatissimi Archiepiscopi voto per rescriptum ex Audientia SSmi dictæ octo Cappellaniç ad septem quotidianas reductæ fuerunt, causam reductioni dantibus tum imminutione redituum, tum onere Cappellanis imposito assistendi absque alia mercede Sacris Monasterii functionibus. Annuus dd. septem Cappel-

pellaniarum fructus statutus fuit in scutis quadraginta cum dimidio circiter, & quod superesset, erogari jussum fuit in Eleemosynam tot Missarum lectarum ad rationem obolorum sexdecim monetæ Januensis.

Nunc eædem Moniales pro ulteriori instant reductione imparitatem allegantes tributorum septem ut supra Cappellanis redituum, Annonæ etiam caritatem, maximam in adinveniendis Cappellanis difficultatem, eamque adeo verum, & exploratam ut plures earumdem Cappellaniarum actu vacent.

Archiepiscopus in sua informatione, quæ exactior, & plenior est Monialium precibus, necessitatem novæ reductionis confirmat verissimumque esse *nunc deficere Sacerdotes qui acceptare velint enunciatas septem Cappellanias cum assignato reditu scutorum dumtaxat quadraginta cum dimidio*. Sequentem vero proponit reductionis modum. Narratum est supra, quod cum Cappellaniæ ab octo ad septem redactæ fuerunt jussum fuit, ut superextantes reditus in eleemosynam tot Missarum lectarum implicarentur. Harum vice proponit augumentum dotis septem Cappellaniarum ad scut. 48. com dimidio circiter comprehensis Sacris Utensilibus, factaque hac additione superfuturas adhuc animadvertit libras 21. 12. 3. ex illis, quæ fuissent in Missas lectas, de quibus supra erogandæ.

Prosequitur Archiepiscopus, quod idem Monasterium duas alias habet Cappellanias cum onere Missæ quotidianæ: Unam cujus reditus efferuntur ad Libras 323. 17. circiter extra bancum, quarum LL. 250. assignatæ fuerunt pro elemosyna *Missæ quotidianæ*, *reliquæ pro Oleo ac Cereis ardendis Cappellæ B. M. Virginis ac Divi Augustini* =. Delenda hæc onera Cereorum, & Olei existimat Archiepiscopus, *& quoties*, inquit. *huic recensita tollantur onera, habebitur Cappellania sufficientis reditus* = Altera vero habet reditum Librarum 288., ut supra cum quibus præterea debet servare lampadem ardentem ante Imaginem B. M. V. in Monasterii Dormitorio locatam; huic nedum auferendum esse onus dictæ Lampadis, sed addendas quoque esse dd. libras superextantes 21. 12. 3., censet Archiepiscopus = *Cappellaniæ hujusmodi dempto onere augendum censerem reditum cum assignatione LL.* 21. 12. 3. *quæ supererunt ex Missis manualibus aucto reditu septem Cappellaniarum*.

Consuevit Sac. hæc Congregatio reductioni Sacrorum auscultare quoties statuta eleemosyna impar oneri est. Hanc au-

autem imparitatem non solum ab annonæ caritate; regionis more, incommodo celebrationis loco, & tempore similibusque circumstantiis desumit, quas expendunt, *Soto* 4. *d.* 13. *quæst.* 2., *Navar. Cap.* 23. *num.* 18., *Tamburin. de Sacrif. Missæ lib.* 3. *Cap.* 1. §. 3. *num.* 37., *Pasqualig. de Sacrif. Missæ quæst.* 913., *Passerin. de statu hominum quæst.* 187. *artic.* 4. *ad num.* 920.

Sed, & multo magis ex facto quod indubia est veritatis tessera, si nimirum haud inveniuntur Sacerdotes qui Cappellaniam cum præscriptis oneribus, statutoque reditu velint acceptare, *in Mediolanen. Reductionis Missarum* 29. *Martii*, & 9. *Aprilis* 1718. Hoc unum in disceptationem veniebat = *An supposito quod nullus inveniatur Sacerdos qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librar.* 300. *a testatore præscripta sit locus reductioni in casu &c.* Datumque fuit responsum *affirmative*.

Plurimum quoque Sac. hæc Congregatio deferre consuevit Episcopi judicio, præcipue rem præsentem quod attinet. Ipse enim perspectas habens omnes loci, temporis, personarum circumstantias præ aliis decernere potest quæ justa sit eleemosynæ proportio. Hinc generaliter si consuetudo loci desit, si lex Synodalis desideretur, committendum semper Episcopo censuit in rem præsentem versanti omnesque circumstantias cognoscenti ut pro suo arbitrio eleemosynam taxet. *In Apruntina* 15. *Novembris* 1698. *lib.* 48. *decret. pag.* 548. *hæc habentur = Episcopus disputanda proposuit hæc dubia; Primo quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium; secundo quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus = Sacra &c. ad primum & secundum censuit attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem quatenus adsit; sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio =*

Quatenus Monialium, & amplioribus Archiepiscopi votis deferendum esse censeant Emi PP. omittenda haud videretur cauthela in reductione anni 1777. adhibita quod nimirum Missæ quæ celebrandæ erant ex iis superextantibus reditibus qui hodie sive septem prioribus Cappellanis, sive alteri ex duabus postremis uniuntur = *quatenus separari, & assignari possint, applicentur pro peculiaribus testatoribus seu testatricibus, sin minus collective applicentur pro omnibus collective piis disponentibus =* Nec prætereunda quoque esset in duabus postremis Cappella-

niis applicatio Sacrorum pro ea parte quæ respondet delendo oneri cereorum, olei & lampadis.

Definiendum est.

An, & quommodo sit precibus annuendum in casu &c.

Reductionem esse faciendam juxta votum Archiepiscopi; Ita tamen ut Missæ ex reditibus uniendis, & respective ex delendis oneribus celebrandæ applicentur pro particularibus Benefactoribus quoad fieri separatio poterit, sin minus collective.

Seff. 7. cap. 4. de Reform.

NEPESINA. Quemadmodum jure Civili nulli licebat eodem tempore plusquam unius ordinis nomen affectare, & binæ pluresve militiæ cunctis interdicebantur *Leg. 5. in posterum Cod. qui mil. poss.* ita jure Canonico ne quis sub eodem tecto, idest sub eadem Ecclesia plura Beneficia obtineret pro ipsius Ecclesiæ dignitate sanctissime cautum fuit *Cap. de Multa §. hoc id Clem. ultim. tit. de præbend.*, & *Cap. litteras de concess. præb.*

Hinc verendum est ne (abstrahendo a Pontificia dispensatione) a jure Canonico improbata videri queat instantia, qua Sacram Congregationem exercet Sacerdos Canonicus Constantinus Salvi. Hic namque cum jam Canonicatum obtineat in Ecclesia Collegiata S. Joannis Baptistæ Terræ Campaneani Nepesinæ Diæcesis, assequi etiam contendit beneficium jurispatronatus Laicalis sub Titulo B. M. V., quod in eadem Ecclesia vacavit per mortem Sacerdotis Joannis Salvi. Ea de re cum preces pro dispensatione obtulisset SSmo D. N., placuit Sanctitati suæ per organum Emi Pro-Datarii rem ad hanc Sac. Congregationem ablegare.

Ait porro Canonicus Constantinus se præsentatum ad Beneficium fuisse saltem a medietate patronorum, cum ipsemet alter ex modernis compatronis adhæserit præsentationibus quoad suam Personam factis; quo casu profecto cessat nota illa ambitionis, ob quam quilibet se ipsum præsentare prohibetur. *Belett. Disquisit. Cleric. part. 1. tit. de bono Cleric. §. 11. num. 26. Rota cor. Merlin. decis. 733. num. 5. coram Priolo dec. 305. num. 4. tom. 1.* Accedit, ipsum Constantinum esse de genere vocatorum ad dictum Beneficium: Eam enim dixit Legem Fundator, ut Patroni nominare tenerentur proximiores Familiæ *Biasilitta*, in qua sæpedictus Constantinus Salvi continetur.

Cer-

Certum est ergo jus quod habet ad patronale Beneficium. Neque sibi obesse autumat quod sub eodem tecto aliud jam Beneficium nempe Canonicatum obtineat; Regula enim procedit in Beneficiis uniformibus, non vero in iis quæ difformia, & dissimilia sunt, cujusmodi est Beneficium quod postulat cum Canonicatu quem habet comparatum. Expressa est Sanctio *Text. in cap. consuetudinem* 1. *de consuetud. in* 6. *Nulli liceat de cætero nisi unum personatum vel dignitatem aut præposituram, sive administrationem vel officium perpetuum quocumque nomine censeatur cum præbenda insimul absque dispensatione Sedis Apostolicæ in eadem Ecclesia obtinere*= Ad quem notat *glos. ergo videtur quod de dispensatione inferioris a Papa unicum personatum vel officium cum Canonicatu, & præbenda possit habere*= Hanc autem Ordinarii dispensationem exolevisse testatur *Rebuff sub tit. de dispens. ad plura benef. num.*29., *Layman lib.* 4. *Theol. Moral. tract.* 2.*cap.*2. *num* 9., *Garzia de benef. p.* 11. *cap.* 5. *num.* 239., *Navarr. cons.*28. *de præbend.*

Sed illud obesse videtur quod etsi Canonicatus, & hoc de quo agitur Beneficium sint difformia, fundator tamen uniformia fecisse videtur. Duo enim Beneficiato imposita fuerunt onera, alterum celebrationis, trium Sacrorum in singulas hebdomadas, alterum Choro *omnibus Festis mobilibus* interessendi. Porro quidquid sit de Sacrorum onere, certe Chorale servitium beneficio adnexum cum Canonicatu esse incompatibile nullus est qui non videat. Quomodo enim, Festorum mobilium recurrentibus diebus, duas poterit Canonicus induere personas, cum ad interessentiam Chori tum ratione Canonicatus, tum ipsius Beneficii teneretur? Ne cultus igitur Divinus minuatur, in iisdem fere terminis sancitum fuit Cappellaniam, cui adjunctum est onus deserviendi in Choro, obtineri non posse cum Canonicatu *Barbosa ad Sess.*24. *Trident cap.*17. *n.*26.

Hæc ante oculos habens Capitulum suum acerrime dissensum unanimis suffragiis aperuit, hæc Episcopus mente volutans Capitularis dissensus caussam non improbavit; hæc denique ipse Canonicus Constantinus animo rependens, ne fiat divino cultui fraus, utque facilius, quod postulat, assequi possit, se curatarum pollicetur ut alius Presbyter oneri choralis servitii cum congrua mercedis assignatione satisfaciat. Neque in hoc eodem beneficio novum id esse ait; siquidem cum alias collatum fuisset Presbitero Joanni Salvi, sa. mem. Benedictus XIV. decrevit ut injunctis oneribus per alterum presbiterum satis-

fieret, cum ipse Parochiali cura Sancti Blasii Terræ Anquillariæ, qua insignitus erat, præpediretur. Immo, & prius ipsemet fundator nominavit Nepotem suum qui in eadem Ecclesia Canonicatus dignitate ornabatur, ipsumque ab onere Choralis servitii liberavit.

Verum hoc ultimum potius obstat Canonico Constantino? Nam si fundator cum suum nominavit nepotem, expresse eum ab onere choralis servitii exemit, hoc ipso ostendit quam enixe optaverit ut hæc lex a cæteris servaretur; maluit enim eam omnibus indicere, & peculiari exemptione suum nepotem donare, quam eundem ante dicti oneris impositionem nominare. Primum vero multiplices habuit causas, nempe insalubritatem aeris Anquillariæ, paupertatem Parochianorum eleemosyna indigentium, restaurationem Ecclesiæ Parochialis: An paupertas, & fratrum sororumque numerus quem sibi circumstare ait Canonicus Salvi harum causarum vicem supplere possit Capitulo reluctante, & affirmante substituendos ab eodem presbiteros pro assistentia Chorali ex causa Beneficii, vel a munere suo impune defecturos, cum non adsint punctaturæ, vel si non defuerint, ex iis Sacerdotibus esse futuros qui jam sponte Choro intersunt, adeoque detrimentum cultui divino per hujusmodi dispensationem illatum iri, partes erunt EE. VV. sapienter de more definire.

Dubium est.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

PERUSINA UNIONIS. Postulavit a SSmo Domino Nostro die 29. Novembris 1783. Sacerdos Vincentius Gualterotti Parochus S. Martini de Tisciano Perusinæ Diæcesis ut suæ Paræciæ tanquam habenti annuum reditum sc. 70. circiter comprehensis stolæ emolumentis uniretur proximum Oratorium cum suis reditibus qui efferuntur ad sc. 36. detractis autem oneribus decrescunt ad sc. 23. circiter. Idque eo securius, quia uti ajebat pessumdantur bona; male hi reditus administrantur; in cænas commesationesque erogantur a Laicis viris qui sine ulla Societatis erectione dictæ administrationi præsunt. Datæ continuo fuerunt litteræ ad Perusinum Antistitem ut vera ne essent narrata referret, audiret interesse habentes, suamque exprimeret sententiam. Abstinuit Episcopus ab edendo judicio suo; Populum hujusce Paræciæ, & Priores Oratorii a Parocho viciniore exploratos

huic

huic unioni refragari dixit ; ex pluribus visitationibus apparere retulit reditus Paræciæ cum stolæ incertis ad sc.70. circiter ascendere , de mala administratione siluit . Eo tandem ventum est ut die 15. Januarii 1785. jussa fuerit causa in folio describi citatis interesse habentibus .

Parochus ut unionis quam postulat justas subesse causas evincat de tenuitate redituum suæ Paræciæ sc. 70. cum stolæ emolumentis non excedentium post Episcopi testimonium dubitari haud posse affirmat : dat testes de pessima erogatione redituum Oratorii malaque conditione tum dicti Oratorii tum bonorum : haud æstimandum dicit Parochianorum Priorumque dissensum , utpote qui in suam utilitatem , & sæcularia ~~gaudia~~ hosce reditus deglutire peroptant : & ne de auctoritate quodammodo præcipiendæ unionis dubitari queat animadvertenda proponit Tridentini verba *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* , quo in loco postquam excitati fuerunt Episcopi ad consulendum Parochiarum paupertati vel unione Beneficiorum , vel primitiarum aut decimarum assignatione aut symbolis , & collectis Parochianorum , demum sanctio clauditur generalibus hisce verbis = *aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur* , *quod pro Rectoris aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat* .

Etsi vero in laudatis Tridentini verbis aliisque quæ illa antecedunt haud præfiniatur summa ad quam Parrochialis congrua efferri debet , eam tamen non obscure colligi animadvertit a sequentibus verbis = *Parochialis Ecclesiæ quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur* ; atque ab iis quæ favore Vicariorum perpetuorum statuit sa.mem. *Pius V. in Const. cujus initium = ad exequendum* , *edita die* 1. *Novembris* 1567.,& a DD. plena manu relatis per *Barbos. in jus Eccl. univers. lib.*3. *cap.* 6. *num.* 43. , *&* 44. , qui & illud animadvertunt nempe quod emolumenta incerta , & a personali labore dependentia uti sunt eleemosynæ Altaris , funerum & similia in parochialem congruam non imputantur .

Hisce autem præmissis haud captanda esse dicit Tridentini verba de unione Beneficiorum loquentia , perinde ac si ad eos reditus transferri nequeant , qui beneficii nomen haud merentur . Præter enim potioritatem rationis quam in hisce reditibus concurrere autumat , præter generalia , & ampliora verba Tridentinam sanctionem claudentia , quæ superius consideranda proposuit , rogat animadvertere quod *Conc. Trid. eadem Sess.* 24. *cap.* 15.

de

de ratione agit augendi Cathedralium, & insignium Collegiatarum præbendas, methodumque proponit vel suppressionis aliquarum ex illis, vel unionis Beneficiorum. Et tamen licet latiora desiderarentur verba quibus Parochis subveniendum esse supra constituit, nihilominus Sac. Congregatio *in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1759. legata, donationes, & pia relicta cum onere Missarum in augumentum canonicalium redituum concessit: Auxit enim eleemosynam Missarum dd. largitionum *ita ut augumentum prædictum stet loco distributionum quotidianarum*, ut in data ad secundum Dubium responso expresse declaratur.

Et in terminis Paræciarum in *Spoletana* 15. *Martii* 1783. res erat de Cappellania erigenda cum onere celebrationis Missæ certis diebus, cautumqne expresse fuerat ne Parocho conferretur ut ita Populus duorum Sacrorum commodo potiretur. Petiit Parochus ut ad levandam Parochialium redituum inopiam etiam hæc erigenda Cappellania sui favore uniretur, & præterea Sacrorum numerus minueretur. Episcopbs favebat. Sed forte quia expressa resistebat disponentis voluntas S. C. rescripsit = *Ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem*: Quis autem fuerit Sanctitatis suæ sensus ex decreto emergit quo supplex populi libellus obsignatus fuit = *Sanctitas Sua committendum mandavit, prout præsentis decreti tenore, commisit Episcopo Spoletano ut veris &c., & dummodo alio modo non fuerit provisum memoratæ instantiæ pro suo arbitrio &c. per quinquennium tantum gratis indulgeat juxta petita* =

Episcopi abstinentia ab edendo suo quoad hanc unionem judicio dubium inter cætera relinquit, an hæc Paræcia utcumque ejus reditus una cum stolæ emolumentis ad sc. 70. circiter ascendant, revera tenuis dici queat habita ratione circumstantiarum nempe loci, onerum, numeri animarum, consuetudinis regionis, quas præ oculis habendas antequam de insufficientia parochialis congruuæ feratur judicium monet *Rota decis.* 341. *num.* 4. *part.* 18. *tom.* 1., & *decis.* 1. *num.* 4. *part.* 19. *tom.* 1. *Recent.* Infinitus est enim Parochorum numerus quorum congrua comprehensis etiam incertis reditum Parochi Oratoris non attingit.

Quæritur.

An sit locus unioni Oratorii de quo agitur favore Parochialis Ecclesiæ S. Martini de Tisciano in casu &c.

Die Sabbathi 8. Julii 1786. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PRoponi haud potuerunt in poſtrema Congregatione duæ quæ infra primo loco deſtribuuntur cauſæ. Iſtas ſequuntur aliæ ſeptem.

NEPESINA. *Seſſ. 7. cap. 4. de Reform.*

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.

Affirmative arbitrio Apiſcopi, dummodo chori ſervitium detrimentum non patiatur.

PERUSINA UNIONIS. *Seſſ. 24. cap. 13. de Reform.*

An ſit locus unioni Oratorii de quo agitur favore Parochialis Eccleſiæ S. Martini de Tiſciano in caſu &c.

Negative, & amplius.

REATINA SUBSIDII DOTALIS. In ultimo cum quo deceſſit elogio Franciſcus Canonicus Pallarini inſtituit hæredes ClericosRegulares Miniſtrantes Infirmis, *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

in

injuncto eis onere distribuendi quotannis sive die 5. Augusti, sive 25. Martii dotem in summa sc. 12. pauperi atque honestæ Reatinæ Puellæ. Voluit tamen ut semper præferrentur puellæ agnatæ seu de linea masculina Hieronymi Passerini, sub conditione certæ frequentiæ in scholis magistrarum Piarum; Qua Linea extincta puellarum electionem dd. hæredum arbitrio permisit, ita tamen ut eos rogaverit ut infra = *Prego però li sudd. RR. PP. che se fra quelle che vanno alla scuola delle Maestre pie vi andasse qualcheduna di casa Crisostami, oppure di casa Micantelli, oppure qualchè Zitella prossima alla linea mascolina Passarini ma in linea feminina ad avergli speciale riguardo a dargli detto sussidio dotale*.

Contendit Elisabeth Innocenti, quæ in judicio sistit pro suis neptibus quarto gradu per lineam fæmininam a dicto Hieronymo Passarini distantibus ut testatur Episcopus in sua relatione, hæc verba utcumque deprecatoria legem hæredibus imponere conferendi subsidium dotale dd. suis neptibus. Hinc supplicem ad hanc S. Congregationem dedit libellum, quo conqueritur, despecta per PP. Hæredes testatoris dispositione, perperam anno præterito conjectis in urnam puellarum nominibus ei collatam dotem fuisse, quæ sorte extracta fuit. Cum ea sentit Episcopus de suo voto a S. Congregatione rogatus.

Est & aliud de quo conqueritur Oratrix, cui pariter Episcopus adhæret. Jussit testator videlicet = *e d. dote, e somma di denaro voglio che si dia ogn'anno nel modo ed ordine sudetto alle zitelle assolutamente ed a loro requisizione, o si maritino, o nò, con il consenso però de' loro maggiori, o di chi ne ha la cura, purche quelli della casa non siano scialacquatori, o gli consumino malamente il denaro; perche in tal caso si potrebbe tenere in deposito dalli medesimi PP. Crociferi per servizio di detta Zitella* = Ex his sane verbis videtur tum Oratrici, tum Episcopo absolute volita, ac præcepta fuisse a testatore libera dotis consignatio, & quidem in pecunia numerata puellis, ut supra, facienda. Verum Hæredes e contra semper consueverunt cedulam puellis consignare, tunc solum pecuniam numeratam tradituri, cum nupserint in Domino, vel in sæculo, vel cum abjecta fuerit nuptiarum spes; alias in proprium commodum illam convertunt.

Contra Hæredes licet, ut ajunt religiose semper atque integre Testatoris voluntatem impleverint tum qua in parte præceptiva est, tum qua deprecatoria, sicut pari religione imposterum impleturos promittunt (excepto anno

no elapso quo sortibus usi sunt ob negligentiam Oratricis, quæ serius puellam a se propositam a linea Passarini descendere demonstravit); negant tamen se teneri, ac veluti quadam lege ac præcepto cogi, puellas per fæminam a Passarini linea descendentes, ac proinde ipsas oratricis neptes ad dictum subsidium dotale nominare, negantque se obstringi posse ad effectivam pecuniæ numerationem præter casus & tempora sequutarum revera nuptiarum vel abjectæ earumdem spei. Duo hinc in re normam futuris temporibus datura, subscripta fuerunt Dubia quæ infra referuntur.

Inquiunt quoad primum Clerici Regulares Ministrantes Infirmis quod licet pervulgatum sit in testamentis verba deprecatoria vim legis, & jussionis habere, id tamen non a verborum sonitu obviaque significatione repetendum esse, sed a præsumpta morientis voluntate juxta *gloss. in l. fideicommissa §. hæc verba ff. de legat.* 3. = *scilicet inspecta potius mente testatoris quam ipsius verbis* = Adeoque si vel alia argumenta desint hujusce voluntatis, vel multo magis si opposita concurrant, oportere ut verba suam retineantnaturam consilii scilicet,desiderii,preccumque,ut bene *Rota coram Molines dec.* 1213. *num.* 7. *& seqq.* = *Quotiescumque itaque verba deprecatoria*, & *desiderii vel non fulciantur aliis argumentis illa trahentibus ad præcisam jussionem, seu in oppositum concurrant alia indicantia mentem testatoris in illis exprimendis fuisse conformem veræ*, & *non subintellectæ eorum significationi tunc non est ab ea recedendum* = Et bene multa allegat concordantia ejusdem S. Tribunalis responsa.

Provocant autem hæredes ad ipsam testamenti lectionem; atque ut afferantur si quæ inveniri possint in hoc testamento conjecturæ hanc prægnantiorem disponentis voluntatem suadentes, quod ex præmissa regula satis esset ne a naturali mitiorique significatione deflectendum foret. At vero addunt aperta esse contrariæ voluntatis argumenta. Quando enim de agnatis actum est, imperativa verba testator adhibuit = *si dia detta dote a detta Zitella e non altre* = E converso autem cum ventum est ad fæminas cognatas nedum immutata est formula in verba mere deprecatoria, sed admixtæ etiam, imo prælatæ iisdem fuerunt ex scripturæ ordine fæminæ a duabus aliis extraneis familiis descendentes; & præterea non alio in loco posita eadem deprecatoria verba fuerunt quam post datum PP. Hæredibus in agnatorum defectu arbitrium nominandi quam vellent = *ma non essendo in dette casa-*

te (descendenti in linea mascolina del quondam Girolamo Passarini) *ne figliuole femine &c allora detta dote si dia ad una Zitella povera &c. ad arbitrio di detti RR.PP. Crociferi.*

Ad vitandam itaque instantaneæ correctionis inverisimilitudinem, salvandamque dispositionis incongruitatem, & retinendam discretivæ vim concludendum esse putant hæredes obstare in casu voluntatem testatoris quominus verba hortationis, & desiderii ad rigidiorem jussionis sensum detorqueantur *Rota in Camerinen. Dotium coram Rondinino relat. post vot. decisiv. Constantin.* 298. *num.* 38. = *Ad quem effectum considerabant etiam Domini discretivum loquendi modum quo testator usus fuit. Quando enim voluit puellas extraneas locutus fuit permissive tantum = do facoltà &c. = quando vero de puellis attinentibus disposuit non amplius facultative, & sub incerta conditione, sed præceptive & pure dixit = voglio che ogni anno &c. quem enixum, & discretivum loquendi modum uti magnum diversæ volontatis argumentum in proximis terminis consideravit Rota &c.*

E converso Elisabeth Innocenti non ex indulgentia esse reponit sed ex natura rei quod in testamentis verba deprecatoria vim jussionis habeant. Juxta antiqua Romanæ jurisprudentiæ principia non poterant leges de intestata successione disponentes nisi nova lege subverti; hinc una erat via per ultimam voluntatem disponendi per novam scilicet legem, adeoque ea tantum rata erant testamenta quæ in calatis comitiis legum ad instar *verbis rogatoriis* præmissis condebantur. Mox vero concessa per Decemvirales leges facultate *de pecunia tutelave suæ rei* disponendi licet exoleverit quoad testamenti factionem novæ legis necessitas, mansit tamen pristinus mos *verba rogatoria* adhibendi, quæ proinde non ex benignitate Legis, sed ex natura sua vim necessitatis, & imperii habent *Heinecc. antiquit. Roman. ad titul. de testam. ordin. Rota in Romana hæreditatis de Ruspolis* 13. *Junii* 1704. *§. sed dato, & seqq. cor. Molines.*

Neque urgenda esse addit contraria, quæ afferuntur voluntatis indicia. Aliud enim esse si de rigorosa & ex summo jure debita prælatione quæratur, aliud si ex recepta, & per Sacrum hunc Senatum amplexa semper æquitate. Valeant illa quantumlibet, si de prima prælationis specie ageretur, enervia, & fragilia esse oportet cum de secunda quæritur. Qualiscumque fuerit ad fæminas cognatas respectus etiam inferior eo quem ad extraneas familias

ha-

habuit, semper tamen favorabilior hic casus est alio in quo alto testator silentio præterit quemcumque erga cognatos respectum. Et tamen hac etiam in hypothesi recepta est hujus Sacri Tribunalis æquitas, fæminas usque ad quartum gradum conjunctas admittendi juxta responsa collecta in *Ferrarien. subsidiorum dotalium* 14. *Decembris* 1765. Et novissime in *Fanen. subsidiorum dotalium* 9. *Aprilis* 1795.; in resolutione primi ex iis quæ disceptabantur dubiis usque ad quintum gradum Canonicum hanc æquitatem S. C. ampliavit.

De secundo dubio levior esse indago videtur. Fatentur hæredes præceptam a testatore fuisse liberam dotis consignationem *assolutamente ed a loro requisizione*; sed exceptum fuisse casum *purche quelli della casa non siano scialacquatori o gli consumino malamente il denaro*, cujus quidem rei judices esse voluit ipsosmet hæredes, penes quos eo in casu dotalem pecuniam titulo depositi manere posse jussit *perche in tal caso si potrebbe tenere in deposito dalli medesimi PP. Cruciferi*. Hinc non aliter ad liberam traditionem dotis in numerata pecunia cogi posse concludunt, quam si eis constet abesse pericula quæ testator præcavenda esse voluit. Contra dato arbitrio eos abuti autumat Elisabeth Innocenti, atque hinc fieri ut in suam convertant utilitatem eas dotes quarum tradendarum cum effectu occasio nunquam venit, quia decesserunt nuptiis non sequutis vel non abjecta earumdem spe. Sed tamen cum regula sit pro libera, & immediata consignatione, si exceptionis casum evenisse contendent, hæredes illum probare compellendi erunt. Itaque res tota facile componi posse videretur, si juberentur hæredes moram liberæ consignationi nectentes suas edere coram Episcopo formidatæ deperditionis causas, quæ si ab eo haud probabuntur, tunc libere dotalis pecunia tradenda sit. Scitum est enim Episcopum piarum voluntatum legitimum exequutorem judicemque esse ut ex celebri decretali *Greg. III. in Cap. Nos quidem de testam*, & *Greg. IX. in cap. 17. de testam.*

Dubia sunt.

I. *An Clerici Regulares ministrantes infirmis cogantur nominare ad subsidium dotale puellas per fæminam descendentes ex familia Passarini in casu &c.*

II. *An consignatio dicti subsidii dotalis sit facienda in pecunia etiam ante nuptias sive spirituales sive temporales, vel potius competat PP. supradictis jus dandi so-*

lummodo cedulam obtentæ nominationis dilata solutione ad casum sequutarum ut supra nuptiarum , vel sublatæ spei earumdem nuptiarum in casu &c.

Ad I. Affirmativè .

Ad II. Consignationem esse faciendam in pecunia, etiam ante nuptias, prævio Decreto Episcopi declarante non esse locum retentioni ,

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

NEPESINA . Hujus S.Congregationis rescript o Constantia Antonazzi de Terra Morlupi Nepesinæ Diæcesis obtinuit anno 1772. sibi decerni dotale subsidium sc. 300. ex pia dispositione Catharinæ Zeccardini . Conditio adjecta rescripto fuit ut nimirum satisfieret prius anterioribus rescriptis quæ aliæ puellæ impetraverant ; Et S. Pontifex eodem contextu quo S. Congregationis sententiam apprubavit , modum quoque addidit , nempe ut litteræ Apostolicæ in forma Brevis ea super re expedirentur .

Nupsit hujus rescripti vi Constantia , sed per integrum decennium Apostolicum Breve non expedivit . Interea aliæ etiam a testatrice descendentes fæminæ simile rescriptum meruerunt pro dote in eadem quantitate ,& opportuno tempore assequenda , atque illico facta expeditione litterarum Apostolicarum , illas in Curia Episcopali exhibuerunt .

Constantia, cum immineret tempus exequutionis sui rescripti illud Episcopo exhibuit . Sed restitit Episcopus ratus obliteratum rescriptum ob prætermissam illius exhibitionem in sua Cancellaria , & per non usum decem annorum , & præterea existimans anteferendas eas quæ utcumque posteriores essent in gratia , priores tamen fuerunt in expeditione Brevis ,decretumque exequutoriale ab ipso obtinuerunt .

Ab Episcopi judicio querelam ad Sacram Congregationem detulit Constantia in Congregatione diei 20. Augusti 1785. , sed visa res est Eminentissimis PP. maturiori examine digna , præsertim cum Episcopus retulerit puellis interesse habentibus & extra suam Diæcesim commorantibus præfigere haud potuisse terminum ad deducendum

dum jura sua in S. Congregatione. In Conventu igitur Eminentissimorum Patrum dicta die rescriptum fuit *ponatur in Folio citatis omnibus interesse habentibus*.

Parendo mandatis causa describitur. En verba obtenti a Constantia Antonazzi sub die 22. Decembris 1772. rescripti = *Sacra &c. commisit ut petitam summam sc. 300 gratis applicet atque assignet; Ita tamen ut ab Oratrice consequi non debeant nisi posteaquam &c. integra adimpleta fuerit subsidiorum dotalium solutio aliis puellis, quibus ex speciali rescripto hactenus fuerunt assignata facto verbo cum Sanctissimo. Factaque de premissis relatione Sanctitati Suæ per infrascriptum Secretarium eadem Sanctitas Sua S. Congregationis sententiam approbavit, & litteras Apostolicas in forma Brevis desuper expediri mandavit*.

Dubitat Episcopus quod cessaverit rescripti virtus; quia Episcopali Curiæ cui erat pro exequutione directum intra solidum decennium exhibitum non fuerit. Sed ex praxi scitum est quod rescripta hæc nunquam exhibentur quando Summus Pontifex decretum S. Congregationis confirmando litteras in forma Brevis expediri jubet: Tunc enim Eminentissimo Secretario Brevium illud defertur, a quo per eadem verba Breve conceditur.

Sed dubitare pergit Episcopus quia intra idem solidum decennium nedum illi præsentatum, sed ne expeditum quidem fuit Apostolicum Breve. Verumtamen quis expeditioni Brevis diem præstituit. Jam rescripti verba hoc non præseferunt, in quibus per viam conditionis suspensa solum legitur concessæ indulgentiæ virtus donec cætera adimpleta rescripta fuissent; Et per viam modi præcipit Summus Pontifex occasione qua gratiam confirmavit ut litteræ Apostolicæ desuper expedirentur. Modum hæc verba præseferre, priora autem conditionem ipsa rei natura docet, & tradidit *Rota in Melevitana Commendæ de Steinfurt. super Reservatis* 17. *Februarii* 1758. §. 13. *cor. cl. me. Card. Paracciano*.

Implendo autem huic modo si nullam dedit certam diem Rescriptum, multo minus subaudiri ille a juris dispositione debet. Equidem video trahi in hanc rem solere *Modestini responsum in Leg. 1. ff. de Nundinis = Nundinis impetratis a Principe non utendo, qui meruit decennii tempore usum amittit* = Sed insignis est & obvia, cæteris omissis, illius sanctionis limitatio ad ea solum rescripta, quorum usui statim locus est, itemque ad ea, quæ in damnum vergunt non unius, vel alterius personæ, sed universorum puta Castri, Civitatis, Universitatis &c., ut quoad

hoc

hoc ultimum docet *Gloss. ad d. Leg. verbo tempore = Qui impetrat nundinas in præjudicium universorum facit, unde breviori tempore privilegium amittitur. Aliud si in præjudicium singularis personæ privilegium detur, quia tunc perenne est.* Et consonat *responsum Imperatoris Claudii ad Epagatum in L. falso C. de diversis Rescriptis*; Et quoad primum docet *Portel. in Dubiis Regul. verbo privilegii non usus, & optime Gonzalez ad cap. 6. de privilegiis num. 5. in fin. = Tres conditiones juxta communem DD. Sententiam requiruntur: prima ut oblata fuerit occasio utendi privilegio, & Privilegiatus eo non utatur; secunda ut detur scientia talis privilegii; tertia ut adsit potentia illo utendi, id est non detur impedimentum.*

Itaque si rescriptum Oratricis Antonazzi non vergebat in præjudicium alicujus Universitatis, nec ejus usui locus esse poterat intra decennium; immo neque eo emenso uti referebat Episcopus in sua posteriori Epistola diei 11. Decembris 1784. per ea verba = *Quamquam non adhuc, ut mihi relatum fuit, soluta fuerint omnia subsidia Dotalia promissa ante diem Rescripti obtenti a Constantina Antonazzi &c.* =; jam vitio verti eidem pauperi Oratrici non debet, quod Brevis expeditionem distulerit. Potissime quia testem dat Sacerdotem Carolum de Via de adhibitis quoque intra decennium diligentiis pro opportuna Brevis expeditione. Semperque certius quo cum rescriptum impressam haberet conditionem satisfactionis præcedentium decretorum, nonnisi a die impletæ hujusmodi satisfactionis currere immo nec incipere ulla præscriptio poterat ad *Text. in Leg. cum notissimis §. illud C. de annal. præscript. Rota in Recent. decis. 407. num. 13. part. 5. tom. 1., & decis. 129. num. 5. part. 9. tom. 2.*

Ultimo loco ambigit Episcopus, an Oratrix Antonazzi iis præferri debeat puellis, quæ licet posteriores sint in Rescripto, prævenerunt tamen in expeditione Brevis, illiusque præsentatione Episcopali Cancellariæ. Sed animadvertendum videtur gratiæ substantiam haud residere in Litteris Apostolicis, quæ ad solemnem solum, & necessariam datæ gratiæ probationem expediuntur, ut monuit *Rot. in Calaguritana Canonicatus* 17. *Januarii* §. 11., & 27. *Junii* §. 11. 1757. *cor. Canilliac*. Ita quidem ut dd. Litterarum expeditio haud operetur per viam retrotractionis, quæ in præjudicium tertii, cui intermedio tempore jus quæsitum esset, fieri haudquaquam posset, sed commonstrant solum dictæ Litteræ, & testantur de gratia usque a momento signaturæ completa, & perfecta. Bene

Rigant. ad Regul.52. Cancellariæ num.13., & seqq. , ibi = *Secundo intellige , quod nullum est præfixum tempus certum ad litteras expediendas , sed quandocumque expediantur , suffragantur non solum a puncto earum expeditionis, sed etiam a momento gratiæ concessæ , & signatæ supplicationis itaut gesta medio tempore valida sint , etiamsi tempore expeditionis res non esset integra , quia EXPEDITIO LITTERARUM NON OPERATUR PER VIAM RETROACTIONIS , sed id quod agitur , tribuitur gratiæ concessæ per signaturam supplicationis , & sequuta litterarum expeditione gratia consideratur secundum tempus , quo supplicatio fuit signata , & a qua suum esse recipit* =.

Infiniti sunt utriusque juris loci , quibus sancitur perfectionem gratiæ a rescripto non autem ab expeditione litterarum esse metiendam, ita ut si quis in illo posterior in istis tamen sit anterior , imo etiamsi corporalem possessionem apprehenderit sit ab ea deturbandus nilque ei Apostolicæ anteriores litteræ prosint è conspectu ejus, qui in gratiæ impetratione prævenit *Cap. Duobus , & Cap. Tibi de Rescriptis cap. Eum cui de Præbend. in 6.* = *Eum cui Canonicatus alicujus Ecclesiæ a Sede Apostolica est collatus licet nondum sit in ea receptus decernimus in assecutione præbendæ juxta suæ provisionis ordinem omnibus præferendum quibus postmodum in ipsa Ecclesia similis gratia est concessa ; LICET ISTI PRIMO SUAS LITTERAS PRÆSENTAVERINT , ET PRIMO RECEPTI FUERINT IN EADEM* , = Latissime ea innumeris allegatis concordantibus *Antunez de Donat. lib. 1. cap.4. num.14.*

Revera Cæcilia Densi hæc una erat ex contradictricibus in rescripto posteriori, in expeditione Brevis anterior , quæ nihil transeat adversus Constantiam Antonazzi apposuerat , ejus lacerationi consensit . Cæteræ puellæ, si quæ sunt in eadem navi , & in Diæcesi vivunt Sutrini Episcopi, intra terminum iis ab Episcopo præfixum jura sua deducere neglexerunt . In Terra Morlupi , loco conditi Testamenti , a Vicario foraneo pubblica affixa fuerunt Edicta cum præfixione termini intra quem nulla comparuit præter quamdam Paluzzi . Hæc uti , & aliæ duæ in Urbe degentes nempe Eugenia , & Lucia Zaccardini comparuerunt quidem , sed jura sua deducere hactenus neglexerunt .

Dubium est;

An-sit locus exequutioni rescripti diei 19. Decembris 1772., seu potius Decretorum exequutorialium Episcopi Nepesini in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, salvo tamen residuo debito in vim Decreti Exequutorialis 23. Januarii 1770. imposterum liquidando.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

RECANATEN. SERVITII CHORI. Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ nuncupatæ S. Matiæ Castri Novi Civitats Recanaten. nullis fruitur vacationibus a Choro, quibus tamen plurimæ gaudent Cathedrales, & Collegiatæ Ecclesiæ ex benignitate S. Congregationis. Patet ex supplici ejusdem Collegiatæ Libello plura concurrere ad gratiam, quam postulat vacationum Conciliarium; & primo quidem gravitatem servitii, nempe quotidiani. Insuper tenuitatem distributionum, ex quibus universus reditus coalescit; nam vix lucrantur singuli annua scuta decem, & octo: Præterea distantiam Ecclesiæ Collegiatæ, quæ extra Civitatem sita est, & ad eam difficilis patet accessus hyemali tempore ob nivium copiam, & viæ asperitatem, æstivo vero tempore propter solis æstum. Semel, & iterum exorantibus Præbendatis vacationem quatuor mensium, nempe Januarii, Februarii, Julii, & Augusti data solummodo fuit, annuente Episcopo, pomeridiana a Choro exemptio antedictis mensibus decreto diei 27. Jun. 1778.: Id autem nullam eis attulit utilitatem, cum illius Rescripti vi circa meridiem majori cum incommodo vesperas exsolvere deberent. Nunc iterum supplices sistunt coram S. Congregatione, ut gratiam vacationis quatuor mensium, nempe juxta petita obtineant. Exhibent denuo, quem jam alias nempe quando an. 1784. reductionem Missæ Conventualis meruerunt, exhibuerant calculum decennalem redituum, & onerum, ex quo apparet reditum in solis distributionibus consistere, & ab oneribus depuratum efferri circiter ad scut. 18. pro unoquoque Altarista. Ostendunt etiam consensum Capituli legi-

legitime congregati. In memoriam revocant jam datam alias ab Episcopo relationem, quae antedictum praeivit decretum anni 1778. = *Fateor*, ajebat Episcopus, *mei animi sensum hærere. Cum Capitulum Collegiatæ S. Mariæ Castri Novi solis Altaristis constet* (numero novem una cum Præposito) *atque illorum portio reputari nequeat tamquam Beneficium, ideo & Chori, & Ecclesiæ servitium detrimentum pati, atque ad percipiendum de Massa distributionum in vacationibus titulus iisdem deesse videtur. Revera vacationibus Altaristæ Oratores nunquam sunt gavisi, sed portionibus de massa distributionum juxta præstitum Ecclesiæ, & Choro servitium semper participarunt. Ex altera parte animadverto tenuitatem ejusdem Massæ distributionum, difficile ac laboriosum servitium esse in causa, ut aliquo levamine Oratores digni videantur*. Et præmiserat anteà = *Exposita* [in precibus Capituli] *tum quoad situm dictæ Ecclesiæ Castri Novi ejusque distantiam a reliquo corpore Civitatis, tum quoad asperitatem viæ æque molestiæ æstivo hyemalique tempore veritate niti* =. In nuperioribus autem litteris datis diei 26. Maii currentis anni pressius loquitur seque non solum assentiri ait, ut hi Canonici Altaristæ iisdem fruantur vacationibus, quibus Ecclesia Cathedralis, sed pro iis etiam exorare.

Videndum de instantiæ æquitate, & justitia. Ultro conveniunt Canonici Oratores a Tridentina Synodo *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* - Exoptatum fuisse, ut a Canonicis omnibus Cathedralium Collegiatarumque Ecclesiarum continuum diurnumque servitium præstaretur, & ex quadam indulgentia permissum, ut usque ad tres menses, & non ultra abesse possent, quacumque non obstante consuetudine. Sed decretum illud ad suam non pertinere Collegiatam reponunt attenta redituum tenuitate, quæ una est ex tribus causis propter quas Tridentina Sanctio limitatur. *Cardinalis Petra ad Const. Apostolicas in Const.* 7. *Jun.* IV. *num.* 28. = *In Collegiatis autem non insignibus licet regulariter Canonici pariter teneantur ad assiduum servitium Chori, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, nempe si aut Ecclesiæ sint rurales, aut si adsit contraria immemorabilis consuetudo, aut demum adeo tenues sint reditus, ut Canonici ali non valeant. Quæ limitationes sufficit si concurrant alternative* =. Et præiverat *Fagnan. in primum lib. Decret. cap. cum omnes de Const. n.* 31., qui refert Sac. hanc Congegationem censuisse supradictum

Tridentinum Decretum *intelligi de omnibus Collegiatis etiam non insignibus, nisi tamen istæ essent rurales prorsus destinatæ, aut in quibus nunquam antea supra hominum memoriam solitum esset resideri, aut quæ adeo tenuis reditus essent, ut Canonicos non habentes unde vivant, alere non possent = Pignattell. Consult.* 114. *num.* 10. *tom.* 9., & *consult.* 150. *num.* 84 *tom.* 10.

Tantumque redituum tenuitati S. C. detulisse addunt, ut in ipsis etiam Cathedralibus a continui servitii lege deflectendum esse censuerit. In *Tinen.* 1. *Decembris* 1633. respondit = *Episcopum durante tenuitate redituum posse permittere, ut Canonici præstent servitium Ecclesiæ non continuum pro suo arbitrio, ita tamen, ut ante declarationem dicti arbitrii prius de illo certioretur S. C. = lib.* 15. *Decret. part.* 285., *& in Cathanen.* 5. *Septembris* 1699. licet denuo improbata fuerit methodus inserviendi, quam Canonici invexerunt, tamen additum fuit = *Attenta tenuitate redituum censuit ex gratia indulgendum esse, prout benigne indulsit præfatis Capitularibus, ut toto anni tempore per mediarias, idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missæ, Matutino, & omnibus Horis interesse valeant, ita tamen, ut diebus Dominicis, & Festis de præcepto, tempore Adventus, & Quadragesimæ, ac Octavarum Nativitatis Domini, Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, ac SS. Corporis Christi ultra medietatem Capitularium, qui non erunt de servitio, Missæ, & Vesperi inservire teneantur = lib.* 49. *decret. pag.* 311., & 312.

In *Asculana* 28. *Jun.* 1696., & 15. *Jan.* 1707. vacationi, qua Canonici Ecclesiæ Cathedralis frui solebant per duos menses, additus fuit tertius ob gravitatem servitii, & tenuitatem proventuum, ut *in lib.*46, *Decret. pag.*39., & *lib.*57. *pag.* 1., sed ne vacare possent a Choro in Adventu, & Quadragesima, nec non Dominicis, aliisque Festis diebus, ac in Octavis privilegiatis, provisum fuerat *die* 5. *Junii* 1706., *ut in lib.*56. *Decret. pag.*170.

Verum dubitationem movet Episcopus quia horum Altaristarum reditus in solis distributionibus consistunt, quos integros amitti ab iisdem oportet in mensibus vacationum; quod quidem rigidæ adeo custodiendum est, ut *in Constitutione Bonifacii VIII. relat. in cap. unio de Cleric. non residen.* a Tridentino Concilio *cap. quo supra* innovata, quævis obliterata fuerit, quæ adversaretur, consue-

tudo

tudo. Sed nil fortasse vetaret, ut Canonici reponunt, quominus Altaristæ tempore vacationum amissa tertia distributionum parte reliquas duas lucrarentur, quemadmodum erga duos Canonicos Episcopo inservientes, erga absentes causa studiorum, atque alios privilegiatos, quoties integri fructus in solis distributionibus consistant, dudum invectum observatumque fuit, quos casus invicem confert *Fagnan. in lib. primo Decret. cap. cum omnes de Constit. num.*35.

Quod si scrupulus adhuc Episcopo hæreat, quia hi Altaristatus non sunt beneficia, adeoque sublata interessentia in Choro nullus superfit titulus, cujus vi duas distributionum tertias partes Altaristæ lucrentur, haud absurdum Canonicis Oratoribus videretur omnes amputare quęstiones, & Episcopo committere ita hasce distributiones partiri ut qui e. *g.* octo, aut novem, aut decem mensibus intersunt, (prout S. C. placeret servitii tempus definire) totam lucrentur annuam distributionum summam ratione servitii per ea tempora præstiti, relicta solum pro mensibus vacationum tertia parte distributionum, quę percipi hactenus consueverit, ut ita ea merces cum fallentiis absentium conjuncta præmium sit eorum, qui vacationibus uti nollent, nec Ecclesiæ servitium deserere. Quo vero ad paucitatem novem Canonicorum eam tantam haud esse dicunt Canonici Oratores, ut propterea a sua petitione rejiciendi sint, cum semper duæ ex tribus Canonicorum partibus pro Chori servitio adesse debeant per eos menses quibus ab hac S. Congregatione vacatio a Choro conceditur. In *Farfen.* 13. *Novembris* 1655. dedit quidem S. C. vacationem duorum mensium, sed pręter consuetam exceptionem Quadragesimæ, Octavæ Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi addidit, ut *numquam a servitio Chori ultra tertiam partem eodem tempore abessent*. In *Atrien.* 5. *Decembris* 1722. Similiter pro concessione vacationum respondit in hæc verba = *Pro gratia ad duos menses ad formam Farfen.* 13. *Novembris* 1655., & eumdem modum præscripserat *in Auximana* 12. *Julii* 1631., *ut in lib.* 14. *Decret. pag.* 467. = *Sacra &c. censuit Eminentissimum Episcopum facere debere Decretum in Collegiatis Ecclesiis suæ Diœcesis, quæ vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium mensium Canonicos abesse non posse ultra tertiam partem uno, & eodem tempore, & hujusmodi vacationem contingere*

non debere tempore Quadragesimæ , & Adventus , neque in principalioribus anni festivitatibus =.

Placeat EE. VV. decernere.

An , & quommodo Capituli precibus sit annuendum incasu &c.

Esse annuendum concessioni Vacationum ad tres menses cum conditionibus in Auximana 12. Julii 1631. , & assignata pro his tribus mensibus tertia parte consuetarum distributionum tantum.

Sess. 23. cap. 14., & Sess. 24. cap. 6. de Reform.

GRANATEN. IRREGULARITATIS. Accolytus Gabriel Lopez Orosco omisso Subdiaconatu , & Diaconatu Presbyteralem Ordinem ab Archiepiscopo Hispalensi subripuit. Finxit propterea Litteras Dimissoriales Ordinarii sui Archiepiscopi Granatensis alteri Episcopo directas : Simulavit fidem exercitationum spiritualium susceptioni Sacrorum Ordinum ex dispositione Sac. Concilii Tridentini præmittendarum : Patrimonium Sacrum falsis documentis se habere probavit.

Hoc modo factus Sacerdos ait se rem omnem in pænitentiali foro Archiepiscopo suo Granatensi aperuisse , moxque eo dispensante Ordinem per saltum susceptum exercuisse , ac per plures annos Missam celebrasse , abstinuisse tamen ab exercitio Ordinum non susceptorum , scilicet Diaconatus , & Subdiaconatus..

Defuncto tamen Granatensi Antistite, novo Archiepiscopo , & Curiæ Granatensi sponte hæc omnia denunciavit. Factum hinc est , ut contra eum ab eadem Curia , formali promulgata suspensionis , ac irregularitatis Sententia , pænas etiam subire debuerit ab eadem curia impositas.

Postulavit a S. C. absolutionem ab irregularitate , & suspensione , & facultatem ministrandi in Sacerdotali Ordine postquam susceperit Diaconatum , & Subdiaconatum. Sed proposita instantia per summaria precum in Congregatione *diei* 20. *Augusti* 1785. rejectus fuit rescripto *Lectum*. Institit postea, ut Causa in Folio describeretur , solemniorique ratione sub consueto Dubio ejus instantia expenderetur.

Ait

Ait porro Orator nihil desiderari ex iis, quæ S. hanc Congregationem ad elargiendam ab irregularitate dispensationem movere solent. De satisfactione Fisci suum testari Archiepiscopum. Itemque de longa viginti annorum pænitentia cum constanti emendatione conjuncta: Et Archiepiscopi judicium plures alios confirmare testes: Hæc veluti præliminaria esse impertiendæ dispensationis. *Ferraris Biblioth. Can. verbo irregularitas art. 3. verbo Pænitentia, ac verbo Dispensatio*. Accedere præterea tanti temporis fugam, ut commissi criminis memoria exsolverit quam circumstantiam maximi faciunt *Fagnan. in lib. 5. Decret. cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duello, & Fargna de Jure patr. part. 1. can. 5 cas. 11. num. 66.* Peculiarem adstipulari circumstantiam ex qua fiet, ut nisi nunc ejus preces exaudiantur perpetuo carere Sacro Ministerio debeat: Vir enim pius, & locuples misertus ejus paupertatis patrimonium illi constituit ea conditione, ut si gratia vel differretur, vel negaretur infecta assignatio esset = *poiche in caso di morosità o negativa de suoi Superiori, o con ragione o senza che sia fatta, immediatamente mi ha da esser permesso il riavere queste mie rendite* = Plurimum quoque tribuendum experimento Sacræ litteraturæ, quod iniri ab examinatoribus voluit Archiepiscopus; & quo præeunte = *eum in latino idiomate, morali Theologia, nec non in his omnibus, quæ ad Sacerdotale Ministerium implendum necessaria videntur, approbationem absolutam promeruisse* refert. Addit Orator se vix patrato crimine rem omnem suo aperuisse Archiediscopo, subitaque hac pænitentia delicti gravitatem emolliviſſe: Quam plane facti circumstantiam etsi illius dicto solummodo probatam iis tamen fulcire nititur conjecturis, quæ in *distribuenda per eumdem allegatione leguntur*.

Momentosissima videri posset circumstantia necessitatis Ecclesiæ suæ. Inquit enim Orator (videndum an satis probet) Ecclesiam Villæ Mala patriam suam unicum habere Sacerdotem nempe Parochum, cui licet data sit facultas duabus vicibus diebus festis Sacrificium offerendi adhuc ne hoc quidem satis est ut accolæ omnes interesse sacrificio possint: Ipsum qua est & esse docuit in alienigenas caritate multo majori conterrigenas suos complexurum esse, & tam gravibus eorum necessitatibus in Sacerdotalis muneris exercitio occursurum. Profert denique magni æstimandum proprii Archiepiscopi judicium qui suam claudit informationem in hæc verba = *Dignum præfatum Gabrielem Lopez de Orosto censeo experiendi Apostolicæ*

cæ benignitatis applicationem in dispensatione irregularitatum a quibus postulat misericorditer liberari .

Digreditur post hæc ad alia Orator . Ait erronee creditum fuisse quod ipse ullam incurrerit irregularitatem : Hanc requirere suscepti Ordinis exercitium ; ipsum vero non pridem exercuisse quam in pænitentiali foro absolutus a suo Ordinario fuisset juxta facultatem Episcopis quoad promotos per saltum & occultas irregularitates ex delicto a Tridentino Concilio tributam *Sess.* 23. *de Reform. cap.*14. , *& Sess.* 24. *de Reform. cap.*6.

Sed verum non est, omnem irregularitatem quæ ex delicto nascitur in susceptione Ordinum , exercitium suscepti Ordinis ipræerequirere . Etenim Canonistæ , & Theologi unanimi consensione irregularitatem describunt tamquam impedimentum quo quis interdicitur directe quidem , & primario a susceptione Ordinum, consequenter vero eorum usu . Hinc irregulares esse , qui furtive ordinantur , concludunt . Optime *Habert. in sua Theologia Dogmatica Morali tractatu de Ordine , censuris , & irregularitate part.*3. *cap.*6. *§.* 12. = *Qui incurrunt irregularitatem ex delicto in receptione Ordinis ? Incurrunt qui furtive ordinantur , hoc est qui fraudolenter examen effugerint , nec alias fuerunt approbati aut admissi . Ita decrevit Alex. III. in cap. Veniens* = Respondemus , inquit , quod si non fuit sub anathematis interminatione prohibitus ne ipse in promotione ipsius ad Sacerdotale officium condigna satisfactione imposita, nisi alia impediant, pro arbitrio dispenses = *Si ergo dispensatione indiget impedimentum contraxerat . Pergit vero Pontifex* = Si vero interminatio Anathematis super hoc facta est moneas eum ut in aliquo monasterio seu canonica habitum suscipiat regularem , alioquin nulla ratione concedimus eum ad Sacerdotalem Ordinem promoveri . = *At qui juxta Pontificale Romanum Archidiaconus ante Ordinationem ex mandato Episcopi monet sub excommunicationis pæna* ne quis non descriptus , examinatus , approbatus , & nominatus ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere = Huc usque *Habert* : Addere poterat quod Tridentinum Concilium loco mox allegato hoc ipsum confirmat = *Cum promotis , inquit , per saltum Episcopus ex legitima causa possit dispensare* = Porro dispensatio incursam præsupponit irregularitatem . Semel ac autem pubblica evaserunt crimina falsi , & saltuariæ ordinationis ab Oratore patrata , in eam incidisse irregularitatem quæ ab Episcopo

dicto,

dissolvi nequeat res ex ipsis ad quæ appellatur Tridentini verbis comperta est.

Deffiniendum erit.

An sit locus dispensationi in Casu &c.

Affirmative, imposita arbitrio Episcopi salutari pænitentia, & adjecta lege commorandi, & celebrandi in Ecclesia Villæ Malæ, quamdiu dictæ Ecclesiæ necessitas postulaverit, susceptis prius Ordinibus omissis. Facto verbo cum SSmo.

LUNEN. SARZANEN. REDUCTIONIS MISSÆ CONVENTUALIS. Occasione qua Episcopus Lunen. Sarzanen. suam Diæcesim, & inter cæteras insignem Collegiatam S. Mariæ de Populo Civitatis Pontremoli S. Visitatione lustrabat, die 19. Augusti 1768. decrevit ut Canonici dictæ Collegiatæ Sacram hanc Congregationem adirent pro obtinenda Missæ Conventualis reductione non intermissa tamen illius applicatione, quousque petitis Sac. hæc Congregatio annuisset. Impulerunt plura Episcopum ut ita decerneret: Nempe Canonicorum paucitas, Capitulum enim componitur ex octo Canonicis, & quatuor dignitatibus; Præpositus vero cui adnexa est animarum cura se exemptum esse contendit, Decanus, Primicerius, & duo Canonici Clerici ex fundatione sunt ab hac obligatione immunes, ex quo fit ut in septem Canonicos ejusmodi onus refundatur. Et multo magis ita Episcopus decrevit inspecta redituum tenuitate qui vix ad sc. 20. efferuntur, cum e converso grave illis incumbat quotidiani servitii onus cui & alia supraccedunt. Consideravit quoque augumentum eleemosynæ Missarum quæ tempore fundationis non excedebat solidos octo, nunc ad duodecim attollitur. Paruerunt Canonici, oblatæque ab iis preces ad Episcopum transmissæ fueruut, qui hactenus dicta in suo responso confirmat, & propterea concludit congruum sibi videri ut Missæ conventualis obbligatio Sac. hujus Senatus æquissimo arbitrio moderetur. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

Celebrandæ applicandæque Missæ conventualis origo repetenda est a primis usque Ecclesiæ temporibus, quibus in Sacris diptycis nomina eorum describebantur, qui sua liberalitate cujusvis Ecclesiæ patrimonium auxerunt iis non exclusis qui licet sua bona offerrent, non requisiverant tamen ut aliquæ pro iis preces funderentur. Cum porro, horum Diptycorum usus sensim exoleverit, perie-

fueritque ideo memoria benefactorum, Ecclesia tamen eorumdem non oblita Conventualis Missæ pro benefactoribus in genere celebrationem in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis imperandam esse censuit. Prostant Decreta tum Innocentii III. in *Cap. Dolentes* tum Honorii III. in Encyclica ad omnes Ecclesiæ Prælatos *in cap. cum creatura de cel. Missarum*; Nullaque consuetudine obliterari eam obbligationem posse respondit Sac. hæc Congregatio in *Tusculana* 16. *Novembris* 1692. *lib.* 19. *Decret. fol.* 210., & ut cætera omittantur *Bened. XIV. in suis Encyclicis litteris cum semper* oblatas tum dictæ celebrationis necessitatem instauravit, tum qualiscumque etiam immemorabilis contrariæ consuetudinis excusationem proscripsit §. 14., *&* 16

Non desunt etiam gravissimi Doctores qui in ipso præcepto recitandi in Choro horas Canonicas intrinsecus contineri & præsupponi docent Conventualis Missæ celebrationem. Sapienter enim animadvertunt horas Canonicas tamquam dispositiones ad solemnem Sacrificii actionem præscribi ita ut actio Sacrificii sit præcipue & primario intenta, cantus vero horarum Canonicarum sit præparatio ad solemnis Missæ celebrationem ut bene considerat *Quarti ad rubr. Missalis part.* 1. *tit.* 3. *sect. prima*.

Nihilominus quando comperta redituum tenuitas discedere quodammodo cogit a dispositione juris, consuevit hic Sacer Ordo, intacta manente obbligatione diurnæ celebrationis Missæ Conventualis, illius applicandæ necessitatem ad solos dies festos de præcepto restringere. Quoad colligere licet ex regestis Sac. Congregationis, hæc quæstio sub formalis Dubii disputatione proposita primum fuit annis 1705, & 1706. in una *Camerinen. Missæ Conventualis* in qua cum secundo loco quæreretur an & quibus diebus celebrandi esset Missa Conventualis, respousum fuit = *Affirmative*, *&* *quotidie* = in secunda vero propositione cum doctum fuisset de præbendarum tenuitate, prodiit rescriptum = *In Decisis in casu de quo agitur quoad dies festos tantum*. Mox *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. cum sub tertio Dubio expendendum esset = *An, & quæ exemptio sive a celebratione sive ab applicatione Missæ Conventualis attenta præbendarum tenuitate sit indulgenda* = Sac. Congregatio dixit = *Posse indulgeri ut Missas applicent diebus tantum festis de præcepto*. Atque ab eo tempore sexcentis vicibus eadem indulgentia usa est S. C. & nuperrime in *Alexandrina Missæ Conventua-*

tua-

tualis 7. *Julii* 1770. *in Placentina* 30. *Julii* 1785. *in Setina Chori, & Missæ Conventualis* 10. *Decembris ejusdem anni*. Quæritur.

An, & quæ exemptio a celebratione vel applicatione Missæ Conventualis attenta præbandarum tenuitate sit indulgenda in casu &c.

Esse indulgendam exemptionem ab applicatione Missæ Conventualis, exceptis diebus festis de præcepto.

SARSINATEN. UNIONIS, ET REDUCTIONIS. *Sess. 21. cap. 5. de Reform.*

Bernardina Almerigi de Foro Saraceno Diecesis Sarsinaten. jussit in suo testamento anni 1736. tria erigi beneficia simplicia in Ecclesia Priorali dicti Oppidi imposito onere Cappellanis quod præter festum S. Sebastiani cum assistentia octo Sacerdotum celebrandum, & solutionem scuti unius Sacrario Ecclesiæ prædictæ pro utensilibus, singuli Missam qualibet die Dominica ac Natali D.N.J.C. in designatis respective Altaribus celebrarent.

Pro Dote vero eorumdem fructus assignavit prædioli nuncupat. *Sorivolo*, ac nonnullos census in Calce dicti testamenti adnotatos, quibus in partes tres divisis, cuilibet Cappellano summa obtigit sc. 268. 50., non comprehensa vini ac frumenti una vel altera salma, quæ ex d. prædiolo percipiebatur.

Duo ex dd. Beneficiis modo possidet *Julianus Mami* Canonicus Coadjutor Ecclesiæ Cathedralis Cæsenaten., qui anno 1782. cum unum ex dd. Beneficiis haberet, facultatem ad triennum obtinuit ab hac Sac. Congregatione ut Missæ quæ præscriptis diebus celebrandæ erant, etiam extra dies designatos dicerentur; inveniri enim non poterant Sacerdotes per quos fieri huic oneri posset satis.

Post hæc tam *Petrus* Antonius Mami tunc possessor *duorum dd. Beneficiarum* una cum prædicto Juliano Mami alterius Beneficii detentore; quam eorumdem compatroni preces obtulerunt SSmo Domino Nostro pro unione dd. Beneficiorum in personam d. Antonii Mami, ac pro reductione Missarum cum facultate eas celebrandi aliis quam a testatrice præscriptis diebus. Examen ad hanc Sac. Congregationem est ablegatum, quæ Ordinarii de more sensa exquisivit.

Episcopus in prolixa sua informatione hæc in summa re-

fert: unumquodque ex his beneficiis dotem habuisse in rata censuum ad sc.268. 50. ascendente, & tertia parte antedicti prædii *Sorivolo*. Cum census essent partim superiori sæculo constituti cum usura septem vel octo in singula centum partim ab ipsa testatrice acquisiti facile creditu est annuum censualem fructum scuta circiter viginti attigisse quibus addendi erant prædii reditus.

Narrat decursu temporis factum esse ut censuarii aliqui debitores decoxerint, aliorum difficilis exactio evaserit, aliquorum restituta sorte sub minori fænore implicari pecunia debuerit: Prædiolum vero ex natura loci, præcipiti saxorum lapsu, subterranearum aquarum copia in eam incidisse sterilitatem quæ nulla reparari industria potest; ita ut non deductis oneribus vix ad annua scuta octo cujusvis beneficii reditus efferatur. Concludit opportunum sibi videri tum quod tria hæc beneficia uniantur & redigantur ad unum, tum quod minuatur Sacrorum onus, illudque limitetur ad unam Missam qualibet Dominica die in Ecclesia Parochiali, ad Festum S. Sebastiani modo a testatrice præscripto, ad contributionem scuti unius Sacrario pro utensilibus quatenus Cappellanus sua non habeat aut deferat. In his assentiri beneficiatos, Patronos, & qui in patronatu substitutus est Ecclesiæ Rectorem.

Prima sane quæstio quæ unionem respicit trium Beneficiorum non incongruæ nititur causæ tenuitati nimirum redituum eorumdem Beneficiorum. Longe hinc absunt disputationes DD. de adempta per Concilium Tridentinum Episcopis facultatem uniendi inter se benuficia simplicia, deque ea solum ampliori modo concessa cum unio facienda est ad Cathedrales Ecclesias, & insignes Collegiatas aut Parcchiales juxta ea quæ leguntur *Sess.* 21. *cap.* 5. *de Reform.*, & *Sess.* 24. *cap.* 13., & 15. *de Reform. & adnotat. Barbosa in Collect. ad Conc. Trid. Sess.* 21. *cap.* 6. *num.* 11.

Unio quippe postulatur a Summo Pontifice cui oblatæ fuerunt preces & a quo per Organum Emi Datarii ad hanc Sac. Congregationem remissæ fuerunt. Jam vero fructuum paucitas eorumque omnimoda imparitas ad Beneficiatum exhibendum unionis fundamentum præbet *Cap. exposuisti* 33. *de Præbendis*, Patroni assentiuntur etiam ii qui in spem remotissimam substituti sunt *ad text. in Cap. Suggestum* 20. *de Jurept.*, *& Tridentinum Sess.* 24. *de Reform. cap.* 15. Rectores Beneficiorum quorum nec exquirenda consensio est cum post eorum obitum unionis

nis effectus differratur *Clement. si una 2. de Rebus Eccl. non alienand.* quoniam hodie peragenda hæc unio est, non tam assentiuntur quam ii ipsi eam impensissime efflagitant.

Neque obesse potest animadversio quod testatrix cum tria respective Altaria pro dd. tribus Beneficiis designavit, professa sit *ha deliberato di dotare coll' infrascritta Dote ogn'un di essi*. Præter quam enim concessa etiam unione nil vetaret imponi beneficiato onus manutentionis reliquorum Altarium refert Episcopus quod duo ex iisdem Altaribus *suas habent Confraternitates a quibus manuteneri debent, & alterum idoneum abunde habet patronum, ita ut Notarii ignorantiæ tribuatur quod eadem Altaria dotare voluerit testatrix cum præscripto Capitali*.

Secunda quæstio reductionem onerum respiciens quamvis regulam offendere videatur a Sac. Congregatione tam sæpe laudatam ea scilicet non minuendi quoties de oneribus agitur jam acceptatis, & per exequtionem emologatis, atque aliunde manualis pro Sacrorum numero eleemosyna non deest; expendendum tamen est an huic regulæ quæ sine contradictore recipitur cum de Legatis agitur Missarum, etiam tunc locus esse debeat quando scilicet res est de Sacris beneficio adnexis; In iis enim reditus a fundatoribus tribuuntur non pro sola Sacrorum eleemosyna sed etiam pro Cappellani exhibitione, proindeque iniquum videri potest atque a mente fundatorum alienum eam redituum partem quæ sustentationi Cappellani destinata est integre in eleemosynam Sacrorum convertere nilque relinquere pro Beneficiato in correspectivitatem onerum eidem incumbentium, & præsertim diurnæ obbligationis recitationis Officii. *Amostaz. de caus. piis lib.2. cap. 4. num. 31.* = *Nam excessus* (supra eleemosynam Missarum) *non pro Missa conceditur sed ratione dignitatis & sustentationis* = *Piton. de contr. patron. alleg.67. num.9.* = *Verius est quod in Cappellaniis seu Missis fundatis majus stipendium ultra taxam Missarum manualium non datur ratione Sacrificii sed ratione sustentationis Cappellani* =

Quinimmo in ipsis quoque Legatis Missarum quando exploratum est detrimentum annuorum redituum, demonstrata naturalis eorumdem imminutio, certus in loco Sacerdotum defectus per quos cum manuali eleemosyna impleri celebratio aut nullo modo aut perraro vel difficillime potest etiam post acceptatum emologatumque onus reductioni ad taxam perpetuæ locum esse censuit Sacer hic

Senatus in Anconitana Missarum 16. *Martii* 1782. *resolut.* 20. *Aprilis dicti anni*, & in Folio allegantur concordantia S. Congregationis responsa.

Neque momentosa videtur singularis devotio testatricis erga altaria sub quorum invocatione beneficia erigi mandavit = *E perchè ha in gran venerazione gli Altari del SSmo Sacramento &c. eretti nella suddetta Chiesa ha deliberato di dotare coll'infrascritta dote ogn'uno di essi* = Confestim enim addit = *In suffragio della di lei Anima, e di tutti li defonti della medesima testatrice* = ita ut pro dimetienda Sacrorum reductione sola obstare videatur suffragiorum diminutio in expiationem animæ fundatricis ejusque conjunctorum quæ in omnibus reductionibus timenda est. Ad rem Episcopus = *In districtu ejusdem Parochiæ sive in eodem oppido non deest Missa altera in alia Ecclesia, nec populi commoditatem respexit testatrix ipsa in ejus exposita voluntate.*

Definiendum est.

I. *An sit locus unioni Beneficiorum in casu &c.*

II. *An & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess.21. cap. 4. de Reform.

CARPENCTORATEN. DISMEMBRATIONIS. In Congregatione diei 20. Maii currentis anni proposita fuit hæc Causa, & in folio ea occasione distributo relatum fuit, quæ sint hujus litis capita unanimi consensione definita super quibus proinde moveri amplius quæstio non potest nec movetur, & quæ vicissim in quibus EE. VV. suum tulerunt consultissimum judicium, & nihilominus novo sunt examini subiicienda. Petiit Monasterium ea occasione dilationem quam EE. VV. dandam censuerunt edito responso = *Dilata ad primam post proximam & proponatur etiam unica* = Parendo itaque mandatis EE. VV., describitur hodie causa in qua resumptis præcedentibus foliis sapienter de more decernent.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 29. *Julii* 1786. *in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

JUdicio EE. VV. subjiciuntur primo loco duæ Causæ, quæ ex ultima Congregatione superfuerunt; deinde aliæ septem, quæ nunc primum proponuntur.

SARSINATEN. UNIONIS, ET REDUCTIONIS. *Sess.21. cap.5. de Reform.*

I. *An sit locus unioni beneficiorum in casu &c.*

II. *An, & quommodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative juxta modum nempe celebrata una Missa singulis diebus Dominicis, & Festis de præcepto, & adimpletis aliis oneribus a Testatore præscriptis.

CARPENCTORATEN. DISMEMBRATIONIS. *Sess.21. cap.4. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

FIRMANA EMPHYTEUSIS SUPER PRÆLATIONE. *Sess.25.cap.11. de Reform.* Instantibus Creditoribus Patrimonii Cosimi publicæ licitationi exposita fuit concessio in Emphyteusim duorum Prædiorum ad beneficium spectantium, quod in Collegiata Ecclesia Murri Vallium possidet Antonius Cosimi. Jussu Sacræ hujus Congregationis Firmanus Antistes affigi Edicta curavit ad tertiam generationem masculinam

linam; atque in edictorum termino Joseph Marchetti comperta *extrajudiciali* Josephi Mariani oblatione in annuis scut. 8., illam *judicialiter* per interpositam Thomæ Baldassarini personam adauxit ad scut. 8. 50. Iis tamen addidit postmodum obulos 50. Marianus; quod ut rescivit Marchettus obtulit *vigesimæ titulo* scut. 10. 50. Hac postmodum ab ipsomet Mariano ratihabita, votum statim aperuit Firmanus Antistes, quo satis consultum asseruit & Creditorum, & rei Ecclesiasticæ utilitati, si Emphyteusis contractus cum Mariano stipularetur, quatenus idoneum præstaret fidejussorem.

Displicuit Marchetto sibi anteferri Marianum, licet *vigesimæ* oblationem a se datam minime superasset: Quare supplici porrecto Libello S. Congregationi *sextam* adauxit flagitans ut auctione adprobata, contractus Emphyteuticus cum eo stipularetur. Ast iterum prodiit creditorum turba coram S. Congregatione stipulationem urgens cum eodem Mariano ad tramites primæ oblationis. Rei cognitio denuo commissa fuit Firmano Archiepiscopo, qui Mariano judicialiter denunciavit *Sextam* per Marchettum adauctam, ac præfixit terminum ad sua jura deducenda. Prodiit revera Marianus, atque in precibus S. Congregationi exhibitis sextam a Marchetto adauctam obtulit & ipse atque acceptavit. Causa justa est in Folio describi, & sub infrascripto Dubio disceptatur.

Ait Marchettus favere sibi legem a Benedicto XIV. pro locationibus Cameræ Apostolicæ editam in suo Bull. Tom. 1. la 65.; eamque ex praxi Sacrarum Congregationum ad licitationes quoque bonorum Ecclesiasticorum fuisse traductam. Porro cum illa jubeat rem deliberari majori, & meliori oblatori nisi infra præscriptos dies, alter vigesimam aut mox sextam augeat, neque eas auctiones prior oblator superare velit, rem sui favore confectam esse concludit. Etenim oblatam a se vigesimam acceptavit quidem sed non vicit Marianus secus ac edixit Benedictina sanctio, quæ §.6. præscribit denunciandam priori oblatori vigesimæ auctionem = *doppo la quale si lasciarà al primo il termine di altri dieci giorni ad effetto, che possa risolvere se vuol fare nuova offerta superiore a quella del secondo* =. Idem contigit cum Marchettus obtulit sextam, quam pariter æquavit, sed non superavit Marianus.

Addit Marchettus hanc ipsam Sextæ peræquationem a Mariano factam extrajudicialem esse, adeoque despiciendam. Verum omnem in casum etsi pessum irent omnia, ipsum

adhuc

adhuc meliorem majoremque oblatorem esse eum in judicio de offerentium meritis dando non de sola quantitate habenda sit ratio, sed de idoneitate, & divitiis oblatorum, quibus inspectis nedum æqualis in quantitate oblatio prælata simili, sed & superiori quoque oblationi fuit ad *Leg*.5. *§. Melior autem ff. de in diem addictione*. Ita *Ulpianus* Sententiam *Pomponii* sequutus. = *Melior autem conditio adferri videtur si pretio sit additum; sed etsi nihil pretio addatur solutio tamen afferatur facilior vel maturior, melior conditio adferri videtur &c. ergo idem probandum etsi viliori pretio emere sit paratus, & tamen remittat, quæ venditori gravia erant in priori emptione*.

Jam vero exploratum esse ipsum cum Mariano comparatum iis pollere qualitatibus, quæ eum extemplo meliorem oblatorem ostendant. Constaret id primum ex voto Firmani Archiepiscopi, qui testatur eum=*bonorum fortuna ita abundare ut inter ditiores in oppido Murri Vallium habeatur* =. Gravi Archiepiscopi assertioni consonare testes quamplures, ac omni exceptione majores, ipsos nempe Murri Vallenses indigenas, & publicum loci Notarium, qui tum ex Codicibus censualibus, cum ex Archivio se comperisse deponit *Josephum Marchetti præ omnibus familiis loci primariis magis valere Capitalibus fructiferis*.

E converso Marianum fortunæ bonis adeo destitutum esse, ut jam tunc quando votum suum S. Congregationi primum aperuit Firmanus Antistes, censuerit contractum Emphyteuticum favore Mariani ineundum, = *quatenus idoneum præstet Fidejussorem*=; atque in altero voto tamquam certum adseruerit=*eumdem Mariani nihil in bonis possidere* =, quod prægnantioribus verbis deponunt testes, & adstipulatur publicus ipse Notarius, qui Censualibus Codicibus accurate pervolutis = *nullibi descriptum testatur nomen Josephi Mariani*.

Quid his facti monumentis reponat Marianus latet, cum ad hanc diem oblata ejus jura non fuerint. Juris dispositionem, quod attinet opponet fortasse Sac. Congregationis praxim, quæ pro eadem summa primum oblatorem, dummodo tamen idoneum, præferre consuevit, ut in *Reatina* 28. *Septembris* 1726. in qua proposito Dubio = *an & cujus favore sit concedendum beneplacitum Apostoli cum* = respondit = *Beneplacitum esse concedendum favore Joannis Palmegiani sine præjudicio Tiburtii Mongalli quatenus præferri velit pro eadem summa* =, & in folio pro illius Causæ definitione distributo par effertur resolutio *in*

Nea-

Neapolitana 17. *Augusti* 1697. , *confirmata* 28. *Septembris ejusdem anni*.

Sed animadvertere est datam Ecclesiis fuisse hanc prærogativam , ut post rem majori oblatori deliberatam dummodo actus non sit omnino completus novas recipere oblationes possit *Ricc. decis*. 1726. *Salgad in labyr. credit. Part*. 2. *cap*. 2. *num*. 17. , *Card. de Luc. de Regal: disc*. 81. *num*. 12. §. *Item Ecclesiæ & num*. 24. . Æquitatis autem & justitiæ cum sit cultrix Ecclesia hoc vulnus , quod dicti oblatoris juribus inflixit religiosissime compensat , & redimit dictum oblatorem pro alia majori summa ab altero superveniente oblata præferendo , ut considerat *Card. de Luca de locat. , & conduct. disc*, 44. *num. ultimo & coram Petra ad Constit. S. Leonis M. la prima sect*. 3. *num*.42.

Expendendum propterea est an quando novæ oblationes recipiuntur etiam post rem majori oblatori deliberatam non ex quodam privilegio , & æquitate sed ex scripto jure , scilicet lege Benedictina ; & quando non omnes indistincte majores oblationes concurrunt , sed ad eam mensuram quam lex Benedictina præscripsit eadem compensatio , sive eadem prælatio primo oblatori danda adhuc sit . Multoque magis considerandum erit an eadem erga primum oblatorem indulgentia adhibenda sit quando primæ oblationi læsio objicitur imploraturque adversus eam remedium restitutionis in integrum ob concurrentem sextæ oblationem . Favore primi oblatoris late rem pertractat *De Marinis resol. jur. lib*. 1 *cap*. 147. *num*. [illegible], & *seqq*. qui tamen contra eum Regiam Cameram pronunciasse refert ex aliis ut putat causis .

Definiant itaque EE. VV. assueta maturitate , & doctrina .

An , & cui competat prælatio ita ut stipulandum sit instrumentum emphyteusis in casu &c.

Prælationem competere Josepho Mariani , & cum eo stipulandum esse Instrumentum Emphyteusis ad tertiam generationem masculinam cum solidali obligatione Philippi Massa .

PAR-

PARMEN. BENEFICII. Moriens Sacerdos Horatius Pezzani duo instituit Beneficia in sua Parochiali Ecclesia Villae Gramignatis: alterum sub invocatione S. Antonii Patavini post illius mortem statim erigendum, veluti erectum fuit; & alterum ad Altare B. V. Rosarii, cujus tamen erectionem ad tempus distulit, in quo Hieronymus Pezzani ex fratre Nepos, & hæres sine filiis masculis deficeret, sive nepotis ejusdem linea masculorum penitus extingueretur, quorum favore Fideicommissum stricte agnatitium longo substitutionum ordine super omnibus bonis suis præscripserat.

Sess.22.cap.8. & 11. Sess.25. cap. 4. , & 5. de Reform.

Quamvis autem bona huic secundo beneficio assignanda in testamento suo expressè nuncupavisset, attamen Hieronymus hæres illorum nonnulla in tertios distraxit. Denique jam grandævus hic hæres sine filiis decessit, edito testamento, in quo post obitum Uxoris in usufructu honoratæ, mandavit in præfatis Ecclesia, & Altari erigi Beneficium, eique dotis nomine aliqua patrui bona nominatim designavit, onusque Rectori imposuit singulis diebus festis in solis ortu celebrandi Missam, omnibusque Ecclesiæ functionibus interessendi, instituto in reliqua sua hæreditate Jacobo Cappelletti.

Rebus sic stantibus, Joseph Antonius Maccarini ab eodem testatore executor testamentarius nuncupatus, humiles porrexit SS̃mo Domino Nostro preces, ut dignaretur, testamento non obstante Sacerdotis Horatii Pezzani, probare dispositionem Hieronymi Pezzani, erectionemque beneficii mandare, prout in hujus testamento instituitur.

Huic Sacræ Congregationi delegatis precibus, Episcopus de more interrogatus fuit, qui post facti seriem latius expositam concludit = *Obsequendo itaque Mandatis EE. VV., sumptis necessariis cognitionibus, compertum habui, erectionem beneficii juxta disposita in primo testamento haud quaquam peragi posse, nec ullum remedium præsto esse pro vindicandis bonis alienatis, vel pro eorumdem reintegratione, cum talia in facto concurrant, quæ minimè superari queunt, potissimum cum præfatus Jacobus Cappelletti, licet verbis assentiatur, facto tamen se opponit, ne res conficiatur, etiam habito respectu ad vota secundi testatoris. Qua de re optimum duxi, parochum tantumodo audire, qui nedum adprobat, verum etiam, quam maximè exoptat, ut erigatur beneficium ad tramites secundi testamenti, prout etiam certum mihi est, id quoque exoptari ab illis, qui vocati fuere ad juspatronatum in priori testa-*

testamento, utpote dignoscentes in eo disposita minime exequi posse =.

Monet denique Episcopus, imparia esse oneribus a Rectore subeundis bona a secundo testatore in beneficii dotem destinata; Cum non majorem scutis viginti circiter redditum repromittant. Ideoque sentit, ut, si beneficium hujusmodi erigi velit, onera reducantur oporteat.

Multum sane dixisse Episcopus videtur, cum in sua informatione retulerit, nullum adesse remedium, neque ad bona vindicanda primi testatoris, neque ad indemnitatem ex aliis bonis obtinendam; Obicesque tales præstari, qui superari non possunt. Num propterea in eum, qui proponitur modum moderanda sit primi testatoris dispositio, probandaque beneficii erectio, veluti secundus testator demandavit; vel potius salutaris aliqua adjicienda sit huic erectioni clausula per quam intacta remaneat spes oportuniori tempore urgendi primæ dispositionis implementum pro rerum circumstantiis EE. VV. judicabunt.

Interim tamen neutiquam respondet Oneri Missarum, & servitio Ecclesiæ modicus reditus annuorum scutorum viginti: Immo neque par est soli Sacrificiorum numero a primo Testatore præscripto pro die Dominica & tribus aliis diebus ferialibus cujuslibet hebdomadæ. Hoc igitur quoad fieri poterit retento numero, delendum potius videretur superadditum a secundo testatore Ecclesiæ servitium juxta praxim hujus S. C. quam etiam sequuta est in *Regien reductionis servitii chori, & Missarum 27. Aprilis* 1776., *& in Feretrana Reductionis Onerum* 16. *Junii* 1781.

Placeat EE. VV. respondere Dubio.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Beneficium esse erigendum juxta fundationem Sacerdotis Horatii, & Missas esse celebrandas pro rata redituum pro nunc actu existentium ad taxam perpetuæ, & scribatur Episcopo juxta Mentem.

Sess.23. cap. 1. de Reform.

TYBURTINA RESIDENTIÆ. Jussit Tyburtinus Episcopus, quod Joannes Baptista Ciucci Parochus Ecclesiæ sub invocatione SS.mæ Trinitatis in Terra Anticuli Corradi domum intra septa Paræciæ conduceret, interim Domum ad eamdem Paræciam spectantem restauraret, moxque illam incoleret. Conquestus de hoc præcepto Ciuccius rem detulit ad Sac. Congregationem multis-

tisque cum venerit stipulatus testium præsidiis tam super natura Paræciæ suæ, quam etiam super perenni observantia, meliorique populi servitii aliisque circumstantiis quæstionem severiori examine dignam EE. VV. censuerunt, atque ideo in Congregatione diei 8. Aprilis currentis anni mandarunt, ut causa in folio describeretur.

Ait Parochus non usque adeo rigide, ac veluti materialiter, ut ajunt, accipiendam esse residentiæ Parochialis legem in ambitu suæ Paræciæ, ut non sufficiat ex probabilibus causis ab ea ita parum abesse, ut nihil inde Animarum curam detinenti patiatur *collect. per Ferraris Biblioth. Canonic. &c. verbo Parochus art.* 2. *num.* 17.

Hujusmodi autem probabiles causas in casu non desiderari. Domus enim Parochialis non adest ipso fatente Episcopo. Domum alteram intra septa conducere præ redituum tenuitate non potest cum ii vix ad scut.70. efferantur. Domo autem ex juribus Paræciæ intra ejusdem fines posita, & a largitate Baronis cum Onere octoSacrorum in annos singulos Paræciæ donata uti non posse cum ad eum statum devenerit, ut nullus in ea habitare queat uti oculus vidit suus ipse idem Episcopus: Restaurationis autem onus ad se non pertinere ex prædicta annuorum redituum paucitate, sed ad Communitatem, ut Sac. hæc Congregatio respondit in *Tudentina restaurationis domus Parochialis* 19. *Decembris* 1772., quæ Dubio, quod proponebatur = *An, & ad quem spectet reparatio Domus Archipresbyteralis in casu &c.*, = rescripsit = *spectare ad Communitatem, & Homines* =.

Addit ex bene multis constare testibus ita jugiter observatum fuisse, nec sine apta congruentique ratione: Nam Ecclesia SSmæ Trinitatis deserta adeo est, ut in ea neque SSmum Eucharistiæ Sacramentum usque ab anno 1637. asservetur, neque Fons Baptismalis retineatur, neque Oleum Infirmorum conservetur; Hinc dicto anno decretum a Cardinali Roma tunc Tyburtino Episcopo fuisse, ut Sacramenta Baptismi, extremæ unctionis, & Viatici Parochianis SSmæ Trinitatis ab altero Archipresbyteralis Ecclesiæ Rectore ministrarentur. Mox usu receptum, ut in dicta Ecclesia Archipresbyterali, & ex dicta Ecclesia, sed a Parocho SSmæ Trinitatis suis ovibus Sacramenta darentur, ita quidem ut sub hoscemet dies sua magna cum laude interponente officia Tyburtino Antistite Archipresbyter, qui aliquantulum reluctabatur = *Seipsum vincens* (inquit Episcopus) *liberam Sacramentorum administrationem in sua Ecclesia concessit Joanni Baptistæ Ciucci Parocho SSmæ Trinitatis, atque hanc suam voluntatem*

pro majori stabilitate coram testibus ratam habuit, ac publica auctoritate firmatam voluit =.

Jam vero, concludit, se qui intra ambitum est ejus Ecclesiæ a quo Sacramenta sumuntur, & in qua ministrantur censeri posse in suaParæcia residere cum ad quamdam honoris, & tituli speciem Ecclesia altera SSmæ Trinitatis redacta ex prædictis videatur. Ab experientia autem constare quamplurimi testes confirmant Parochum longe melius promptiusque accurrere ovium suorum necessitatibus ab eo in quo habitat loco, & in vicinia Archipresbyteralis Ecclesiæ, a qua sumenda sunt Sacramenta, quam si vel prope ipsam immediate Ecclesiam SSmæ Trinitatis degeret. Sacros autem Canones, & Concil.Trid. dum residendi legem omnibus Animarum Pastoribus vel indixere, vel a juris divini principiis derivatam commendarunt non ad materialem, sed ad utilem operosamque residentiam attendisse *Barbosa de offic., & potest. Parochi p. 1. cap. 8. num. 41., Passarin. de Offic. Curati Cap. 1. num. 10., Reinfest. in 3. Decretal. tit. 4. §. 3. num. 85., ad d. tit. num. 15.*

Contra autem Episcopus quam arcta, & pæcisa sit lex Parochis indicta sua in Paræcia residendi ex ipsis agnoscendum esse præmittit Tridentini verbis *Sess. 23. de reform. cap. 1.*, & a longa, & uniformi serie resolutionum hujus Sac. Cong., ut omissis antiquioribus legere est in *Pontis-Curvi Residentiæ 20. Decembris* 1755. in qua cum quæreretur= *An Abbati Curato Lucernari liceat habitare in domo paterna sita in regione Civita in casu &c.* = Responsum fuit = *Negative* =, & præiverat vigilantissimus Tridentinorum Canonum exequutor S. Carolus Borromæus, qui licet in casu omnia vincentis absolutæ necessitatis permiserit Parocho Domum extra Paræciæ septa inhabitare, tamen pro regula statuit in Actis Ecclesiæ *Mediolanensis tom. 1. pag.* 80. = *Si quis Parochus etiam Urbanus Parochiale domicilium non habet ubi habitet intra illius fines domum conducat, quam proxime potest Ecclesiæ cujus curationi præest* = Quin immo Sanctam adeo hanc quoad Parochos residentiæ legem esse docet *Fagnan. in lib. 3. decr. cap. extirpandæ §. qui vero ut num.* 11. referat Sac. hanc Congregationem ab ea non exemptum declarasse Parochum, qui tres tantum, vel quatuor incolas numerabat.

Probabiles autem causas ab hac regula discedendi penitus deesse refert. Habet enim Parochus intra suum ambitum domum de ejus juribus *quam utpote sitam fere in centro Paræciæ longe commodiorem esse populo quam domus ubi nunc degit Parochus Ciucci* affirmat totidem verbis Episcopus. Restaurandam quidem esse eam domum, sed

ut idem subdit Antistes *quoniam Parochus ipse serius quam debuerat tandem redintegrandæ Domui parochiali manum admovit alienum non existimo ab EE. VV. clementia congruum perficiendo operi terminum præstituere facta interea eidem facultate degendi in paterna domo*; Ac quidquid sit an Ciuccius in paterna domo degens, & vicinius Ecclesiæ Archipresbyterali nunquam suo muneri defuerit in administratione Sacramentorum functionumque Parochialium exercitio = *Non repugnando* (ait Episcopus) *Ecquis tamen non videat promptiorem fore si intra Parochiæ limites degat? Præsertim pro administratione Sacramenti Pænitentiæ omnium necessarissimi?*

Ex facto itaque sucessere tum imparitatem redituum ad sarciendam domum ad Paræciam spectantem semel ac operi manus admovit; Tum promptius commodiusque animarum servitium statim ac id de omnium maxime necessario Sacramento pænitentiæ affirmari non potest. Nec spectandam esse facultatem ministrandi Sacramenta Parochianis suis in Archipresbyterali Ecclesia; per hanc enim non deleri insitam cuivis Parocho obligationem in sua Paræcia residendi, quemadmodum licet Parochus intra septa suæ Parochiæ Ecclesiam haberet filialem, & opportunitatem ministrandi in ea & ex ea Sacramenta non tamen eum posse prope hanc Ecclesiam habitare, seque exemptum censere a duriori lege residendi in domo parochiali definivit *Sac. Rota in Tarraconen. juris residendi* 15. *Martii* 1734. §.6., & 11. *cor. Harrach*.

Observantiam demum quod attinet præterquam eam in jure haud prodesse animadvertit *Ferraris Biblioth. Canon. verbo Parochus art.* 2. *num.* 25. quo loco allegat Sac. hujus Congregationis resolutionem; In facto notat Episcopus = *Ejus prædecessores uno dempto Philippo Meddi qui tunc temporis D. Principis illius oppidi negotia peragebat, omnes intra septa Parochiæ SS. Trinitatis mansionem fecerunt*.

Definiendum est.

An Parocho Joanni Baptistæ Ciucci liceat habitare in Domo paterna in casu &c.

Negative juxta modum, nempe præfigatur ab Episcopo congruus terminus Parocho ad restaurandam domum Parochialem, quo elapso in ea habitare teneatur.

TU-

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

TUDERTINA TRANSACTIONIS. Per actum inter vivos Sacerdos Marcus Tullius Orſini *ann.* 1743. inſtituit Cappellaniam, ſeu Officiaturam cum onere tùm Miſſarum, cùm præſtationis Dotium, reſervata tamen ſibi facultate = *di accreſcere, moderare, mutare gl' Obblighi, i Patti, e condizioni &c., e di meglio dichiarare la ſua volontà* =; eique ſubjecit, ac pro fundo adſignavit omnia ſua Bona in regione Caſtri Rinaldorum poſita; Verum inſtructa haud multo poſt Lite coram Vic. Generali Tudertino per Victoriam Viduam relictam Roncalli contra maximam iſtorum bonorum partem, ad quæ utpote pro fundo dotali ſibi deſignata, ac nulliter vendita reintegrari poſtulabat, Sacerdos ipſe Orſini ſtatim, anno ſcilicet 1755., proceſſit ad Declarationem publicis Tabulis commendatam, qua præcedentem Diſpoſitionem in multis immutavit, ac præcipue Miſſarum Onus a Legato Dotium ſejunxit, Bonis, quæ in priori diſpoſitione Cappellaniæ integrè ſubjecerat, diviſis, ac partim d. Oneri Miſſarum, partim Legato Dotium adjectis ultra præſtationem annuorum ſc. decem ab Officiaturæ Rectore recipiendorum, primamque partem Cappellaniæ Rectori reliquit, alteram in Adminiſtratorem a ſe deſignatum tranſtulit.

Illud autem expreſſe voluit = *che in qualunque tempo, o per qualſivoglia cauſa, ed occaſione li ſuddetti Beni o in tutto, o in parte veniſſero evitti, o in qualſivoglia altro modo veniſſero tanto l'Officiatore, o Rettore del detto Legato perpetuo, quanto l' Amminiſtratore dei rimanenti Beni veniſſero ſpogliati o in tutto, o in parte delli Beni, come ſopra donati, reſti ſolo intiera, ed intatta la detta Officiatura perpetua, o ſia Opera pia, e celebrazione di Meſſe, come ſopra ordinata, e nel rimanente tutti gl' altri Obblighi, e peſi ingiunti per le Dotazioni non abbiano alcun' effetto, e s' intendano nulli, come ſe detta Donazione non foſſe ſtata fatta*:

Evictionis porro hujus, de qua tantopere cogitavit, ac timuit Fundator Orſini, metum diſpulerat Judex Eccleſiaſticus Tudertinus, qui, poſt triennalem, acremque Partium conflictum, Hæredes tandem ipſius Fundatoris Orſini, qui interim obierat, abſolvit, ac Viduæ actrici petitam reintegrationem denegavit. Aſt non ita fauſtum, propitiumque exitum ſibi polliceri potuerunt dd. Hæredes Orſini coram A. C., quo illos continuò Mulier vocavit. In hoc ſiquidem Tribunali ſtatim in ancipiti res eſſe cæpit; atque adeo involutæ, ac difficiles motæ

tæ sunt utrinque quæstiones, ut dubius hæserit Judex, ac diuturno tempore siluerit Judicium; donec per Leonardum Roncalli dictæ Victoriæ jam vita functæ filium instauratum, eoque perductum fuit, ut de fatali Litis exitu Hæredes ipsi Orsini timuerint.

Quo in rerum discrimine, cum præterea perspectam haberent non modicam pecuniæ vim jam in causam Litis impensam, aliique urgerent graviores sumptus, si Lis ipsa ad exitum usque perduci voluisset, satius putarunt rem totam cum præfato Leonardo componere. Stipulata igitur inter eos fuit Transactio, qua Leonardus liti renunciavit, ac Bonorum in quæstione positorum venditionem jam antea peractam ratam habuit. E contra Fratres Ursini tam impenso nomine Rectoris Cappellaniæ seu Officiaturæ quam administratoris Dotium, nec non hæreditario Marci Tullii Donantis solverunt in contractu ipso sc.900. favore præfati Leonardi cum expressa declaratione, se id peragere, ut Bona ipsa controversa ab evictione redimerent, utque præcipue locus fieret postremæ Dispositioni eorum Auctoris mox indicatæ, quod nempe, in casu evictionis, aut Spolii in totum, aut in parte dd. Bonorum, Legatum Dotium cessaret. Quo vero majori declarationem, ac Transactionem ipsam firmitate donarent, supplici Libello SSmi D. N. Auctoritatem implorarunt, qua Legatum Subsidiorum Dotalium revera extinctum decerneret.

Re de more huic Sac. Congregationi delegata, auditus fuit Ordinarius Tudertinus, qui præmissam Facti seriem omnino confirmavit, rogatusque de Transactionis utilitate hæc addidit = *Quod verò ad utilitatem Transactionis attinet, nil aliud dicere possum, quod Mulier instabat pro immissione in fundum valoris sc. 2000., sed relatæ Transactionis ope contenta fuit sc.900. ex quo EE. PP. dignoscent, an constet nec ne de utilitate stipulatæ Transactionis auditis interesse habentibus omnes Oratorum favore consensum præstitere præter Franciscum filium Caroli de Ursinis*. Vocatis post hæc judicialiter omnibus interesse habentibus atque in specie antedicto Francisco Ursini qui postea per emissam declarationem assensus est ut in altera sua informatione testatur Episcopus duo infrascripta Dubia ab EE. VV. hodie definienda subscripta fuerunt.

Ad primum quod attinet Transactionis utilitatem respiciens, certi Juris est quod Transactio ob eam causam inita ut a Lite dubii, incertique eventus partes recedant

& gra-

& gravioribus parcatur expensis, utilis semper censetur ad tradita per *Text. in Leg. in summa* 65. § 1. *ff. de condict. indebit*, *Rocc. disput. select. Jur. cap.* 3. *num.* 57., *Rot. in Recent. dec.* 161. *num.* 9., & *dec.* 540. *num.* 14. *part.* 19., & *in Nuperrim. dec.* 18. *n.* 21. *tom.* 3., & *decis.* 293. *num.* 12. *tom.* 9. Jam vero ex utraque ratione tùm incerti, atque admodum dubii Litis eventus, tùm magnitudinis expensarum, Transactionem, de qua sermo est, stipulatam fuisse Oratores autumant. Agebatur enim de Lite, quæ multiplices involvebat, difficilesque Quæstionum ambages, quæque plurimum exercuit præstantium Judicum hærentes animos, ac quinque supra viginti annos duravit. Agebatur de Lite, quæ utrique Pio Operi, Oneri nempe Missarum, ac Dotium Legato jacturam fere omnimodam minitabatur quorum utrumque late exponit *Allegatio ex parte Oratorum distribuenda*.

Ad Litis dubietatem, accedit expensarum magnitudo, ac conspicua quantitas, quam eadem Lis secum tulit, eratque latura. Illud porrò, quod in prima Instantia actum fuit Judicium, scuta biscentum sexaginta absorbuerat. Quid si Lis ad exitum usque perducenda fuisset? Res siquidem erat de Judicio Ordinario, ac proinde per tres conformes traducendo: Ab A. C. Tribunali, ad quod Vidua Roncalli appellarat, ad Sac. Rotæ Auditorium facile Lis delata fuisset. Judicium insuper erat hujusmodi, quod fortasse nec una, alteraque Propositione definiri in eo Tribunali, nec semel definita sine novi examinis periculo, novæque Propositionis dispendio expediti potuisset. Ex his facile est colligere, omnes Litis expensas, si ad exitum hæc perducta fuisset, eò sane perventuras, ut alterum ex Piis Legatis etiam rebus beno cedentibus penitus absorbuissent. Ad hæc accedit fructuum restitutio, quam a tempore usque contractus venditionis Bonorum Vidua postulabat. In laudandis porro transactionibus etiam de sumptibus non modicis ad agendam litem necessariis habendam esse rationem non diffitetur *Rota decis.* 326. *n.* 5. *part.* 12. *Recent.*, & *decis.* 72. *n.* 4. *part.* 13.

Neque gravibus his incommodis, ac sumptibus aliunde remedium petere datum erat; Non enim ære suo evictionis damna reparare tenebantur Hæredes Orsini. Per Fundatorem namque cautum expresse fuit, quod = *la sua precisa volontà è stata sempre, ed è che restino SOLAMENTE OBBLIGATI I BENI POSTI IN CASTEL RINALDO, e suo Territorio, e non gl'altri posti in altri Luo-*

Luoghi, di modo che piuttosto perisca la sudetta Disposizione, e Opere Pie, anche di quella della sudetta Officiatura, e Celebrazione di Messe che la presente Dichiarazione; Ma in caso che i suddetti Beni di Castel Rinaldo fossero evitti, o in altro modo restassero spogliate le suddette Opere Pie, allora, SENZA ALCUNA MINIMA PRETENZIONE D'EVIZIONE CONTRO L'EREDITA', ED EREDI *di detto Signor D. Marco, cessino le suddette Opere Pie &c.* =

Alterum Dubium cessationem respicit legati præstationis Dotium. Si de Transactionis utilitate constat, si Apostolicum meretur Beneplacitum, ergo inquiunt Oratores fit locus omnino resolutioni Legati præstationis Dotium. Ipsa siquidem Transactio hanc conditionem continet = *che debba farsi luogo a quanto il Signor D. Marco loro Autore ha disposto nella sua ultima Disposizione in caso di evizione, e spoglio degl'accennati Beni* = scilicet quod Dotium Legatum cessare deberet. Confirmata igitur Transactione, quæ hanc conditionem, pactumque continet, conditio ipsa confirmatur. Neque injuria; Ex verbis enim superiori §. 2. relatis patet uniformem huic stipulationi esse disponentis mentem = *resti solo intiera ed intatta la detta Officiatura perpetua o sia Opera Pia e Celebrazione di Messe e nel rimanente tutti gl'altri obblighi e pesi pèr le Dotazioni non abbiano alcun effetto* =

Neque vero ex Legati resolutione compendium aliquod se laturos esse hæredes Orsini affirmant. Consequentur enim Bona pro fundo Legati Dotium destinata, quorum fructus, non detractis oneribus, non excedunt annua sc.44. 60. ut *refert Episcopus in sua relatione*. Vix ergo est ut æstimari queant sc. 1000.. Ast Oratores in Transactionis actu solverunt ære proprio sc. 900 Pro Lite insuper sc. 260. sumpserunt veluti pariter *testatur Episcopus in antedicta sua Relatione*. Ergo in scutis circiter biscentum valorem fundorum pro dotium præstatione assignatorum excesserunt, cum quo sane excessu & illa annua sc. 10. redemerunt inspecta moderna usurarum ratione quæ a possessore Cappellaniæ Administratori legati dotium solvenda essent, & quæ tamen ipsi avellere a dicta Cappellania nequidem cogitant.

Multo minus obtrudendum esse ajunt, quod Oratores veram evictionem, verumque Spolium pati, atque expectare debuerint, ut locus fieret Legati resolutioni. Repugnare id Juris principiis undique certis, atque exploratis. Nam de Jure censeri contigisse evictionem statim

ac Possessor agnovit, quod illa verisimiliter accidere poterat; tunc autem licere illi transigendo evictionem prævenire, per *Text. in Leg. si Socius ff. comm. dividund.*, *Urceol. Consult. Forens. cap. 25. num. 16. Rota coram Duran. decis. 112. num. 16.*, & bona fide factam super re dubia transactionem etiam futuros ligare successores late *Rota in Prænestina Fideicommissi 20. Januarii 1723. §. Consectaria coram Crispolto*.

Hisce perpensis definient EE. VV.

An constet de utilitate Transactionis, ita ut sit concedendum Beneplacitum Apostolicum.

Et quatenus affirmative.

An sit locus resolutioni Legati præstationis Dotium in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

PONTIS CURVI CAPELLANIÆ SUPER REDUCTIONE MISSARUM. Conjuges Notarius Rynaldus Narducci, & Isabella Pavoni de tenui ipsorum patrimonio coram proprio Parocho Pontis Curvi, testibusque rogatis ad formam *Cap. cum esses de testament.* postremam voluntatis suæ dispositionem dixere, quam Parochus de more conscripsit. Vir in primis uxorem legato ususfructus honoravit; eaque defuncta, Capellaniam erigi præcepit in Parochiali Ecclesia S. Marci ad altare S. Josephi, cui dotis nomine tum prædiola plura, tum domum cum horto, tum omnis speciei mobilia sua constituit, onere adjecto Missarum celebrationis, quot in ratione duodecim granorum haberi ex reditibus possent. Alia quoque legata Ecclesiæ reliquit ad Capellæ suæ S. Josephi elegantiorem ornatum. Denique eorum, quæ jusserat, heredem universalem, & executorem testamentarium nuncupavit, tunc sospitem, advocatum Joannem Arduini, eique præscripsit, = *eccettuato, che non abbia suoi figli, e fratelli, debba conferire la sudetta Capellania alli Padri Dottrinari purche siano sottoposti al rivedimento delle Messe*.

Uxor autem quemadmodum Vir suus testatus fuerat ita ipsa disposuit instituitque eundem Advocatum Arduini in iis dumtaxat, quæ dotis maternæ nomine, & ex avi bonis sibi debebat. Sed a Viri obitu decennio exacto, ac interea secuto Advocati obitu sine filiis, & sine fratribus, Nepotibus ex fratre tantum superstitibus aliud testamentum condidit, in quo voluntatis suæ nuncupatis executoribus

ribus Patre Raibaudo præfatæ Ecclesiæ Parocho, & Collegii Doctrinæ christianæ Rectore pro tempore, iisdem inventarii confectionem præcepit bonorum Viri, suorumque, voluitque præter anniversarium a Viro jussum in die obitus, ac præter binas novendiales præces ante festum S. Josephi, ac solemnitatem SSmi Natalis Domini quotannis celebrandas, reliquum bonorum reditum impendi in Missarum eleemosinis Episcopi arbitrio taxandis.

Confecto ab executoribus post testatricis Mortem inventario, captaque ctriusque hæreditatis possessione, modica visa est patribus Doctrinariis eleemosina granorum duodecim, quam testator Narduccius pro celebratione Missarum statuerat. Precati ergo sunt hanc Sacram Congregationem, ut ad taxam perpetuæ in granis viginti redigeret: Scilicet ad obulos sexdecim.

Auditus est Episcopus, qui principio litem enarrat super testamenti nullitate a Narduccio confecti, quam coram A. C. Advocatus Arduini dudum moverat; & observat, enervem actionem fuisse, quoties de Pia dispositione res est, quæ unius voluntatis naturali probationi, non juris subest solemniis. Deinde hæreditatum viribus perquisitis, refert, reditus omnes, oneribus Novendialium, Anniversarii, aliorumque subductis non excedere ducatos 75. scilicet scuta 60. in Missarum celebrationibus impendenda.

Observandum quoque proponit Sa. Me. Benedicti XIII. decretum in *Concilio Romano tit.* 15. *cap.* 8. editum in quo præcibus rescribens a generali Procuratore Cassinensium porrectis super Missarum reductione, & digrediens a Cassinensibus ad regulares omnes, inhibuit Superioribus, ne onera Missarum susciperent sine Generalis, aut Provincialis scripta licentia sub pæna privationis officiorum, vocisque activæ, & passivæ. Generales vero, ac Provinciales monuit de ipsorum non præstando assensu, nisi antea constiterit, tot Sacerdotes in Ecclesia, & Monasterio adesse, quot novo, & antiquis oneribus satisfacere possint; itemque nisi reditus pro Missis perpetuis assignandi *respondeant, non eleemosinæ Manuali, sed eleemosinæ perpetuæ taxandæ juxta morem cujusque Civitatis, diæcesis, vel provinciæ*.

Cum ergo, concludit Episcopus, *eleemosina granorum duodecim a testatore Rynaldo relicta pro Missarum oneribus perpetuæ Capellaniæ adnexis, taxæ in Civitate, & diæcesi Pontis Curvi, probè constabilitæ non respondeat, arbitrarer, petitionibus Oratorum deferri posse, tot annuas præ-*

præscribendo Missas, quot capient ad rationem granorum viginti =

Tacentibus Advocati Arduini Nepotibus, & hæredibus, quamquam ab Episcopo monitis, oratores dumtaxat libellum distribuunt, in eoque ex parte una obicem proponunt, a quo, ne Capellaniam Rynaldi Nardocci acceptent, detinentur: scilicet modicum missarum stipendium; & ex parte altera motiva recitant, cur voluntate testatoris neglecta, locus sit reductioni Missarum ad taxam perpetuæ, quæ granorum viginti est in ea diæcesi. Inquiunt enim, testatorem non abhorruisse a taxatione arbitrio Episcopi conficienda, statim ac expressè mandavit, quoad anniversarium Missarum Episcopi arbitrium esse servandum. Nil vero mirum, si de missis aliis disponens, veluti Canonicarum Sanctionum ignarus non distinxit manuales a perpetuis, taxamque manualium perpetuis addixit. Neque inverisimilia dicere fortasse videntur.

In Missarum reductionibus, quæ ab ultimis voluntatibus procedunt, distinctio obtinet inter legata jam acceptata, aut executioni commissa, & legata non acceptata, quæque executionem expectant. In iis ad manualem fit reductio; veluti in *Burgi S. Sepulchri reductionis missarum* 30. *Martii* 1784., *& in Nepesina reductionis Missarum* 15. *Februarii* 1772.. In aliis autem ad taxam perpetuæ Eleemosina constituitur; uti videre est in *Civitatis Castelli Reductionis* 15. *Januarii* 1718. *in Nepesina Reductionis onerum* 24. *Julii* 1734., *& in Romana Reductionis oneris Missarum* 12. *Maii* 1781.

Rynaldi Narducci Cappellaniam acceptasse, oratores in suo libello infitiantur; Qui tamen sunt in hac materia rigidiores opponerent factum captæ possessionis omnium bonorum, quam iidem actu retinent, onerisque acceptationem ex ipsa possessionis captione per modum quasi contractus inferrent, quemadmodum a reductione immunia dicuntur onera missarum in fundatione imposita, ob eam adamussim rationem quasi contractûs cum beneficiato institutionem acceptante intercedentis *Fagnan. cap Ex parte de constit. num.* 24. =*Fundatio & dotatio illa habet se per modum quasi contractus ultro citroque obligatorii seu donationis sub modo quam cum Episcopus admiserit & provisus dum institueretur non recusavit non potest modo onus detrectare* . =

Hæc de Cappellania Rynaldi Nardocci. Quo vero ad relictum Isabellæ Pavoni expeditior res est. Ipsa enim stipen-

pendii taxationem arbitrio Episcopi commisit. His itaque cognitis, dignabuntur EE. VV. sententiam dicere de dubio, quod proponitur.

An, & quot Missæ sint Celebrandæ in adimplementum legatorum tam Rynaldi Narducci, quam Isabellæ Pavoni Conjugum, & in qua summa eleemosina sit taxanda in casu &c.

MELEVITANA CONFIRMATIONIS STATUTI. *Sess. 21. cap. 8. de Reform.*

Statuto Confraternitatis animarum Purgantium in Ecclesia S. Nicolai Civitatis Vallettæ anno 1726. ab ejus temporis Melevitano Antistite confirmato cap. 4. hunc in modum cavetur = *Li medesimi fratelli dovranno ogni Lunedì portarsi in volta della Città raccogliendo l'elemosina per applicarsi in Messe ed altre spese per il mantenimento di essa sodalità, e di detta Chiesa nella quale vi dovrà essere una cassetta per raccogliere l'elemosina da quelli che vi concorreranno, quale cassetta dovrà restar fissa sù d'una tavola in detta Chiesa, e dovrà esser provista detta Chiesa d'un altra cassetta portatile per andare in volta della Chiesa raccogliendo l'elemosina* =

Hæ eleemosinæ quæ ad annua circiter sc. 600. Melitensia efferuntur prius distinctæ ac separatæ a cæteris sodalitatis reditibus servabantur, mox vero cum iis commixtæ fuerunt, & in celebrationem Sacrorum, anniversaria, Missas cantatas aliaque solemnia erogatæ; imo eo usque excrevit piorum offerentium liberalitas, ut ex oblatis ut supra eleemosynis sacra comparata fuerint utensilia, & in frugiferum implicata investimentum sc. 7531. ejus monetæ, manserintque in arca sc. 4360. similia pro futuris Sodalitatis necessitatibus.

Visum est Melevitano Antistiti mentem offerentium per hæc opera saltem ex parte interverti jussitque propterea ut eædem eleemosynæ separatim ab aliis Confraternitatis redditibus servarentur, inque solàm Sacrorum celebrationem erogarentur. Etsi autem ejus decreto paruerint sodales, supplices tamen Sanctissimo D. N. exposuerunt evidens quod propterea sequuturum erat Confraternitatis detrimentum, quæ omnino impar futura erat implendis piis operibus non solum ex fundatione impositis, sed ex confratrum pietate tanta cum populi, & Religionis utilitate assumptis, & in hanc diem observatis. Alii enim Societatis reditus vix attingebant sc. 2300. contra vero exitus ascendebat ad sc. 2431. Nullam autem hic occurrere perversionem voluntatis piorum offeren-

rentium quippe qui ex lege statuti de quo supra ad dandas invitabantur eleemosynas non in solam Sacrorum celebrationem erogandas, sed *per applicarsi in Messe ed altre spese per il mantenimento di essa sodalità, e di detta Chiesa* = . Reditum itaque ad priorem observantiam, & confirmationem, quinimo Statuti ad amputandas quascumque quæ imposterum oriri possent contentiones humillime postularunt.

S. C. ad quam Sanctissimus D. N. preces ablegavit audiendum censuit Melevitanum Episcopum, qui priori retractato judicio reque maturius perpensa in hæc verba suam aperit sententiam = *Putarem eleemosynas prædictas dividendas esse in duas portiones, quarum prima deductis expensis necessariis erogari debeat in celebrationem Missarum lectarum, quodque celebrari etiam debeant Missæ cantatæ omnibus diebus Dominicis aliisque anni festis cum assignatione scuti unius dictæ monetæ pro qualibet Missa inter Sacerdotes cantantes dividendi. Alteram vero eleemosynarum medietatem una cum fructibus dd. capitalium deductis pariter expensis assignandam esse Confraternitati subministranti Sacerdotibus sacra indumenta aliaque utensilia ad Missæ celebrationem necessaria, hac tamen lege quod consodales prosequi debeant alia pia opera celebrationem scilicet infra annum nonnullarum Missarum cum expositione Sanctissimi Sacramenti aliorumque suffragiorum, nec non consuetas functiones majoris hebdomadæ*.

Aliena fortasse videri posset ab offerentium Piorum mente ea quæ facta est ex collectarum eleemosynarum residuis in frugiferum investimentum implicatio sc. 7531., aut quæ ad instruendam veluti arcam Societatis servatur alia quantitas sc. 4360. Sed laudavit alias S. hæc Congregatio ut pia opera Sacrorumque celebratio hac methodo ex temporanea perpetua fierent approbavitque in analoghis fere casibus, ut quæ pecuniæ semel, & unica vice in tot Sacrorum eleemosynam expendendæ fuissent, sub tuto collocarentur investimento, quod pro dote perpetua futurum esset eorumdem Sacrorum futuris temporibus offerendorum, ut ita quantum celeritati suffragii detrahebatur, tantum illius perennitate compensaretur. Ita adamussim decretum fuit *in Perusina, seu Civitatis Plebis Cappellaniæ* 27. *Junii* 1733., & *in Papien*, 1. *Aprilis currentis anni*, & novissime *in Tudertina relata per summaria precum in Congregatione diei 6. superioris mensis Maii*.

Consona vicissim eorumdem offerentium largitioni est eleemosynarum erogatio in alia pia opera præter celebrationem Sacrorum. Cum enim voluntas dantium semper

uni-

uniformis præsumi debeat voluntati petentium, cumque perspicua, & explicata sit intentio petentium per ea verba alia etiam pia opera præter oblationem Sacrorum complectentia *per applicarsi in Messe ed altre spese per il mantenimento di essa sodalità e di detta Chiesa*; liquido apparet haud fraudari piorum offerentium voluntatem si pars una eleemosynarum in celebratione Missarum, altera in pia alia opera implicetur. Quinimo credere est fideles utrumque sibi finem proposuisse dum eleemosynas largiuntur tum scilicet oblationem Sacrificii, tum etiam sodalitatis piorumque operum ab ea exercitorum conservationem: Longe gravius habetur exemplum in iis Missarum Legatis quæ in Regularium Ecclesiis relinquuntur. In iis enim utcumque de solis Missis agatur, tamen pinguior illa eleemosyna a testatoribus data præsumitur pro dd. Religiosorum subsidio, & ad levandam eorumdem inopiam, ita quidem ut regulariter non permittatur hæredibus hisce oneribus per Sacerdotes Sæculares satisfacere. *Pasqualig. de Sacrif. novæ leg. Tom. 2. quæst. 1145. num. 5. Passerin. de Statu hominum tom. 2. quæst. 187. num. 189. in fine, Capon. discept. forens. discept. 196. num. 11., & S. C. in Romana Oneris Missarum 12. Januarii 1732. in responso ad I. Dubium.*

Considerandum fortasse videretur an satis emergat petentium voluntas ex eo quod inter Statuta Societatis relata illa sit; vel potius requirendum præterea videatur, ut non solum in capsula quæ in Ecclesia ad colligendas conservandasque eleemosynas asservatur, sed in ea etiam alia capsula cum qua Sodales Ecclesiam circumeantes eleemosynas colligunt specifica declaratio apponatur usus earumdem eleemosynarum, scilicet *pro Missis, & manutentione Societatis*, & *Ecclesiæ*: Ad exemplum ejus declarationis quæ ad evitandum periculum fraudandi piorum offerentium voluntates jussu hujus S. Congregationis apponitur ut moneantur fideles vel de differenda celebratione Sacrorum, vel de ea alio in loco adimplenda, ut *in Senogallien.* 13. *Junii* 1626. *lib.* 13. *decret. pag.* 22., & 23., & *in Lancianen.* 14. *Novembris dicti anni dict. lib.* 13. *pag.* 142., & *alias quæ colligit Bened. XIV. de Synod. diœces. lib.* 13. *ult.* §. 12.

Dubium est.

An, & quomodo caput 4. Statutorum Confraternitatis laicalis sub titulo Animarum Purgantium erectæ in Ecclesia S. Nicolai Civitatis Vallettæ sit confirmandum in casu &c.

FA-

Seff.24.cap.12. de Reform.

FANEN. PERMUTATIONIS. Inter cætera quæ anno 1733. in suis postremis tabulis disposuit Ippolyta Torelli Gisberti Nobilis ac pia matrona Fanen., instituit primum Cappellaniam perpetuam in Ecclesia Monialium S. Archangeli ejusdem Civitatis, eique pro dote assignavit scuta mille Urbinatensia, quæ Romanis sc. 666. 33. 3. ½ respondent, injuncto onere Cappellano Missæ quotidianæ, & quatenus huic oneri, aliisque necessariis expensis impares essent reditus dictæ dotis, jussit suppleri in tot cambiis suæ hæreditatis per filium suum, ac hæredem Romulum Gisberti, reservata administratione ac Patronatu dictæ Cappellaniæ favore Abbatissæ pro tempore dicti Monasterii.

Jussit secundo loco ut moriente dicto Romulo hærede sine filiis ex universæ suæ hæreditatis reditibus tot celebrarentur Sacra cum eleemosyna unius julii, quot ferrent reditus, tributa eidem hæredi facultate nominandi Cappellanum, eamdemque facultatem concedendi cui vellet.

Obiit improles primus hæres Gisberti instituto Lælio Rinalducci, lisque statim orta est inter possessorem primæ ut supra Cappellaniæ & Monasterium illius patronum ex una, ac Canonicum Jacobum Rinalducci dictæ secundæ Cappellaniæ detentorem, & Lælium Rinalducci illius patronum ex alia parte. Pronunciaverat Eminentissimus tunc A. C. Zelada impares esse fundos pro dote primæ Cappellaniæ assignatos, eosque esse augendos a reliqua hæreditate seu secunda Cappellania computata eleemosyna in obulis 17. ½ pro quolibet Sacro. Itaque primæ Cappellaniæ possessor urgebat detentorem secundæ; hic Lælium Rinalducci, uti eum in quem alia testatricis bona præter ea quæ pro secunda Cappellania tradita sunt, pervenisse censebat. Res permissu Episcopi anno 1763. transactione dirempta fuit, per quam reservata Lælio Rinalducci facultate revidendi sententiam Eminentissimi Zelada datum fuit primæ Cappellaniæ supplementum partim a Lælio Rinalducci partim a secunda Cappellania imposito huic oneri ut contribueret primæ annua sc. 14. 80.

Optaret modo Orator Lælius Rinalducci Hæres ut supra secundam Cappellaniam seu verius Legatum missarum ab onere dictæ annuæ præstationis sc. 14. 80. liberare, & efficere ut utraque imposterum bona ac reditus habeat omnino superatos ac liberos; ac pro hujusmodi effectu vellet prædium in vocabulo *S. Cristina* secundæ officiaturæ addictum permutare cum alio quod proprio jure possidet in vocabulo *li pozzetti* oblata conditione refundendi

præ-

præsenti pecunia quanti pluris æstimabitur a Peritis Prædium Cappellaniæ ac solvendi insuper donationis nomine in numerata pecunia alia sc. 40. pariter investienda favore dictæ primæ Cappellaniæ. Hinc a S. Congregatione postulat ut per beneplacitum Apostolicum facultates opportunæ pro dicta permutatione concedantur.

Episcopus sententiam dicere rogatus putat in prolixa sua & accurata informatione auscultandum esse instantiæ quinque de causis: *primo* quia Orator ultra amplectitur æstimationem periti a se electi pro eruendo valore fundi ad Cappellaniam spectantis quæ valde amplior est duorum aliorum peritorum æstimatione: *secundo* quia addit donationis titulo sc. 40., *tertio* quia idem Orator de erigenda cogitat in titulum Beneficii Ecclesiastici secunda Cappellania; *quarto* quia testatricis menti uniformis est assignatio census ex dicta numerata pecunia creandi pro reliqua perpetua dote Primæ Cappellaniæ, quam testatrix in cambiis faciendam esse præsupposuit, & quæ pro reliqua summa ex similibus capitibus constat; *Quinto* quia edixerat testatrix quod suus filius & hæres immunis esset a secundæ Cappellaniæ erectione, si a quibusdam Simonetti lis contra eam cœpta pro quarundam expensarum refectione urgeretur, easque solvere compelleretur; asseruisse autem Oratorem pulsatum se ad id compulsumque in judicio fuisse. Concludit assentiri Abbatissam Monasterii quæ patrona est primæ Cappellaniæ, ejusque Cappellanum.

Momentosa haud videtur *prima* quæ ab Episcopo allegatur causa. Solis enim judicialibus peritis non iis, qui electi a Patribus sunt, legis præsumptio assistit *Cap. proposuisti cum ibi notatis per Decium de probat. num. 17. Rota cor. eod. Seraphin. decis. 665. num. 2. & 4.*; *Secunda* haud spernenda est, ut per se patet; Quoad *tertiam* quatenus non in sola stet inani promissione bene in ea animadvertat Episcopus aliquam Ecclesiæ utilitatem; longe enim pinguius latiusque est dominium quod Ecclesia habet in Ecclesiastico beneficio, quam illud quod sibi asserere potest in pio legato aut laicali Cappellania; nec dubium est posse Oratorem hujusce hæreditarii patronatus statum mutare *Piton. de controv. patron. alleg. 92. num. 9. = In jure patronatus hæreditario quilibet ejus possessor censendus est jure primi fundatoris in præjudicium suorum hæredum = Rota coram Rondinino relat. apud Bertachin. vot. decis. 47. num. 36. & 37.* Parvi æstimanda est *quarta*, cum qualiscumque fuerit origo dotis cujusvis Beneficii semel ac

in bonis ſtabilibus aut in juribus ſuper illis ſive ab initio ; ſive ex intervallo conſtituta eſt , utile haud cenſetur ea cum cenſibus immutare , ita quidem ut S. hæc Congregatio cenſus ſtabilium loco pro implendis ut in caſu Miſſarum oneribus vix perraro & ægre ſtabilium loco habuerit. In *Fundana* 28. *Februarii* 1654. dixit *cenſus non reputari bona ſtabilia ad effectum inveſtiendi pro celebratione Miſſarum = Tom* 19. *decret. pag*. 319. *a ter. & in Firmana oneris Miſſarum* 21. *Junii* 1764. in qua caſus erat de teſtatore qui dotis implicationem in cenſibus juſſerat, Dubio quod proponebatur = *An & quommodo fundus Cappellaniæ quotidianæ ſit conſtituendus in bonis ſtabilibus valoris ſc*. 500. , *ſive in cenſibus in caſu &c*. reſpondit = *Affirmative* , & *conſtitueudum eſſe fundum Cappellaniæ in bonis ſtabilibus* =

Graviſſima è converſo videtur *quinta* quæ ab Epiſcopo laudatur aſſentiendi cauſa. Juſſit teſtatrix ut ſi moleſtiæ inferrentur a Simonettis pro condicendis cujuſdam litis expenſis contra ſuum hæredem , *e che perciò conveniſſe a detto Sig. Romolo ſuo erede ſoccombere alla rifezione di dd. ſpeſe , in tal caſo ſia egli obbligato ſolamente fare l'aſſegna per ſupplire alla detta Meſſa quotidiana , ma non già l'altra per l'altre Meſſe da celebrarſi in perpetuo in caſo di morte di detto Signor Romolo ſenza figli* = Non abſurde contenderet orator exemptionem ab erectione ſecundæ Cappellaniæ in caſu litis & ſolutionis de qua ſupra omnibus datam fuiſſe hæredibus & ſolius demonſtrationis gratia nomen proprium primi hæredis eo loco appoſitum fuiſſe *l. hæredis appellatione, l. ſciendum ff. de verborum ſignif*. Adeoque perutile Cappellaniæ foret optatæ permutationi annuere facta tamen per eumdem Oratorem ſuo huic prætenſo juri renunciatione. Oporteret tamen ut Epiſcopus non ſolis crederet Oratoris utcumque honeſtiſſimi verbis , ſed actæ litis factæque ſolutionis demonſtrationes antea exquireret , conferretque cum caſu a teſtatrice conſiderato .

Prudenter votum ſuum claudit Epiſcopus animadvertendo ; quod ſi licentia detur permutandi ea disjuncta non ſit a pacto regreſſus in caſu evictionis , neque a pacto ſolutionis fructuum compenſativorum donec bona & tuta efferatur occaſio ſub fænore collocandi eam quantitatem quæ in numerata pecunia ſolvetur ; quæ tamen omnia numquam a S. C. omittuntur .

Quæritur .

An & quomodo ſit concedenda facultas permutandi in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 19. Augusti 1786. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor priores Causæ ex Folio repetendæ sunt præteritæ Congregationis. Illæ uti & reliquæ quinque hodie describendæ EE. VV. definitionem expectant.

TUDERTINA TRANSACTIONIS.

I. *An constet de utilitate transactionis ita ut sit concedendum beneplacitum Apostolicum.* *Sess.25. cap. 4. de Reform.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An sit locus resolutioni legati præstationis Dotium in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, suscepta per Fratres Ursini obligatione satisfaciendi Legato Pio Missarum juxta mentem testatoris.

Ad II. Affirmativè.

PONTIS CURVI CAPPELLANIÆ SUPER REDUCTIONE MISSARUM. *Sess.22. de observ, & evit. in celebrat Miss. Sess.26. cap.4. de Reform.*

An, & quot Missæ sint celebrandæ in adimplementum Legatorum tam Raynaldi Narducci quam Isabellæ Pavoni Conjugum, & in qua summa eleemosyna sit taxanda in casu &c.

Affirmativè in omnibus juxta Votum Episcopi.

Sess.21. cap. 8. de Reform.

MELEVITANA CONFIRMATIONIS STATUTI.

An, & quomodo caput 4. Statutorum Confraternitatis Laicali sub titulo Animarum Purgantium erectae in Ecclesia S. Nicolai Civitatis Vallettae sit confirmandum in casu &c.

Affirmativè juxta modum, nemque quod media pars Eleemosynarum, tam collectarum, quam colligendarum una cum medietate fructuum capitalium jam investitorum, vel in posterum investieudorum pro Missis, altera vero medietas pro Ecclesia applicetur, & in reliquis juxta Votum Episcopi.

Sess.24.cap.12. de Reform.

FANEN. PERMUTATIONIS.

An, & quomodo sit concedenda facultas permutandi in casu &c.

Scribatur Episcopo pro meliori informatione.

Sess.24. cap. 1. de Reform. Matrim.

ROMANA MATRIMONII. Nondum lapsus erat annus a matrimonio inter Nobilem Virum Comitem Julium Bussi, & Nobilem Virginem Gentilem Montogli die 15. Januarii 1784. contracto, cum ad Tribunal Emi Urbis Vicarii delata est quaestio super ejus nullitate. Praemissis iis, quae de jure praemittenda sunt, examine, juramentis testium, inspectione utriusque Conjugis, Peritorum relatione, & judicio, cum horum duo in eam ve-

venissent sententiam, ut tentanda aliqua incisio esset in muliere pronunciavit ea Curia = *Non constitisse neque constare de asserto impedimento in partibus generationi destinatis Illmæ D. Comitissæ Gentilis Montogli Bussi, immo constitisse, & constare de ejusdem perfecta conformatione atque idoneitate ad consumationem Matrimonii, & pro hujusmodi effectu locum nec fuisse, nec esse cuicumque prætensæ operationi* = Quo vero ad declarationem nullitatis Matrimonii edixit = *Pro nunc deveniendum fore, & esse ad experimentum cohabitationis triennalis* =.

Nulli ex partibus ea sententia placuit: Non Comiti Julio; quia per eam Comitissa Gentilis a ferenda incisione eximebatur; nec Comitissæ Gentili; quia lex eidem indicebatur triennalis experimenti. Utrinque ergo ad hanc Sac. Congregationem appellatum est. Antequam tamen ad formalem Causæ disquisitionem Partes procederent, unanimi consensione supplices SSmo D. N. obtulerunt preces, quibus licentiam sibi dari postulabant, una cum dubio super matrimonii validitate, alterum quoque proponendi, an esset nimirum Sanctitatis Suæ consulendum pro dispensatione matrimonii rati, & non consumati. Placuit SS. D. N. rem Sac. Congregationis arbitrio committere. Quæ, proposita per summaria precum instantia in Congregatione diei 6. Maii præteriti, jussit, ut hoc quoque Dubium una cum altero disceptaretur. Duo igitur quæ infra leguntur Dubia sunt hodie ab EE. VV. definienda.

Primum quod attinet, ait Comitissa Gentilis merito definiisse *Curiam Emi Vicarii locum non esse ulli quoad eam operationi*. Quamvis enim Alex. III. in *cap. ex litteris de frigid. & malef.* tentandam esse præceperit medicorum operam si = *vitium mulier a natura contraxit* = & *Inn. III. Episcopo Altissiodorensi rescribens in cap. Fraternitatis Eadem*, idipsum experiendum fuisse supposuerit, antequam matrimonium dissolveretur cum muliere, quam matronæ inspexerant, quæve juratæ retulerant, *quod numquam poterat esse mater aut conjux, tamquam cui naturale deerat instrumentum*; tamen ex hisce ipsis patere verbis, de muliere actum fuisse, in qua naturalis inerat defectus quem provide æquissimum erat medicorum ope removeri. Ad se proinde hęc non pertinere, quam omnes, & Medici, & Chirurgi, & Obstetrices ita a natura conformatam uniformi dicto renunciarunt, ut nullum omnino notari in

ea

ea vitium possit. Invaluit proinde apud omnes juris interpretes distinctionem, quod si aliquod in muliere adsit impedimentum, tunc utique cogenda ea sit medicorum operam experiri, sin autem nullus in ea notari defectus queat, tunc è converso ab hac sit necessitate eximenda. Ita laudatas Decretales interpretatur *Diana de Sacramentis resol.* 161. *a num.* 6. *ad finem*; Ita rationi congruere docet *Gaspar. Hurtad. de Matrim. disput.* 12. *distinct.* 8. *num.* 25., *Basilius Pontius de Matrim. cap.*62. *num.* 2. *per tot.*, *Leander de Sacram. Tom.*2.*tit.*9.*disput.* 11. *quæst.* 24., *Trullen. eod. tit. lib.* 7. *cap.* 9. *Dub.* 16. *num.* 9.

Immerito vicissim *eamdem Curiam* triennalem imperasse cohabitationem. Huic locum esse cum de Dubio agitur impedimento; certam vero in casu esse sive absolutam, sive relativam viri impotentiam. Id *primum* liquido emergere ex maritalibus congressibus tam sæpe repetitis, semperque effectu suo destitutis, ut ex sua non solum, sed ex Comitis Julii confessione, juramento septimæ manus adminiculata, & ex Matronarum, Medicorum, & Chirurgorum judicio, qui eam post toleratas calentis balnei moras inspectionemque diligentissimam, e conspectu tot viri tentaminum virginem intactamque esse retulerunt. Neque deferendum DD. in dubium hoc probationis genus revocantibus. Cedere enim eorum suffragia, & quidem hinc inde divisa oporteret *Decretali Greg. VIII. in cap. Proposuisti de Probat.*, qui fidem adhiberi jussit *testimonio septem mulierum, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseverant*. Et *Honorii III. in cap. Causam Eodem*, qui Archiepiscopo Senonensi jussit = *honestas Matronas providas, ac prudentes deputari curetis ad inquirendum utrum dicta puella virginitatis privilegio sit munita* =. Cedere cognitissimæ praxi istius *Sacræ Congregationis*, quæ hujus generis probationi constantissime adhæsit, ut præ cæteris observare est in *Asten. Matrimonii* 2. *Martii* 1776., & in *Januen. Matrimonii* 16. *Augusti* 1783. Cedere auctoritati *S. Rotæ* idipsum sentientis *decis.* 1224. *num.* 9. *coram Penia decis.* 771. *num.* 11. *coram Seraphino*, *decis.*320. *num.* 4. *coram Dunozetto Jun. decis.* 10. *num.* 9., & *decis.* 11. *num.* 36. *inter collectas ad ornatum Card. de Luc. lib.* 14.. Cedere denique uniformi tum veterum, tum modernorum *Interpretum* sensui; ut præter *Hostiensem*, *Abbatem*, *Zabarellam*, *Baldum*

dum legere est penes Gonzalez in d. cap. proposuisti n. 10 , *Pirrhing. in jus Canon. lib.* 2. *cap.* 19. §. 6. , *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 9. *num.* 6.

Deinde vero idipsum eadem certitudine colligi ab inspectione viri, quæ tanta cum diligentia, repetitisque experimentis peracta est a Peritis. Eum ad conjugale opus invincibiliter ineptum dixit Medicus Checconi = *Credo, che sia un impedimento fisico assoluto, ed insuperabile*. Idem retulit judicium Chirurgus Maldura = *Perciò concludo &c. rendersi l'anzidetto Signore inabile alla consumazione del matrimonio* = . Nec dissimilis fuit sensus Medici Micheli = *Stabile, e non accidentale è l'impedimento per parte del Signor Conte Giulio Bussi* = , licet deinde ad possibilia digrediens, beneficio ætatis, congressuum infrequentia; medicaminum ope superari eam inertiam posse, affirmat = *Quando però sia da essa* (*Signora Contessa Gentile*) *rimosso l'ostacolo dell'imene, che senza pericolo si potrà incidere* = ; Eamdemque incessit viam Chirurgus del Medico, qui juxta decimumquintum interrogatorium respondit = *Non è capace il Signore Conte aver copula con alcuna qualsivoglia Donna* = . In sua autem relatione addidit = *credo, che sia possibile con addattati rimedii &c. conciliare una maggiore robustezza &c.*, *ed in tal maniera ottenergli la tanto desiderata consumazione del Matrimonio* = .

Quin uniformis, ipsam rei veritatem quod attinet, horum Peritorum sensus ab iis obscurari queat, quæ eorum duo de possibili mutatione ut supra addiderunt. Lata enim nimis atque incerta est, obscurissima quoque, & sapientissimis quibusque ignota possibilium semita, quam præterea in casu fidelis experientia inutiliter tentatam iri demonstrat. Nonne enim decem, & octo lapsi sunt menses a reseratis per hosce peritos possibilium foribus, intra quorum nihilominus intervallum Comes Julius nihil profecit? Insuper hi duo periti inter se ipsos dissentiunt; Eorum enim postremus indefinitam asseruit possibilitatem, alter vero eam allegavit, tamquam conditioni, ut ajunt sine qua non, incisioni a muliere perferendæ, quam tamen ea uti nulli obnoxia vitio pati non cogitur, ut supra expositum est, & quæ præterea, tunc cum subeunda a muliere est, illud insuper réquirit, ut nedum quodlibet absit periculum, sed manifesta quoque, & certa sit viri potentia, ne alias fæmina irreparabilem vir-

gi-

ginitatis jacturam inutiliter contra omnem æquitatem patiatur, ut ipsemet approbat *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 93 num. 35.*, *Perez de Matrim: disput. 37. sect. 6. num. 5.*, *Basilius Pontius de Matrim. cap. 62. num. 2.*, *& per tot.*

Hæc de primo Dubio Comitissa Gentilis. Quoad secundum præmittit, ambigendum non esse de Summi Pontificis potestate, qua doctissimos æque, ac Sanctissimos universalis Ecclesiæ Antistites a Sæculo octavo ad hæc tempora constantissime usos esse demonstrat. Duo autem esse veluti extrema hujusce dispensationis; unum ut constet de non sequuta consumatione, alterum ut graves urgentesque adsint causæ: De primo liquere ex supradictis; quoad alterum eas affatim concurrere. Impotentia enim viri quam ipsa certissimam putat, & quæ ad juris rigorem evincenda est, dum de matrimonio dissolvendo agitur, sufficit, ut sit verisimilis, cum de dispensatione res est, ut distinguendo tradunt *Ursaja tom. 3. discept. 21. num. 103. & seqq.*, *Cosci de separat. thori conjugal. lib. 3. cap. 2. numer. 285.*, *& num. 386.*, *& seqq.* in quibus late explicat *Text. in cap. licet ex quodam 47. in fin. de testibus*, *Pignattell. consult. can. 148. num. 10.*, *& 14. tom. 1. Rota cor. Seraphin. decis. 983. num. 7.*

Periculum peccati, & diuturnæ incontinentiæ non deesse, si condormire jubeantur conjuges, quando eorum alterius impotentia explorata est, ut ipsa existimat, aut saltem verisimillima, ut nemo dubitaverit. Arcendum autem hoc in casu esse animarum periculum per opportunam dispensationem, docet *Engel. in jus canon. lib. 4. tit. 5. §. 4. num. 22.*, *& prius dixerat Abb. in cap. ex litteris de frigid. & malef. num. 3.* Suborta inter conjuges irreconciliabilis animorum disjunctio, quam non ignota rerum gestarum series fecit acerbiorem, facietque sempiternam, nisi per dispensationem pax redintegretur. De magna hujus causæ vi latè *Card. Cajetanus opuscul. tom. 1. tractat. de matrim. quæst. unica*, *& Card. Lancellott. in suo voto in Causa Hispalen. Matrimonii penes Ursajam tom. 3. part. 2. discept. 21.* Unanimem quoque partium instantiam parvipendendam non esse multis collectis exemplis demonstrat *Ursaja discept. Eccles. tom. 1. p. 1. discept. 3. a n. 4. ad 24.* In similibus aut minoribus etiam circumstantiis Sac. hanc Congregationem pro dispensatione consuluisse ostendit Com. Gentilis, ut nuper *in Nicien.*, *seu Turritana Matri-*

trimonii 11. *Martii currentis anni confirmata* 20. *Maii pariter hujus anni*, in qua concordantia appellata fuerunt hujus Sacri Senatus responsa.

Hactenus Comitissa Gentilis: Comes autem Julius, qui cum ea consentit in exoranda dispensatione, de qua in secundo Dubio quæritur, late ab ea quoad primum Dubium discedit. Inquit enim, aberrasse a juris regulis Curiam Emi Vicarii, dum Comitissam Gentilem ab incisione utcumque nullimode periculosa liberavit. Ex intrinseca enim conjugalis foederis natura esse, ut disrumpi illud nequeat, quoties *impedimentum præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo possit removeri* sunt verba *cap. fraternitatis de frigid.*, *&c malef.*. Ad rem proinde non pertinere utra ex parte impedimentum proveniat cum satis sit vinci illud sine periculo posse; Hinc in ipsissimo casu viri imbecillis, integræque e converso mulieris teneri mulierem, potius quam matrimonium dissolvatur, incisionem pati docet *S. Thomas* 4. *d.*34. *quæst. unic. artic.*2. *ad quintum*, *&c universus fere theologorum*, *&c Canonistarum Chorus relatus a Sanchez de Matrim. l.b.*7. *disput.*93. *num.*26.. Si qui vero in oppositam sententiam abiisse videntur Doctores, eos aliam agere quæstionem, nimirum an fæmina nulli obnoxia vitio, cui frigidus minusque validus vir obtigerit, si nullam moveat de matrimonio dirumpendo quæstionem, sed infelici suæ conditioni tacita acquiescat, adhuc tamen cogi possit a viro medicas manus experiri, ut illi apta reddatur, in qua porro disquisitione verissimum est, plurimos credere Doctores jus hoc soli viro datum esse cujus certa sit post peractam incisionem validitas *Angles Foribus* 1. *part. de Matrim. quæst.*8. *artic.*1. *post. Dub.*9. *difficult.*2., *&* *Sanchez paulo ante laudatus num.*35.

Bene vicissim eamdem Curiam judicasse, quod de certa veraque impotentia sua haud constaret. Ad ipsos enim appellat judiciales peritos: Cum hi quatuor numero fuerint, eorumque, duo vinci hanc assertam impotentiam posse retulerint ut supra narratum est, jam satis hoc esset, ne prætensa hæc inhabilitas probata videri queat, immo ut contra eam præsumendum sit. In dubio enim pro validitate matrimonii standum esse ex *Lateranensi Concil. c.* 52. edixit *Inn. III. relatus in cap. licet ex quadam de testibus*, *&c attestat.* & quamvis non desint Doctores qui distinguunt inter eam dubitationem, quæ oritur super idoneitate conjugis ad maritale opus, *&c* alteram quæ nascitur super extrinsecis matrimonii circum-

stantiis, puta intercedente consanguinitate, præsentia legitimi Parochi &c., & in hac secunda docent in dubio pro matrimonio præsumendum esse, secus autem in prima, atque ita intelligendam *mox laudati textus* censuram. *Reinfest. in jus Canon. lib.* 4. *tit.* 15. 36., *De Just. de dispensat. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 14. *Coscius de separat. thori conjug. lib.* 3 *cap.* 2. *a num.* 386 *ad num.* 393. Tamen ii aliique DD. de ea impotentia loquuntur, de qua ambigi contingat an matrimonium præcesserit vel subsequuta sit, cui consequens esset matrimonii disruptio si antecessisset, & ejusdem vicissim confirmatio, si eo constante supervenisset; In qua porro quæstione non usque adeo ampliandus videtur matrimonii favor, ut impotentiam hanc supervenisse censendum sit, resistente alia lege quod nunquam mutatio præsumatur ut colligere est ex *Sanchez de matrim. lib.* 7. *disput.* 103. *n.* 1.

Sed, & illud accedere animadvertit Comes Julius, quod Medicus Checconi tertius ex judicialibus peritis qui pro constanti insuperabilique impotentia sensit, timuit tamen rem hanc veluti certam, & exploratam obtrudere = *E' cosa molto DIFFICILE che possa sperarsi che o coll' ajuto dell'arte ed uso de rimedii, o col lasso del tempo abbia a risorgere in lui la forza di una virilità stabile*. Et Chirurgus Maldura quartus judicialis peritus qui in eadem fuit opinione, antea tamen diserte præfatus est judicium hoc suæ artis fines prætergredi = *Se poi sia insuperabile, o no quantunque non sia di mia precisa inspezzione, ma de' Signori Medici Fisici, pure &c.*; Ita ut Peritis tanta cum incertitudine, & trepidatione loquentibus, etiamsi a duobus aliis ut supra non conflictarentur, fidere Judices nequeant. Tanto autem securius quia ad exuberantiam accedunt duo testes in processu examinati, nempe Medicus Philippani, qui ex ore Comitissæ Gentilis ait, eam dixisse *che nei sopradetti tentativi soffriva qualchè dolore*, & Chirurgus Massimini, qui privatim inspexit Comitem Julium, & qui de tentata loquens virilis hastæ erectione suis corporeis oculis vidit *una volta però fra le altre l'osservai idonea e sufficiente per la consumazione del matrimonio*. Quinimo ipsa met Com. Gentilis in sua prima declaratione enarravit, virilem hastam Com. Julii = *prendeva qualchè volta qualchè vigore* = *qualchè volta si mostrava anche più gagliarda* = licet addiderit, quod brevi flaccescebat.

Defensor matrimonii singula quæ a Comite Julio afferuntur sive in jure sive ex facto ad excludendam quæ a Comitissa Gen-

Gentili asseritur irreparabilem certamque Impotentiam longa oratione prosequitur , & exornat . At pleniori etiam calamo contra petitam in secundo Dubio dispensationem insurgit . Non impugnata , ut par est , Summi Pontificis potestate , & præsupposita etiam si placet non sequuta matrimonii consumatione, totus in eo est ut ostendat legitimas deesse causas Sanctitati Suæ consulendi pro exoptata ab utroque Conjuge dispensatione . Dubitationem enim quæ super viri edoneitate movetur ,honestam gravemque haud præseferre ait dispensationis causam,alias omnes quæ super Conjugiorum dissolutione moventur quæstiones per dispensationem finiendæ essent secus ac S. hæc Congreg. observat ut videre est in *Mediolanen. Matrimonii* 4. *Decembris* 1728. , *Marsien. seu Caputaquen. Matrimonii* 17. *Decembris* 1727. *Sancti Severini Matrimonii* 14. *Decembris* 1737. *Narnien. Matrimonii* 27. *Augusti* 1746. *Forolivien. Dissolutionis Matrimonii* 8. *Augusti* 1761. Eadem infirmitate laborare superventam inter conjuges eorumque conjunctos animorum ut asseritur alienationem , eamque etiam irreconciliabilem : Hæc enim , & in *Pragen. matrimonii proposita* 7. *Julii* 1731. , & 26. *Januarii* 1732. circumferebatur , & nihilominus proposito Dubio *an sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione* responsum fuit *negative* . Pericula incontinentiæ quæ triennalem condormitionem sequuntur adeo falsa esse,ut ea numquam S.Congregationem deterruerint a decernenda dicta cohabitatione quoties certa non erat impotentia , ut in *Narnien. Matrimonii* 26. *Augusti* 1746. , *in Januen. Matrimonii* 28. *Maii ejusdem anni* , & 3. *Augusti* 1748. , *in Amalphitana* 10. *Aprilis* 1757. *in Valentina* 22. *Martii* 1764. *in Lucana matrimonii* 3. *Decembris* 1767. Uniformem denique contrahentium consensum nihil ad rem pertinere; cum non ab eorum placitis sed ab auctoritate Summo Ecclesiæ Capiti a Deo tradita hæc dispensandi potestas profluat , uti visum est in *Januen. Matrimonii* 16. *Augusti* 1783. *confirmata* 6. *Septembris dicti anni* , & *hoc ipso onno in Nicien. seu Turritana matrimonii* 11. *Martii confirmata* 20. *Maii* in quibus datum est pro dispensatione responsum licet contrahentium alter expresse refragaretur .

Facilis ex præmissis videtur primi Dubii definitio. iis præsertim ante oculos habitis quæ judiciales Periti retulerunt . Paulo fortasse difficilior resolutio secundi . Regula enim est quod si dubia sit impotentia Viri, tunc triennalis cohabitationis experimentum præmittitur . At aliquando

exigentibus circumstantiis sine piaculo brevior calcatur via dispensationis, uti monet *Folium extensum a clar.me. Card. Lanfredino in Neapolitana matrimonii* 12. *Januarii* 1732. in quo exempla referuntur observatae hujusmodi brevioris viae tum a *particulari Congregatione sub san. mem. Clem. VIII.* in matrimonio rato, & non consumato inter Sigismundum Transilvaniae Principem, & Archiducissam Mariam ab Austria, tum ab hac Sac.Congregatione in *Januen. dispensationis* 20. *Maii*, & 9. *Septembris* 1719., *iterumque* 27. *Januarii* 1710.

Inter circumstantias porro quae huic indulgentiae aditum aperiunt ea potissimum attrendenda videtur quae assertae impotentiae qualitatem respicit. Si enim vere anceps, & dubia ea sit nec spes absit ut removeri queat, tunc aegre a regula Sacer hic Ordo discedit; Sin autem valde verisimilis illa est sive de absoluta sive de relativa agatur impotentia tunc ex praxi hujusS.Congregationis non abhorret a periculoso hoc in casu triennalis cohabitationis experimento abstinere, viamque dispensationis incedere ut in celebri *Januen. matrimonii* 14. *Januarii* 1741., *& nuper in alia Januen. matrimonii* 16. *Augusti* 1783. *confirmata* 6. *Septembris d. anni*.

Dubia sunt.

I. *An Constet de nullitate matrimonii in casu &c.*
Et quatenus negativè.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*

Dilata, & esse locum experimento cohabitationis triennalis.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

MAJORICEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Proposita fuit in Congregatione diei 17. Novembris 1784. instantia Sacerdotis Joannis Myris Lebres qui dispensari ab irregularitate postulabat si quam contraxerat ob cultro interemptam 4. Septembris 1779. Aloysiam Villaseras in se unguibus, calcibus, clausoque ostio cultro evaginato irruentem. Sed cum Episcopus ut in more est de satisfactione Fisci requisitus, non quidem eam adesse sed sperari posse retulisset = *Facilis est*, inquiebat,

hat = *Fisci satisfactio* ; interrogatus de satisfactione partis , negativa dumtaxat ejus satisfactionis argumenta attulisset = *Non dubito satisfactam esse partem siquidem nullam interposuit accusationem* = de moribus denique emendatis testimonium perhibere rogatus , sed id exequi non posse responderit = *quoniam post patratum homicidium statim ab hac Insula recessit Orator* = Hinc utcumque idem Episcopus enixe S. Congregationem deprecaretur ut Sacerdotis Oratoris precibus auscultaret , nihilominus EE. VV. ab inconcussa S. hujus Tribunalis praxi haud discedentes instantiæ rescripserunt *Negativè* .

Oblatis denuo huic S. Congregationi ab Oratore precibus una cum luculentissimo *satisfactæ partis* monumento, perampla scilicet renunciatione viduæ matris occisæ Aloysiæ Villaseras iterum ad Majoricensem Episcopum datæ sunt litteræ , qui appellata priori sua relatione *id unum*, dixit, *addere possum satisfactum esse Fiscum* . Non recessit tamen ab opportuna & consueta cæteroquin animadversione,ne in patrium locum commissi delicti Orator celebraturus rediret , abstinuitque ab edendo testimonio super emendatione Sacerdotis Oratoris,qui dudum in Vrbe morabatur & moratur , ac præcise in nationali nosocomio S. Mariæ de Monte Serrato . Interrogatus propterea fuit super tota vivendi ratione a tempore commissi delicti ad hanc diem ab Oratore servata emeritissimus S. Rotæ Romanæ Auditor & illius Ecclesiæ Gubernator R. P. D. Despuig qui præmisso quod *de Fisci satisfactione refert Episcopus* , *deque Partis consensu irrefragabile præstat testimonium* prosequitur narrando quod Orator ab anno 1779. delicti epocha ad annum 1782. *injustam per triennium passus est carcerationem Neapolis* (creditum enim fuit esse unum ex Hispanis Individuis suppressæ Societatis Jesu); Anno 1782, receptus fuit in Hospitali S. Mariæ de Monte Serrato in quo & hodie moratur = *A primo autem eo tempore talem se constanter præbuit qualem decet esse Sacerdotem &c. Non possum non lætari in Domino Sacerdotem hunc post patratam culpam exemplum præbuisse humilitatis compunctionis & pænitentiæ &c.* Atque Episcopi precibus in prima & altera informatione legendis addendo suas concludit= *Enixius deprecor quo possum EE. VV. ut gratiam quam iterum sexagenarius Sacerdos efflagitat , benigne dignentur impertiri . Deprecor ego qui minimus licet sim , tum tamen TESTIS ILLIUS VITÆ , ejus EMENDATIONIS SUM EXPROMISSOR , meoque judicio gratia in immeritum non cadet Sacerdotem .*

His

His fulta præsidiis redit Causa ad EE. VV. judicium sub infrascripto dubio definienda.

Porro haud deesse videntur quæ potissimæ sunt hujus indulgentiæ conditiones *satisfactio partis & Fisci*, actaque diu *pœnitentia* quibus concurrentibut sæpissime Sacer hic Senatus dispensationi auscultavit ut ex pluribus Resolutiobus collectis in *Termularum Dispensationis ab irregularitate* 28. *Augusti* 1779. & 29. *Aprilis* 1780.

Tanto autem securius quia res non est de homicidio ex proposito & per industriam perpatrato quod a Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* etiam amissione spei obtinendæ dispensationis castigatum fuit; sed non inverisimiliter de homicidio res est quod *vim vi repellendo & ut a morte se defenderet Orator commisit*; de qua altera homicidii specie idem Tridentinum loc. cit. agens inquit quod *etiam ad Sacrorum Ordinum & Altaris Ministerium & Beneficia quæcumque ac Dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur*.

Tota quippe hujusce delicti probatio in confessione posita est Sacerdotis Oratoris. Nullus hic accusator; nulla facta est inquisitio; nulla apposita querela. Orator est solus & spontaneus Accusator & Reus. Scindere ergo voluntariam ejus supra expositam narrationem non licet, eamque qua in parte sequutum homicidium exponit recipere, & qua alia in parte illius refert occasionem & modum respuere. *Ferret. cons.* 74. *num.* 4. *lib.* 2. *VVames. de Sponsal. cons.* 528. *num.* 11. *t.* 2. *Rota coram Kaunitz decis.* 77. *num.* 9., & *Molines decis.* 1108. *num.* 4., & 5. & *in Maguntina Sponsalium* 20. *Novembris* 1741. *coram cl. me. Card. Molino*.

Quæ omnia S. Congregatio multo libentius amplecti solet quando de promoto agitur non de promovendo cum dudum agnitum decisumque fuerit jugique praxi observatum graviorem illam Tridentinæ Synodi censuram de qua supra eos tantum respicere qui nunc primum ad Sacra ministeria admitti postulant, ut relato S. Congregationis voto coram S. M. Paulo V. congregatæ refert *Fagnan. in cap. Henricus de cleric. pugnante in Duello n.* 23. & *plur. seqq.*

Sed præ omnibus observandi sunt Oratoris mores, quosve illi exhibeat testes, sponsoresque servatæ ab eo præsertim post patratum crimen Sacerdotalis emendatæque vitæ rationis, quosque habeat postulatæ indulgentiæ gravissimos assertores, & intercessores; in *Melevitana irregularitatis* 15. *Januarii currentis anni* plurimum detulit S. C. te-

C. testimonio judicioque Vicarii Capitularis, adventui delinquentis ab Urbem, toleratis ab eo longi difficilisque itineris incommodis. *In Cosentina Irregularitatis* 20. *Maii pariter currentis anni* cum de emendata vita Sacerdotis homicidæ testaretur Archiepiscopus præcesque adderet suas, & protestaretur *recipere in se*, quod gratia indignus non erat, auscultavit S. Congreg. rescripsitque *attentis peculiaribus Archiepiscopi precibus pro gratia peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua Domo religiosa, & dummodo non cohabitet in loco commissi delicti.*

Quid ni ergo sperare idem liceat Sacerdoti Joanni Myri Lebres post ea quæ exhibet in summario suæ allegationis constantissimæ emendationis laudabilisque vitæ splendida testimonia, post enarratos probatosque labores, qui suum ad Urbem accessum præiverunt, & comitati sunt? Sane Episcopus usque a prima sua informatione intercessor gratiæ fuit apud S. Congregationem = *Sacræ Congregationis Eminentissimos Patres ENIXE DEPRECANS, ut in his benigne annuere dignentur.* Easdem renovavit preces in secunda Relatione = *Quapropter hujus Sacræ Congregationis Patres Eminentissimos iterum ENIXE DEPRECOR ut his precibus benigne annuere dignentur* = Effusissima sunt quæ pro Sacerdote Oratore dixit deprecatusque est laudatissimus Præsul Ecclesiæ S. Mariæ de Monte Serrato Gubernator sub cujus regimine illa vivit nempe R. P. D. Despuig cujus notissima est integritas summa, & insita Nationi pietas, & Religio = *Deprecor ego qui licet minimus sim, SUM TAMEN TESTIS ILLIUS VITÆ, EJUS EMENDATIONIS SUM EXPROMISSOR; MEOQUE JUDICIO GRATIA IN IMMERITUM NON CADET SACERDOTEM.*

Dubium est.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione, dummodo celebret extra locum commissi delicti.

ECCLESIEN. ONERUM, ET DISTRIBUTIONUM. Ortam in Cathedrali Ecclesiensi inextricabilem confusionem Canonicalium redituum cum reditibus piorum onerum sola evolvere potuit Eminentissimi D. Car- *Sess. 22 cap. 6. de Reform.*

Cardinalis Antonelli diligentia. Ablegatis enim ad eum precibus Cathedralis Ecclesiensis, ut rem perpendere, votumque suum aperire dignaretur, nullum non adhibuit studium, nullique pepercit labori, ut totius rei historiam ob oculos poneret. Dubia ipsemet efformavit, quæ adhibenda confusioni remedia complecterentur, sapientissimum protulit judicium suum, voluitque demum ut quæstio omnis, ipsaque sententia sua gravissimo EE. VV. examini subjiceretur. Inutilis esset labor ea retexere, quæ idem laudatissimus Relator in suo voto EE. VV. distribuendo digessit; Videbunt etiam, quæ Episcopus contra nonnulla ab Emo Cardinale proposita animadvertenda esse censuit, quæve sub conceptis Dubiis comprehendi, & expendi poterunt. Præsertim quoad contentam sub tertio dubio quæstionem ob oculos EE. VV. ponit Episcopus & Capitulum post editum Eminentissimi Relatoris votum apparuisse in facto, quod non integra massa distributionum ad libras ascendens 74589. incertitudini confusionique subjecta erat, sed quod ab omni erant implexitate immunes Libræ 48279. quas proinde ab incertitudinis massa detrahere æquum erat, & præcipuas distributionibus addicere. Addere oportuit Dubium octavo loco descriptum ne quid prætermissum relinqueretur ex iis quæ post editum Emi Cardinalis votum Episcopus proposuit.

Dubia sunt.

I. *An sit consulendum SSmo pro condonatione Missarum, atque Onerum a Capitulo præterito tempore non impletorum.*

II. *An sit toleranda consuetudo quod Capitulares in ingressu solvant libras quadringentas, seu verius* 424. *ad augendam, & conservandam massam distributionum quotidianarum, prout in casu; ita ut qui non solverit omni penitus quotidianarum distributionum fructu privetur;* Et quatenus negative.

III. *Quonam modo ea distributionum Massa confici debeat.*

IV. *An pia Legata tam Missarum quam aliorum onerum, quæ dubia & incerta sunt, quæque non habent peculiarem fundum superstitem, sint penitus delenda juxta Capituli preces, seu potius reducenda, & quomodo.*

V. *An sint præservanda Legata quæ peculiarem habent fundum adhuc superstitem, nec cum reliquis Capituli bonis confusum, & quatenus imminuti sint reditus, an & quomodo sint reducenda.*

VI. *An Legata quæ ad Populi & Ecclesiæ commodum & uti-*

utilitatem instituta sunt, sint servanda, aut etiam reducenda.

VII. *Quid decernendum de Capitali ac fructibus Librarum 26821. quæ fenori datæ sunt Communitati Yglesiarum.*

VIII. *Quid demum de Sacris utensilibus ad quorum solutionem onerantur Canonici.*

Non proposita cum reliquis.

AUXIMANA JUBILATIONIS. Erecta anno 1731. in Oppido Montis Philoptrani Auximanæ Diæcesis decem Cappellanorum Congregatio fuit a pio Cive Alexandro Antonio Gentiloni, & ejus sorore, reservato suæ familiæ nominandi jure. Fundator laicales esse voluit hujusmodi Cappellanias; Onus Cappellanis imposuit Ecclesiæ inserviendi, præstandi Choro servitium more Ecclesiarum Cathedralium ac Collegiatarum, decrevitque contra non interessentes punctaturas Sacrario ejusdem Ecclesiæ applicandas. Ex Cappellanis in ipsa erectione a fundatore nominatis, unus superest Hieronymus Gentiloni, qui preces Sac. huic Congregationi porrexit, ut ob servitium laudabiliter Ecclesiæ præstitum per Annos 50. indultum quod vocant jubilationis mereatur. Requisito voto ac informatione ab Emo Episcopo prodiit die 15. Maii 1783. rescriptum *pro gratia arbitrio Emi Episcopi cum solitis clausulis* = sed paulo postea res sine exemplo visa est in Cappellanis laicalibus, & in eo corpore quod nec Cathedralis nec Collegiatæ Ecclesiæ nomine donari poterat. Hinc die 19. Julii ejusdem anni mandatum fuit ut causa normam futuris casibus datura in Folio describeretur. *Sess.24.cap.12. de Reform.*

Revera adhibitis quantiscumque diligentiis inveniri datum non fuit exemplum concessae jubilationis aliis, quam addictis servitio Chori in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis. Nemini ignotum quod a duobus tantummodo saeculis hoc nomen auditur in Ecclesia, quae primum approbavit eorum Capitulorum statuta, quae hoc indultum pollicebantur, mox sivit quodammodo ut indulgentia transiret in legem, sumpto exemplo ab honorifica missione quae Veteranis dabatur, & a Levitis qui post servitium 25. annorum dimittebantur exempti. *Navar. cons.* 12. *de Cleric. non resid.*, *Bonaccina de horis Canonicis quaest* 5 *part.* 6. *num.* 15., *Gallerat. ad Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 12., *Garzias de Benef. part.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 344.

Suas tamen habuit, & antiquior, & recens disciplina rationes. Etenim ante invectum jubilationis usum satis consuli visum est diuturno servitio Canonici infirmi, aut eam aetatem attingentis quae infirmitati aequiparatur per indultum causa infirmitatis; Satis etiam per facilem ea de causa Coadjutoris concessionem; Satis demum per speciale aliquod Indultum quod Apostolica Sedes ratione benemeriti longissimique servitii concedebat ut advertit *Card. de Luca de Canonicis disc.* 15 *num.* 7. Postquam vero aequius visum est diuturnum servitium per se solum consideratum, a quibuscumque abstrahendo circumstantiis praemio dignum esse, tunc haec ipsa retributio aptissima fuit novae disciplinae causa, innumeris commendata hujus Sacri Ordinis Resolutionibus, quarum nonnullas legere est in *Signina Jubilationis* 11. *Martii currentis Anni*.

Si ergo ipsa per se servitii diuturnitas hoc beneficium promeretur, jam aliena videtur animadversio ad locum, in quo servitium illud praestitum fuerit. Valuit porro haec sola quadragenarii, & honesti servitii circumstantia ut quidam Benedictus Tarquini Verulanae Dioecesis qui per annos 40. fuerat Camerarius Societatis SS. Passionis, & Prior Hospitalis jubilationem mereretur, auctorante Summo Pontifice per Organum S. C. Ad illius enim preces *die* 21. *Maii* 1770 rescriptum fuit = *SSmus auditis relatione Episcopi Verulani &c. benigne commisit eidem Episcopo ut veris &c. supradictam jubilationem favore Oratoris ut supra factam pro suo Arbitrio gratis approbet, & confirmet ut in lib.* 120. *Decret. pag.* 51. & 52.

Valuit hoc idem servitium per annos quadraginta impensum erga Seminarium Verularum a Joanne Scoccia ut jubi-

jubilationis ab Episcopo obtentæ confirmationem ipse postularet a SS. D. N. Preces Sanctitas Sua ad hanc S. C. ablegavit, quæ re per summaria precum proposita, respondit = *Die* 11. *Maii* 1782. *Sacra &c. attenta relatione Episcopi Verulani benigne commisit eidem ut veris &c. suprad. Oratoris precibus pro suo arbitrio gratis indulgeat juxta petita ut in lib.* 132. *Decret. pag.* 379. *& seqq.*

Quid ni ergo idem concedatur Beneficium Oratori Gentiloni quem per 50. fere annos munus suum exacte implevisse unanimi suffragio testati sunt cæteri Cappellani, & cui suffragatur etiam Emus Antistes. Putat quoque Orator Collegialem esse suæ Congregationis qualitatem; atque eam in rem testimonium affert Emi Episcopi in quo hæc leguntur = *nell'elezzione dei Cappellani deve concorrere il voto degli altri consocii residenziali per essere la detta Congregazione IN FORMA DI COLLEGIO*. Verum hæc ipsa verba, quo sensu hanc Collegialitatem enunciaverit Emus Episcopus satis ostendunt; & aliunde hanc qualitatem excludit laicalis dictarum Cappellaniarum natura, deficiens erectio, carentia omnium ex iis quæ principaliora sunt Collegialitatis argumenta, ut commune sigillum, communis arca, jus convocandi Capitulum penes eum qui gerat figuram capitis aliaque de quibus late *Petra ad Constit.* 7. *Inn. IV. sect.* 2. *num.*15., *& seqq.*, *Rota in Placentina Collegialitatis* 19. *Novembris* 1703 *cor. Card. Scotto*.

Quæritur.

An sit concedendum indultum Jubilationis in Casu &c.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI = Instantia pro separatione thori a Marianna Baruzzi contra Joannem Baptistam Pagani promota in Congregatione diei 11. Martii currentis anni rejecta fuit, ipsa Marianna jura sua non deducente. Et eodem contextu jussum fuit servanda esse sequestra quæ Curia Episcopalis præceperat super bonis dictæ Mariannæ ejusque materteræ, tum ad instantiam dicti Pagani, tum ex providentia Emi Episcopi ad revocandas scilicet inconsultas mulieres quæ in- *Sess.* 24. *cap.*8. *de Reform.*

terim à patria discesserant, & in exteram ditionem sese contulerant.

Proposita denuo causa in Congregatione diei 6. Maii praeteriti quoad utrumque quaestionis caput Partibus hinc inde strenue contradicentibus, haesit resolutio distractis in aequas partes Eminentissimorum PP. suffragiis, adeoque ampliata decisio fuit rescripto = *Iterum proponatur* = Hodie utraque indago tam scilicet super separatione thori quam super observatione sequestrorum EE. VV. judicio subiicitur. Placeat itaque EE. VV. praeterita antedicta Folia resumere, & respondere Dubio.

An sit standum vel recedendum a Decisis in casu &c.

Sess 25. cap. 4. de Reform.

REATINA SUBSIDII DOTALIS. Proposita fuit haec Causa duobus comprehensa Dubiis in Congregatione diei 8. Julii currentis anni. Placuit utrique Parti data secundo Dubio responsio; Displicuit autem PP. ministrantibus Infirmis resolutio primi dubii. Interrogati enim EE. PP. = *An Clerici Regulares ministrantes Infirmis cogantur nominare ad subsidium Dotale puellas per foeminam descendentes ex familia Passerini* = responderunt = *Affirmative* = nullis finibus nulloque certo gradu praelatione hac circumscripta, ita ut quicumque descendentes a dicta familia, per remotissimos utcumque gradus, fuerint hac praerogativa donati.

Inquiunt porro dd. Clerici Regulares indefinitam hanc praelationem cum testamento, & voluntate Francisci Passerini componi nulla ratione posse. Nam faeminas agnatas familiae per verba imperativa praeferri jussit testator = *si dia detta dote a detta Zitella e non ad altre* =; Mox vero non extantibus faeminis agnatis liberum electionis arbitrium PP. ministrantibus infirmis reliquit = *Allora detta dote si dia ad una Zitella povera ad arbitrio di dd. PP. Crociferi* =. Addidit quidem = *Prega però che se vi andasse qualchuna di casa Crisostomi, oppure di casa Mincantelli oppure qualchè Zitella PROSSIMA alla Linea mascolina Passarini in linea feminina ad avergli SPECIALE RIGUARDO a dargli detto sussidio Dotale* =; Sed maneat semper oportet distinctio inter agnatas atque

que cognatas; cum quoad primas prælationem jusserit, quoad secundas vix aliquam animadversionem testator deprecatus fuerit, alias inutiliter diversos adeo disponendi modos adhibuisset, inutiliter fæminas agnatas a cognatis in diversa oratione diversaque sede distinxisset, & collocasset.

Si ergo nihil amplius dari fæminis agnatis potest quam indistincta prælatio, si quid minus dandum est fæminis cognatis ex tam præclara disponentis voluntate, concludunt PP. Ministrantes infirmis, stare omnino, & componi cum juris regulis, & cum voluntate testatoris non posse eam quæ in dato responso concessa fuit indefinita, & incircumscripta fæminis cognatis prælatio. Tanto securius; quia hæc effusa, & omnimoda qualiscumcumque cognatarum prælatio apertissime contradicit, veluti iidem PP. Ministrantes infirmis arbitrantur, ipsismet deprecatoriis testamenti verbis. Fac enim ea sint imperativa resistente utcumque argumento a discretiva desumpto; Tamen quid aliud deprecatus est, aut etiam si placet quid aliud jussit quoad hasce fæminas testator? Nil aliud quam *ad avergli speciale riguàrdo*. Ergo, concludunt iidem Clerici Regulares, non omnem omnino, & illimitatum favorem non indefinitam prælationem, sed aliquam dumtaxat peculiaremque animadversionem jussit testator, quæ longissimo distat intervallo ab illa indistincta prælatione fæminis agnatis tributa, & quam Sac. Congregationis responsum fecit etiam quibuscumque fæminis cognatis communem.

Prosequuntur dd. Clerici Regulares: Erga quasnam cognatas familiæ Passarini hanc animadversionem exoptavit testator? Omnes ne, & quascumque? Nequaquam: resistunt mox dicta deprecatoria verba = *qualchè Zitella PROSSIMA alla linea mascolina Passarini*: Transformentur utcumque preces in imperium, propositos tamen fines egredi jussio non potest. Egreditur autem cum quæ de proximis cognatis exoptata fuerunt ad quascumque fæminas per quemcumque gradum conjunctas traducuntur.

Quinimmo abstrahendo a casu quo testator sive expresse sive tacite voluntatem suam aperuerit de præferendis *usque ad quemcumque gradum* consanguineis suis, sola eorumdem vocatio dd. prægnantibus verbis destituta decimum gradum civilem sive quintum canonicum non egreditur ut in cujusvis generis successionibus sive propriis sive impropriis post *text. in §. fin. Instit. de Success.*

ex

ex regula esse docent *Tiraquell. de Rectrat. lignager* §. *primo glos.9. num.13. , & seqq. Mantica. de conject. lib.8. tit. 12. num. 46. , & 47. , de Marin. resol.* 131. *num.9. lib.1. Rota cor. Falconer. dec.10. num.6. tit.* 40. *tom.3. , & in Forolivien. loci Consilii* 5. *Maii* 1704. §.3. *cor. Molines .*

Resumpto itaque folio Congregationis dictæ diei 8. Julii currentis anni EE. VV. definient .

An sit standum vel recedendum a Decisis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 9. Septembris 1786. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SApientissimum EE. VV. judicium expectant tum quatuor quæ ex ultima Congregatione superfuerunt Caussæ, tum quinque aliæ, quæ hodie primum referuntur.

ECCLESIEN. ONERUM, ET DISTRIBUTIONUM. *Sess. 22. cap. 6 de Reform.*

I. *An sit consulendum SSmo pro condonatione Missarum, atque Onerum a Capitulo præterito tempore non impletorum.*

II. *An sit toleranda consuetudo, quod Capitulares in ingressu solvant libras quadringentas, seu verius 424. ad augendam, & conservandam massam distributionum quotidianarum prout in casu; ita ut qui non solverit omni penitus quotidianarum distributionum fructu privetur;*
Et quatenus negativè.

III. *Quonam modo, ea distributionum massa confici debeat.*

IV. *An pia Legata tam Missarum, quam aliorum Onerum, quæ dubia, & incerta sunt, quæque non habent peculiarem fundum superstitem, sint penitus delenda juxta Capituli preces, seu potius reducenda, & quomodo.*

V. *An sint præservanda Legata, quæ peculiarem habent fundum adhuc superstitem, nec cum reliquis Capituli bonis confusum, & quatenus imminuti sint reditus, an & quomodo sint reducenda.*

VI. *An Legata quæ ad Populi, & Ecclesiæ commodum, & utilitatem instituta sunt, sint servanda, aut etiam reducenda.*

VII. *Quid*

VII. *Quid decernendum de Capitali, ac fructibus Librarum 26821., quæ fænori datæ sunt Communitati Yglesiarum.*

VIII. *Quid demum de Sacris Utensilibus ad quorum solutionem onerantur Canonici.*

Ad I. Affirmativè juxta Votum Eminentissimi Relatoris.

Ad II. Negativè juxta Votum Eminentissimi Relatoris.

Ad III. Applicandas esse Massæ distributionum duas ex tribus partibus relicta tertia parte pro Legatis Piis, in reliquis juxta Votum Eminentissimi Relatoris.

Ad IV. V., & VI. Juxta Votum Eminentissimi Relatoris.

VII. Divisionem faciendam esse juxta responsionem ad tertium Dubium.

Ad VIII. Juxta Votum Episcopi.

Sess.24 cap.12. de Reform.

AUXIMANA JUBILATIONIS.

An sit concedendum Indultum jubilationis in casu &c.

Affirmativè cum solitis clausulis.

Sess.24. cap. 8. de Reform.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad I. In Decisis & amplius, & ad mentem.

Ad II. Sequestra esse removenda a die reditus in Statum Ecclesiasticum, & amplius.

REA-

REATINA SUBSIDII DOTALIS. *Sess.25. cap. 4. de Reform.*
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis usque ad quintum gradum Canonicum inclusivè.

URBEVETANA. Duo sunt quæ gravissimo EE. VV. judicio unanimi consensione subiiciunt Eminentissimus Urbevetanus Episcopus, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ dictæ Civitatis. Ambo solo ducuntur spiritu tuendorum suæ cathedræ, & respective sui corporis jurium, & ut ut definiatur quæstio libentes decisionem excipient; tanta est Eminentissimi Episcopi in suum Capitulum impensissima charitas, tantum Capituli constans, ac devinctissimum obsequium, & amor in laudatissimum Antistitem. Infrascripta Dubia totius quæstionis summam comprehendunt. *Sess.24.cap.18. de Reform.*

Putat primo loco Eminentissimus Episcopus, non liquere de habituali Cura Cathedralis Ecclesiæ penes Capitulum. Non enim nominat Vicarium perpetuum, seu Archipresbyterum qui Curam Animarum exercet, sed Archipresbyteratus ad unius Episcopi arbitrium confertur, & tamen hoc potissimum esse habitualis Curæ argumentum notant *Garzias de Benef. p. 9. cap. 2. num.289.*, *Gonzalez ad regul. 8. Cancellariæ glos. 5. §. 4. num. 50.*, *Rota in Recen. decis.400. num. 7. p.18. Tom.1.*, *& cor. Molines dec. 115. num.2.*. Primitias, Decimas, aliaque Parochialia emolumenta Capitulum non percipit, sed ea integre deferuntur Archipresbytero, contra quam in iis observatur, qui existente Cura habituali penes alterum sola congrua jubentur esse contenti *Abbas in cap. extirpandum §. quia vero in fin. & in cap. Pastoralis num.2. de his, quæ fiunt a prælatis*, *Lotter de re Benef. lib.1 quæst. 20. num.25., & 26.*, *Rota cor.Coccin. decis.1133. num.8., & cor.Molines dec. 368. num.10.*. Sacra Suppellectilia, Vasa Sacra, Ceras, & similia non suppeditat Archipresbytero Capitulum, quæ nihilominus ab habituali Parocho dari receptum generaliter est teste *Rota in Recen. decis.99. num.3. & 8. part. 3.*, *& decis.516. num. 8., & 9. part.18. Tom.2.*, quod si de emolumentis funerum participes se esse Canonici doceant trahendum non esse in habitua-

bitualis Curæ argumentum, sed tribuendum potius cuidam quasi contractui inter Capitulum, & Archipresbyterum, quia vicissim Capitulum cereas candelas in die Purificationis populo distribuendas suppeditat. Ex facto demum apparere, quod Canonici nullam exercent parochialem functionem, etsi quando Baptismi Sacramentum contulere, de Archipresbyteri licentia hoc præstiterunt, ut *in baptismalibus libris adnotatum legitur*: Similiterque ex *nudo facto emergere*, quod decimæ integre cedunt duobus Presbyteris, qui Archipresbytero in Animarum Cura cooperantur, & adjuvant.

Sed quatenus etiam de hac habituali Cura penes Capitulum constaret, quam expresse protestatur Emus Episcopus se non impugnandi animo, sed agnoscendæ veritatis studio in discrimen adducere, ad quæstionem progrediens in secundo Dubio contentam existimat ad se unum pertinere vacante Archipresbyteratu Æconomos, seu Presbyteros substitutos nominare. Ita expresse sancivisse *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 18. *de Ref.* = *Debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ si opus fuerit idoneum in ea Vicarium &c. constituere*: Ita sæpius S. hanc Congregationem declarasse etiam in Parochialibus jurispatronatus cujuscumque, & in iis quę ad collationem alterius quam Episcopi pertinebant: Prudenter enim visum esse in re, quæ moram non patiebatur unius Episcopi judicio fidendum esse: Recenset has resolutiones *Garzias de Benef. p.* 9. *cap.* 2. *num.* 10., *Fagnan. in cap. cum nos de Off. Ordin. Tom.*1. *num.* 7., *Marant. de potest. jurisdictionis p.* 6. *cap.*2. *num.* 50. *Pignattell. consult.* 8. *num.* 16. *t.* 8, *& novissime censuit S. hæc Congregatio in Eugubina Jurisdictionis* 28. *Augusti* 1773 in qua cum de Cardinali Protectore S. Agnetis in platea Agonali quæreretur, qui spiritualem temporalemque habet jurisdictionem in nonnullis Parochialibus Eugubinæ Diæcesis cum facultate deputandi Vicarios Curatos, beneficia conferendi, ad ea instituendi, cum exemptione ab Episcopali jurisdictione Ecclesiarum, Locorum, personarum, rerum, & bonorum quorumcumque; Nihilominus quando ventum est ad examen facultatis deputandi Œconomum tempore vacationis Ecclesiarum Parochialium Dubio, quod proponebatur quarto loco = *An præfatus Eminentissimus Protector possit in vacationibus dd. Ecclesiarum Parochialium deputare provisionaliter Æconomos sibi magis benevisos independenter omnino ab Episcopo Eugubino, sive potius dicta provisionalis deputatio spectet ad Reverendissimum Episco-*

scopum Eugubinum = *responsum fuit negative ad primam partem, affirmative ad secundam*.

Arguit proinde Emus Episcopus quod si quando ad alium spectat collatio Paræciæ, ad Episcopum tamen semper pertinet deputatio Œconomi, multo magis idipsum statuendum est quando vacat Archipresbiteratus qui ab ipso solo semper collatus est, & confertur. Nec obtrudendam esse in linea præsumptiva contrariam observantiam exordium sumentem ab anno 1685. Esto enim dicto anno Capitulum deputaverit Œconomum seu presbiteros interim Paræciæ Curam gerentes, esto idipsum servatum fuerit an. 1703., & repetitum quoque an. 1768. (neque enim nuperus casus anni 1785. tamquam is qui dedit controversiæ causam connumerari potest); Tamen hæc centenaria observantia, a tam paucis præterea actibus desumpta infringere non potest claram adeo Tridentini Concilii legem, Apostolicasque Constitutiones illam confirmantes, cum decreta Concilii, & Apostolicæ Constitutiones *ad publicam utilitatem emanatæ debeant executioni demandari non obstante consuetudine, & in observantia centum annorum, & ultra* sunt verba *Piton. de controv. patron. alleg.* 5. *num.*21., *&* dixit *Rota in Novarien. Parochialis loci Cisti super bono jure* 27. *Januarii* 1710. *§ Hinc non minus cor. Priolo, & Bened. XIV. in sua Institut.*60. *latinæ impressionis*.

Contra autem Capitulum ut habitualem penes se extare curam evincat, unionem profert usque ab anno 1284. Cathedrali Ecclesiæ sub invocatione S. Mariæ factam alterius Paræciæ S. Constantii. Inquit enim Episcopus in sua Bulla *se unire Parochiam S. Mariæ cum Parochia S Constantii ita quod una sit Ecclesia Cathedralis sub vocabulo S. Mariæ Virginis*; Affert, & recentiorem unionem eidem Cathedrali Ecclesiæ factam Parochiæ S. Salvatoris anno 1743. a tunc temporis Episcopo tamquam Apostolicæ Sedis delegato = *Parochialem Ecclesiam*, inquit in suo Decreto Episcopus, *SSmi Salvatoris Parochiæ, & Curæ Ecclesiæ Cathedralis accedente consensu sui Rmi Capituli unire; ita tamen ut reditus quoscumque provenientes ab eadem Paræcia Rmo Capitulo, & Canonicis spectare dicantur, reditus vero ex Cruce, & Stola illi qui Curam Animarum exercet in eadem Ecclesia Cathedrali spectare debeant* = Exhibet etiam Positionem litis actæ Urbeveteri primum, deinde in Sacra Rota super jure tumulandi Cadaver bon. mem. Præsulis Albicini inter Cathedralem, &

Collegiatam Ecclesiam Urbis veteris cujus inscriptio erat = *inter Ven. Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Urbis Veteris, ac Ven. Capitulum, & Canonicos Collegiatæ S. Andreæ ejusdem Civitatis* = Et præter æquivocam administrationem Sacramentorum baptismatis, matrimonii &c. factam *a Curatis substitutis præfatæ Ecclesiæ*, cujus etiam meminit, ut supra Emus Episcopus per fidem juratam duorum Canonicorum, quorum alter per quinquennium, alter per septennium Camerarii munus exercuit, ostendit = *che la spesa per la distribuzione della Cera nella Festa della Purificazione si fa con le rendite Capitolari = Che la Cera proveniente dalla quarta funerale si consegna in mano del Camerlengo, e si pone ad entrata Capitolare = Che le Messe di Requie solenni non sono cantate privativamente dal Signor Arciprete, ma bensì dal Canonico Ebdomadario, e che dal medesimo si fanno le solenni esequie* = Et demum Actum Capitularem anni 1687. adducit per quem Canonici duobus Vice-Parochis integram decimam Sacramentalem cesserunt cujus antea duæ tertiæ ab iisdem dabantur Capitulo a quo vicissim decem libras Ceræ singulis annis recipiebant; & eodem contextu a præstatione dictarum librarum decem Ceræ recesserunt. Deductumque ad exercitium Curæ habitualis jus in tribus statibus annorum 1685., 1703., & 1768. per nominationem Œconomi, seu Presbyterorum, qui interim Curam Animarum gererent, de quibus latius in sequenti Dubio, notando interim, quod in primo ex dictis Capitularibus conventibus nempe anni 1685. Capitulum mandavit, ut per Canonicum Camerarium claves Baptisterii, & Parochialis Libri custodirentur, ac pro data opportunitate Œconomo, seu Presbyteris substitutis consignarentur præmissis in Capitulari relatione sequentibus verbis = *Essendo vacata per la morte dell' Arciprete Polidori la di lui cura d'Anime spettante abitualmente a questo nostro Capitolo* =.

De secunda quæstione nituntur Canonici demonstrare: Primo Tridentini Concilii sanctionem *Sess.24.cap.18. de Reform.* quo loco deputationem Œconomi vacantis Paræciæ Episcopo committit, eas non comprehendere Parœcias, quæ sunt Capitulo unitæ, tum ob intrinsecam rationem, quod eæ numquam vacare censentur manente semper Rectore habituali etsi deficiat Minister qui Curam exercet, tum quia de hujusmodi Paræciis non loqui Concilium expresse dixerunt *Gonzalez ad regul. 8. Cancell. Gloss.5. §.7. num.13., & Gloss. 6. num. 159., Scarfan-*

ton.

ton. ad Ceccoperium Tom.2. lib.3. tit.3. num.44., & 45.. Clarius etiam idipſum colligi ex ſupra allegatis Tridentini verbis per quæ illa Œconomi deputatio allegata eſtconditioni *ſi opus fuerit* ; opus autem Œconomo eſſe nequeat extante habituali Parocho , qui alium deputare interinum Miniſtrum poteſt ; & melius etiam ex toto dicti capitis contextu ex quo liquet , in illis ipſis Paræciis Æconomi deputationem præſcribi in quibus poſtea vel indictio concurſus vel præſentatorum a patronis examen ſancitur , adeoque traduci eam legem ad Archipresbiteratum Urbevetanæ Cathedralis non poſſe in qua certum eſt nullam fieri præſentationem , nullum indici concurſum, ut etiam ex jure eſſe in Parochialibus Dignitati actu unitis docent *Ricc. in praxi for. Eccleſ. deciſ.* 417. , *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Gloſs.*5. *§.*7. *num.* 2. *Barboſ. ad Seſs.* 24. *cap.* 18. *Concil. Trid. num.*15. *Rota in Recent. deciſ.* 323. *num.* 8. *part.*2.

Secundo autem qualiſcumque fuerit Tridentini Concilii mens , vel quæcumque aptari ejus verbis interpretatio velit per centenariam obſervantiam a tribus ſolemnibus ſtatibus reſultantem ſub annos 1685. 1703. 1768. pubblice , & palam exaratis ſuumque effectum conſequutis , in linea ſaltem præſumptiva cujuſcumque melioris tituli quæſitum Capitulo jus fuiſſe deputandi Œconomum ſeu interinos ſubſtitutos qui vacante Archipresbiteratu curam animarum exerceant . Ambigendum autem non eſſe quin hæc centenaria obſervantia tum *poſitive* ſumpta prout actus præſefert a Capitulo exercitos , tum *negative* conſiderata quatenus ſcilicet cum ſilentio , & acquieſcentia Epiſcopi conjuncta eſt , tantam habeat vim ut etiam Eccleſiaſtica jura interpretari , atque Apoſtolici indulti vel cujuſcumque melioris tituli præſumptionem inducere queat , ut ſæpe dixit *Rota præſertim in Romana* , *ſeu Ferentina Immiſſionis ſuper Reſervatis* 14. *Februarii* 1764. *§.*3. , & 6. *cor. Herreros* , & *ex profeſſo in Romana Locationis ſuper devolutione, & aſſociatione* 15. *Martii* 1782. *§.6. cor. R. P. D. Bayanne* .

Quid de contenta in primo Dubio quæſtione ſentiendum ſit, perfacile EE. PP. cognoſcent ex iis quæ in facto relata ſunt . Pro definitione vero alterius quæſtionis ſub ſecundo Dubio cadentis præ oculis habenda ſunt verba *cap.* 18. *ſeſs.*24. *Conc. Trid. de Ref. Debeat Epiſcopus ſtatim habita notitia vacationis Eccleſiæ* (Parochialis) *ſi opus fuerit idoneum in ea Vicarium &c. conſtituere* . Non is porro eſt eorum verborum *ſi opus fuerit* ſenſus ut poſitum ſit in arbitrio

bitrio Episcopi ad hanc temporanei Ministri designationem procedere vel abstinere; male enim hæc intelligentia congrueret cum maxima S. Concilii sollicitudine ut Episcopus *statim habita notitia* Parochianorum necessitatibus occurreret; sed id unum voluit prudentiæ judicioq. Episcopi Concilium relinquere ut nimirum inter plura Ministrorum genera quod vellet eligeret, Vicarium, Œconomum, mercenarium Ministrum &c. Ad rem *Barbos. de Off.*, *& Potest. Episcopi p.* 3. *alleg.* 60. *num.* 2. = *Unde illa verba Concil. d. cap.*18., ibi = Si opus fuerit =, *quæ videntur importare arbitrium, referuntur ad nudum modum in hac parte providendi, idest vel per Vicarium, vel per Mercenarium Ministrum, non autem ad omnimodum neglectum* =.

Deinde nullam ab hac Episcopali in his circumstantiis providentia excipi Parochialem Ecclesiam sive per se stantem sive alteri unitam, & per ministros exercitam præcedentia immediate verba dicti capitis demonstrant = *Etiamsi Cura* (vacantis parochialis) *Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum vel plures administretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus Curam Animarum dare* =.

Neque ex eo quod cum infra descendat *idem Concil. loc. cit.* ad indicandam in Perochialibus formam concursus placuerit ab hac lege exemptas esse Parochiales Capitulis Cathedralium vel Collegiatarum, aut Dignitati unitas inferre licet exemptas easdem quoque esse a designatione Œconomi statim per Episcopum in casu vacationis facienda. Quidquid enim sit an prior illa exemptio a summo jure descendat vel potius a recepto usu per auctoritatem Summi Pontificis, & hujus Congregationis approbato ut disputat *Garzias de Benefic. p.* 9. *cap.* 2. *num.* 180., & 181.; Illud certum est plausum numquam invenire potuisse posteriorem exemptionem a deputatione scilicet temporanei Œconomi donec novus Rector eligatur. Ipse met *Scarfanton. ad Ceccoperium lib.* 3. *t.* 3 postquam *num.* 44., & 45. contra deputationem Vicarii ab Episcopo faciendam his in casibus sentire visus est, suam disertissime corrigit sententiam *num.* 78., *& seqq.* = *Est tamen notandum quod vacantibus hujusmodi Ecclesiis Parochialibus quarum institutio vel collatio spectat ad inferiorem Episcopo, competit eidem Episcopo JUS DEPUTANDI IN IIS VICARIUM, qui tempore vacationis Ecclesiæ Curam gerat. Quod itidem facere potest in vacationibus Ecclesiarum spe-*

ctan-

stantium AD COLLATIONEM APOSTOLICAM , *sive de jure patronatus Laicorum , vel etiamsi non subjaceant concursui ; quinimmo potest prædictum Vicarium constituere etiam* IN ECCLESIIS UNITIS CAPITULIS , *quæ per Vicarios amovibiles reguntur , quoadusque per ipsa Capitula de Vicariis debite provideatur* =.

Nec sine maxima ratione ita statutum est . Nam juxta receptam Ecclesiæ disciplinam sex mensium intervallum dederat Alex. III. in Lateranensi Concilio ad providenda beneficia quocumque modo illa vacarent , & sive per collationem , sive per electionem danda illa essent *Cap* 2. *de Concess. Præbend.* . Periculum tamen animarum ex tam diuturna vacatione perpendens Inn. III. eam Ecclesiæ indulgentiam *ad Archiepiscopatum , vel Episcopatum non solere extendi* declaravit *cap.* 12. *de Concess. Præbend.* . Mox vero idem Inn. III. in altero Lateranensi Concilio reformatis sex mensium induciis infra tres menses Episcopales Cathedras provideri jussit , nihil quoad Paræcias aliaque beneficia decernens *cap.* 41. *de elect.* . Itaque usque ad Tridentini Concilii tempora incorrectæ manserant ampliores illæ sex mensium induciæ; proindeque sapientissime Tridentini Patres diuturnæ vacationis incommoda præcaventes omnemque in Episcopo fiduciam tamquam in rem præsentem versantis merito collocantes voluerunt , ut vacante Paræcia quæcumque illa esset statim Episcopus per designationem Œconomi viduæ Paræciæ consuleret .

Consuetudinem centenariam quod attinet sive active , sive passive sumptam , & in linea præsumptiva a Capitulo imploratam, animadvertendum est laudatum Concilii decretum postquam appositionem Œconomi indixerat , & formam concursus invexerat hæc præseferre verba = *non obstantibus huic decreto exemptionibus indultis privilegiis præventionibus affectionibus novis provisionibus indultis , concessis quibuscumque Universitatibus etiam ad certam summam , & aliis impedimentis* QUIBUSCUMQUE =

Per quæ sane , addito præsertim decreto irritanti , & clausula sublata quibus stipata est Constitutio Summi Pontificis Concilium Tridentinum confirmans omnem infractam esse consuetudinem etiam centenariam docent allegati per *Ursajam Tom.* 1. *p.*2. *discept.*14. *num.*21. , *&* *Tom.*4. *p* 2. *discept.*3. *num.* 85. , & *præ omnibus Bened. XIV. instit. Eccles. la* 60. §. 8.

Quin etiam distinguendæ sunt leges aliquorum singularem utilitatem , vel peculiare bonum respicientes ab iis legibus,

gibus, quæ pro universali bono æternaque animarum salute editæ sunt. Patiuntur fortasse primæ, ut illis per centenariam, vel immemorabilem prescriptionem derogetur; At non item secundæ ad quarum speciem conciliaris sanctio de temporaneo Œconomo, qui Animarum Curam gerat referenda est, ut ex ipsis conciliaris hujusce capitis proemialibus verbis apparet = *Expedit maxime animarum saluti a dignis, atque idoneis Parochis gubernari &c.* = In hujus secundi generis legibus necessarium expressum Summi Pontificis assensum probatamque scientiam, nec tacitum, & præsumptum sufficere ab observantia utcumque centum aut biscentum, aut plurium annorum desumptum advertit *Piton. de controv. patron. alleg. 5. num.21.* = Et bene *Rota cor. Cavaler. decis.91. per tot., & in Recent. decis.260. num.22. p.17.* = *Potissimum quia contrarius iste usus non probatur, quod innotuerit Pontifici ad hoc ut ejus accedente positivo consensu Papalis Constitutio in desuetudinem abire potuisset; Nec minus quod habuerit contradictorem fueritque in contradictorio judicio approbatus, ut necessarium existimet Rota &c. Maxime quia edita non fuit AD FAVOREM ALICUJUS PARTICULARIS, ut erat casus Decisionis Vallisoletana &c. sed PER VIAM LEGIS UNIVERSALIS PRO SALUBRI TOTIUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ STATU ad impediendos simoniacos, & vitiosos ingressus in beneficiis sicuti habetur in ejus proœmio, quo maxime casu non usus seu contrarius usus in præjudicium Ecclesiarum, & contra mentem Pontificis numquam præscribitur, sine ILLIUS SCIENTIA, ET CONSENSU CERTO, ET EXPLICITO; unde non suffragatur scientia præsumpta ex lapsu unius sæculi & ultra, quia alias in hoc Sacro Tribunali admissa non fuit EX CURSU 250. ANNORUM.*

Dubia sunt.

I. *An Cura habitualis Ecclesiæ Cathedralis, & Parochialis Urbevetanæ spectet ad Capitulum ejusdem Cathedralis in casu &c.*

II. *An sequuto obitu Archipresbyteri cui inest Cura Animarum liceat Capitulo substituere Presbyteros, qui interim Curam Animarum exerceant, seu potius spectet ad Episcopum deputatio Œconomi in casu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

PLA-

PLACENTINA DELIBERATIONIS, ET PRÆLATIONIS. Moniales S. Mariæ de Nive Placentinæ Civitatis plurima earum bona æstimata scut. 16300. publicæ licitationi exposuerunt, præservatis tamen debitis jurium solemniis. In sequelam priorum programmatum cum nulla satis congrua comparuisset oblatio, illa denuo affixa fuerunt die 17. Decembris 1785., meliorque oblator fuit Paulus Murelli, qui obtulit libras Placentinas 277100., sive scuta 15800. monetæ Romanæ, adeoque = *li suddetti Beni sono stati dalle prefate RR. Monache, ed Abbadessa &c. deliberati al suddetto Signor Paolo Murelli qui presente per il prezzo da lui in ultimo luogo offerto di Libre 277100. &c., al quale effetto il suddetto Signor Murelli ha obbligato, ed ipotecato a favore di detto Ven. Monastero mediante l'accettazione di dette RR. Madri, e la stipulazione di me Notaro, e Cancelliere infrascritto se stesso, suoi Eredi, e Beni &c.* *Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

Die 28. ejusdem mensis Andreas Bersani obtulit pro iisdem bonis libras Placentinas 282000. hoc est circiter sc. 16100. idque die 9. Januarii currentis anni denunciatum fuit Paulo Murelli. Mox indicta fuit nova licitatio ad diem 18. ejusdem mensis, quam licet inhibuerit Murelli præcedenti deliberationi confisus, transmisso in eam rem præcepto, Judex tamen sine præjudicio jur. part. ad eam procedendum esse decrevit. In termino igitur Edictorum siluit Murelli, comparuit autem Bersani, vicitque omnes offerendo libras 287100. sive sc. 19300. circiter. Continuo Moniales oblationem acceptarunt = *Le prefate Madre Abbadessa, e Monache hanno ammessa la predetta ultima, e perentoria oblazione fatta dalli suddetti Sig. &c. Bersani, e sonosi offerte ed incaricate di rassegnarla al S. Padre ad effetto di conseguire l' opportuno beneplacito Apostolico &c.*

Implorata hujus S. Congregationis auctoritate pro approbatione contractus, ablegatisque ad Episcopum precibus sub consueta lege affixionis novorum edictorum, continuo paruit Episcopus affixis denuo edictis die 8. Martii currentis anni; Sed in termino sex dierum in iisdem edictis præstituto, Bersani in postrema sua oblatione perseveravit, Murelli vero die 17. ejusdem mensis denuo protestatus est super contractu usque a die 17. Decembris 1785. sui favore perfecto; quod repetiit etiam die 21. dicti mensis hoc amplius addito, quod omnem in casum pro eodem pretio præferri Bersano postulabat.

Duo hinc orta sunt quæstionum capita. Unum quæ vincat quæ-

quæque confirmanda sit deliberatio an scilicet illa 17. Decembris 1785. favore Murelli, vel potius altera 18. Januarii currentis anni favore Bersani ; Alterum an Murelli quatenus in prima quæstione succumberet petere queat prælationem, Bersani oblationem æquando. Episcopus in hæc verba pandit sententiam suam = *Cum oblatio illorum deBersanis vincat alteramMurelli de scutis 500. & præcipue æstimationem hæc mihi videtur præferenda, quia secus haud eluceret contractus utilitas ; tum quia de idoneitate, & securitate in explendis conventis solutionibus quoad DD. Bersani pingui in stabilibus patrimonio pollentes ambigendum non est, quod de persona sæpedictiMurelli non satis liquet.*

Deliberatio diei 17. Decembris favore Murelli qualiscumque ea fuerit & quocumque nomine donetur, nondum obtento Apostolico beneplacito, nondum re per traditionem possessionis consumata, pactum continebat addictionis in diem, impressam scilicet conditionem, ut res infecta esset quatenus intra certum temporis intervallum melior comparuisset oblator juxta piorum locorum privilegium quod post *text. in l. fin. Cod. de SacrosanctisEcclesiis* docent *Card. Petra ad Const. 1. S. LeonisM. sect. 3. num. 34.*, & *seqq. aliique collecti per Rotam in Romana Affictus 9. Junii 1749. §. Non enim coram Cardinali Molino.*

Et licet nulla certa lege circumscriptum sit tempus quo sub hastæ auctione manere debeant fiscalia bona aliaque eorum, quibus fisci privilegia communicata fuerunt, ut intra illud adjectiones in diem recipi possint, tamen quoad Ecclesias, & Pia loca post *Constit. Septimam*, & *centumvigesimam Justiniani* resumptas *in Auth. Hoc jus porrectum C. de Sacris Ecclesiis* aut dati videntur dies viginti, aut hic saltem dierum numerus communi DD. traditione assignatus fuit. *De Marinis resol. quotid. lib. 1. cap. 147. num. 2.*, & 15. *Corradin. de jure prælat. quæst. 65. n. 4. Rota in Romana Appaltus lignorum 15. Jan. 1742. §. Etenim cor. Card. Calcagnino.*

Quidquid porro disceptaretur olim circa horum viginti dierum initium, an scilicet ab affixione programmatum, an ab aperitione oblationum, & demum an a die initi perfectique contractus numerari iidem deberent, placuit Tribunalibus tertiam amplecti, & sequi interpretationem vix relicta secunda pro eo casu, in quo attentis circumstantiis in ipsa die aperitionis schedularum contractus omnino completus, quoad substantiam videri posset. *Rota De-*

Decis. 374. *num.* 1., & 5. *part.* 4. *tom.* 1., & *decis.* 30. *part.* 4. *tom.* 2., & *in Romana affictus* 9. *Junii* 1749. §. *illud coram Card. Molino*.

Cum itaque oblatio prima Bersani intra viginti dies supervenerit sive a prætensa deliberatione, sive ab aperitione schedularum computatos, dubitari haud posse videtur, quin ea esset attendenda. Nec inquirendum scrupulosius est quid quantumque actum fuerit; quidquid enim dicendum sit, quando de extraordinario agitur remedio restitutionis in integrum ex capite læsionis, privilegium, quod attinet addictionis in diem *sufficit oblatio major exclusiva minimæ quantitatis* inquit *Card. Petra ad Constit. S. Leonis Magni la prima sect.* 3. *num.* 40. Opportune autem quoad ea quæ in superioribus dicta sunt, advertit idem doctissimus auctor non adeo rigide insistendum esse termino viginti dierum, ut non etiam liceat eo emenso utiliorem Ecclesiæ oblationem recipere, *ut ibidem num.* 36.. Et contractum ad effectum excludendi novos oblatores numquam dici perfectum nisi Apostolicum beneplacitum fuerit impetratum, immo nisi fuerit cum effectu exequutioni commissum, *ut ibidem num.* 41..

Pertinent hæc ad decisionem primi ex infrascriptis Dubiis. Prælationem quod attinet omnem in casum a Murelli petitam pro eadem summa quam obtulit Bersani, distraxit ea quæstio duas in partes summos hinc inde juris interpretes, & DD. Et merito; namque in ipsis quæ in Pandectis asservantur juris consultorum responsis quædam adesse contradictio videtur. *Paulus* enim *in l. licet ff. de in diem addict.*, ait = *Licet autem venditori meliori allata conditione addicere posteriori nisi paratus sit PLUS ADJICERE PRIOR*. Idem vero Juris consultus relatus in sequenti *l. Necesse ff. eodem* inquit = *Necesse autem habebit venditor meliore conditione allata priorem certiorem facere emptorem, ut QUOD ALIUS ADDIDIT IPSE QUOQUE ADJICERE POSSIT*. Difficile creditu est unum eumdemque jurisconsultum tam diversa sensisse, modoque primum contrahentem antetulisse, si plus, modo si æque ac alter adjiceret, utcumque prius fragmentum *ex lib.* 5. *ad Sabinum*, posterius ex alio *libro* 35. *ad Edictum* excerptum fuerit; Ideoque cum expressior sit primi textus sententia, in secundo autem causa faciendæ denunciationis afferatur, non absurdum videretur mentem Jurisconsulti fuisse per ea verba dumtaxat innuere, ideo denunciationem esse faciendam, ut etiam primus contrahens adjicere suæ oblationi posset.

Neque rem facit evidentiorem *Hermogeniani* responsum ex *lib. primo juris epitom.* desumptum, & insertum *in l.* 35. *ff. de Minoribus* in quo minori qui a re sibi prius per licitationem addicta, sive, ut loquitur Jurisconsultus penes eum collocata deturbatur a superveniente majore oblatore, succurrendum esse dicit per restitutionem in integrum, ut tantumdem offerendo posteriorem vincat oblatorem. *Si in emptione* (sunt verba dictæ legis) *penes se collocata minor adjectione ab alio superetur implorans in integrum restitutionem audietur si ejus interesse emptam ab eo rem fuisse adprobetur veluti quod majorum ejus fuisset ita tamen ut id quod ex* LICITATIONE ACCESSIT IPSE OFFERAT VENDITORI = Qui enim stant pro prælatione primo oblatori danda pro æquali pretio dicunt hanc restitutionem in integrum præsupponere jus quod Minor habebat prælationis pro eodem pretio, & quo neglecto restituitur in integrum ut illo uti possit; Qui vero prælationem concedunt, dummodo superet postremam oblationem affirmant restitutionem in integrum per hanc legem concessam minori dari, quia læsus fuerit in eo quod usque ab initio summam non obtulit quam superventus oblator expromisit *Guttierez pract. quæst. lib.* 2. *quæst.* 159. *num.* 3., *& num.* 5., *Mantica de Tacitis lib.* 4. *tit.* 28. *num.* 42., *Andreas de Ysernia in cap.* 1. *n.* 3.

Quidquid porro si an una vel altera verior sit in jure sententia S. hæc Congregatio discusso articulo eam amplexa est retinuitque sententiam, ut primo oblatori danda prælatio sit pro eodem pretio a superveniente emptore oblato. Patres Tertii Ordinis S. Francisci Neapolis vendiderant quamdam earum domum favore Recupidi pro ducat. 1500. Ante exequutionem Apostolici beneplaciti Tartaglionus obtulit ducat. 1600., & in candelæ accensione ducatos 1602. Porro S. C. sub formali disceptatione Dubii = *An & ad cujus favorem Apostolicum beneplacitum sit exequendum* = respondit = *Ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem, quæ fuit ut prælatio concederetur majori oblatori habita tamen ratione ad Recupidum primum emptorem quatenus voluisset augere oblationem ad dd. Ducatos* 1602. Causaque reproposita *stetit in Decisis ut in Neapolitana beneplaciti* 17. *Augusti*, & 28. *Septembris* 1697. *lib.* 47. *Decret. pagina* 377.; & 456., quin imo occasione dictæ secundæ propositionis, cum secundus emptor omnino negaret ullam prælationem primo oblatori nempe Recupido competere omnemque in casum ad novam licitationem esse procedendum, alterum

con

concordatum fuit Dubium in hæc verba = *An sit danda prælatio favore Recupidi, & pro qua summa, vel potius sit procedendum ad accensionem novæ candelæ* = cui S. C. respondit = *Esse locum prælationi favore Recupidi pro summa oblata per Tartaglionum* = ut ex *lib. Decret. loc. cit.* Idemque censuit Sacer hic Ordo in *Reatina* 28. *Septembris* 1726., & *nuperrime in Firmana Emphytheusis* 29, *Junii currentis anni*.

Videndum tamen an Bersani semper melior oblator censendus sit; quia tanquam divite censu donatus securiores faciat de executione promissæ solutionis Moniales, veluti Episcopus in supra relatis verbis testatur; Tanto autem credibilius quia de solutione agitur per intervalla temporum oblata & promissa, cujus proinde defectus in maximas coniiceret Monasterium angustias, quippe quod impar esset æri alieno dissolvendo quod pro acquisitionibus subrogatis, & subrogandis in istiusmodi bonorum locum contrahere necessario debuerunt & debebunt. Receptum autem in jure est etiam in paritate pretii meliorem eum esse oblatorem qui promptiorem tutioremque offert solutionem. Ad rem *Ulpianus* ex sententia *Pomponii in l.* 5. *§. Melior autem ff. De in diem addictione* = *Melior autem conditio adferri videtnr si pretio sit additum, sed etsi nihil pretio addatur, solutio tamen afferatur facilior vel maturior melior conditio adferri videtur* =

Dubia sunt.

I. *An sit stipulandum instrumentum venditionis bonorum ad formam deliberationis diei* 17. *Decembris* 1785., *seu potius sit stipulandum instrumentum favore Andreæ, & aliorum de Bersanis ad formam oblationis, & acceptationis diei* 18. *Januarii* 1786.

Et quatenus negativè ad primam partem.

II. *An sit locus prælationi in venditione eorumdem bonorum favore Pauli Murelli in casu &c.*

Ad I. Negativè ad primam partem, & quoad secundam provisum in sequenti, & amplius.

Ad II. Affirmativè, datis infra duos menses idoneis fidejussionibus per Episcopum approbandis, & amplius.

RO-

Seſſ. 21. cap. 4. de Reform.

ROMANA CANONICATUS = Narravit Summo Pontifici Sacerdos Franciſcus Donarelli vacaſſe Canonicatum a Clerico Euſtachio Salvi poſſeſſum in Collegiata Eccleſia S. Angeli in Foro Piſcium, quia hic intra praeſtitutum tempus dataſque a S. Congregatione inducias ad Sacros Ordines non aſcendit, litteraſque Apoſtolicas quibus illi idem Canonicatus conferebatur impetravit, quarum proinde exequutionem mihi de voto EE. VV. commiſſam hodie poſtulat. Contradicit Canonicus Euſtachius Salvi tum ut ſuam tueatur poſſeſſionem, tum ut ejus quam meditabatur renunciationis favore Sacerdotis Peroni approbationem, & gratiam a Sanctiſſimo D. N. obtinere poſſit; atque hinc concordatum fuit infraſcriptum Dubium quod hodie ab EE. VV. definiendum eſt.

Longa oratione proſequitur Canonicus Euſtachius Salvi, quae unanimi conſenſione Sacrorum Canonum interpretes docent de omnimoda neceſſitate judicialis ſententiae illamque praeeuntium admonitionum, ut quis ex juris diſpoſitione privari Canonicatu poſſit veluti poſt verba *Clement. ut ii qui de aetate & qualitate ordin.* videre eſt penes *Fagnan. in cap. cum in cunctis §. inferiora de elect. num.* 39. *Garzias de benef. p.* 3. *cap.* 4. *n.* 16. *Rota in Leodien. Beneficii* 27. *Junii* 1719. *§. fin. cor. Cerro, & in Auximana Canonicatus* 20. *Junii* 1763. *cor. Rmo Olivatio.* Pariter cum de Canonicatu agatur in Eccleſia Collegiata haud demonſtrari a ſuo contradictore obſervat quod illi aliunde adnexa fuiſſet obligatio ad Sacros Ordines aſcendendi ſub poena privationis Canonicatus; nam quae circumferuntur capitulares conſtitutiones, eae vel non promotum a participatione praebendae excludunt vel paenis ſubiiciunt a communi jure impoſitis, nullibi paenam privationis ipſo facto ſubeundae infligunt. Addit ulterius adnexionem hanc factam non fuiſſe ipſiſmet Canonicatibus aut praebendis, ſed perſonis dumtaxat Canonicorum quorum unum late ab altero diſtare pro effectu potiſſime incurrendarum paenarum oſtendit auctoritate *Fagnan. loc. cit. n.* 63., *Lotter. de Re benef. lib.* 1. *quaeſt.* 19. *n.* 8. *Rot. cor. Ratto deciſ.* 174. *n.* 7. *& cor. Creſcen. deciſ.* 254. *n.* 4. *& cor. S. mem. Clem. XIII. deciſ.* 49. *n.* 6. *& ſeqq. & cor. Rmo Olivatio dec.* 424. *n.* 5. *Tom.* 4. *& dec.* 447. *n.* 2.

Mox vero ad Litteras Apoſtolicas quibus ipſe fuit de Canonicatu proviſus Euſtachius Salvi deſcendit. Fatetur in his datam fuiſſe legem aſcendendi ad Sacros Ordines, ſed

eam

eam legem quam non voluntas Summi Pontificis, sed ignoratio veritatis extorsit, nullam inferre novam obligationem *ex vulgatis juribus*. Utut tamen quoad hæc omnia sentiendum sit, illud semper urgere quod quamvis Summus Pontifex eidem jusserit in dd. Apostolicis litteris *Sacros Ordines præfatos suscipere omnino tenearis*; *alioquin te deficiente &c. dicti Canonicatus & præbenda vacent eo ipso*. Nihilominus non pridem inducta vacatio Canonicatus censeri poterat quam judicium Ordinarii super hac ipsa contraventione accessisset. Consentire DD. quod quantacumque sit virtus, & efficacia verborum *vacet eo ipso*, nunquam tamen sententiæ necessitatem excludant. Omnino ad rem *Bellet. disquisit. Clerical. p.* 2. *de pœnis Cleric.* §. 49. *n.* 5. *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. canon. lib.* 4. *tit.* 8. *num.* 30. & 31., *Petra in Comment. ad Const.* 8. *Innoc. IV. Tom.* 2. *Pignattell. consult.* 88. *n.* 120. *t.* 9.

Eamque esse hujus æquissimæ traditionis causam; quia dictis concurrentibus clausulis licet necessaria non sit sententia ad pœnam privationis condemnans utpote quæ a lege ipsa aut decreto inflicta est, requiritur tamen sententia super facto contraventionis, sive ut alii dicunt sententia declaratoria ut in ipsissimis terminis decreti per eadem verba in Apostolicis litteris super provisione Canonicatus appositi definivit *Rota in Nuperr. decis.* 238. *n.* 3. *& seq. tom.* 6. & generaliter *Rota cor. Coccino decis.* 2285. *n.* 8. *& seqq.*, *& cor. Lancetta decis.* 666. *n.* 9. *tom.* 3., & *cor. Olivatio decis.* 529. *n.* 15. *t.* 5. Contraria sententia juxta nonnullorum DD. placitum vix in eum casum obtinente, quo Pontifex ulterius progrediendo hanc declaratoriæ sententiæ necessitatem auferat addendo = *absque alia declaratione* = ; quamquam ne tunc quidem gravior scribentium pars sublatum putet sententiæ declaratoriæ super facto contraventionis præcedentem concursum, sed dumtaxat derogatum necessitati sententiæ declaratoriæ super incursu pœnarum *Sanchez in Præcept. Decalog. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 19. & *seqq.*, *Bellet. disquisit. Clerical. de pœnis Cleric.* §. 54. *n.* 15. *Covarruv.* 4. *decret.* 2. *p. cap.* 6. § 8. *n.* 10.

Confirmat hactenus dicta Canonicus Salvi exemplo rei similiter ab hoc Amplissimo Ordine judicatæ in *Senogallien. Canonicatus* 23. *Novembris* 1754. Provisus fuerat a Summo Pontifice Baldassinius de Canonicatu in Cathedrali Senogalliensi. Appositum fuerat in Apostolicis litteris decretum = *Quod cum primum ad legitimam perve-*

ne-

nerit ætatem ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem se promoveri facere teneretur, alioquin dicti Canonicatus, & præbenda vacent. Baldaſſinius legi non paruit, neque intra datum tempus in Bullis, neque intra obtentas ab hac S. Congregatione prorogationes, adeoque Epiſcopus eo non citato decretum privationis edidit. Quæſtio ad hunc S. Ordinem delata fuit, & Dubio ſub quo S. Congregatio interogabatur = *An decretum ſuſtineatur in caſu &c.* = reſponſum fuit *Negative*, *& ad mentem ſcribatur Epiſcopo* - Pandita autem fuit S. C. mens in litteris ad Epiſcopum datis, quæ Sententiæ neceſſitatem ſemper evidentius confirmant = *Mens autem eſt quod A. T. præfigat dicto Canonico brevem terminum ad ſe promovendum ad Sac. Ordines, eoque elapſo quatenus Sacrum Subdiaconatus Ordinem non ſuſceperit contra eumdem procedat ad privationem Canonicatus PER SENTENTIAM TAMEN SERVATIS SERVANDIS* = *ut ex regeſt. litter. dicti anni lib.* 31.

Addit Canonicus Salvi ſe priusquam ætatem attingeret Subdiaconatui aptam, opportunas impetraſſe ab hac Sac. Congregatione atque a Sanctiſſimo D. N. prorogationes, quarum ultima in diem deſinebat 11. Martii currentis anni, ſi epocha Decreti S. Congregationis attendenda eſt, ſin autem dies executorialis decreti in diem 7. Maii; Verius autem eſſe quod non conſtito de contraria concedentis voluntate, tempus non a Signatura gratiæ ſed potius a demandata exequutione metiendum ſit teſtatur *Rebuff. in praxi Benef. de Brev. Apoſt. & aliis n.* 34. *Rota cor. Anſald. deciſ.* 203. *num.* 10.. Jam vero ſubſumit Canonicus Salvi ipſum antequam prorogationum terminus laberetur uſque a die 9. Martii & ſupplicem libellum pro Reſignatione in Dataria obtuliſſe, & ad Eminentiſſimum Diaconum pro obtinendo ejus aſſenſu ex urbanitate dumtaxat requiſito confugiſſe. Vertendum ergo ejus vitio non eſſe, nec pæna privationis mulctandum, quod dilato per Eminentiſſimum Diaconum reſponſo, alii conſumpti fuerint dies. Cum ſcitum ſit legitime impeditis tempus non currere ut in hac ipſa materia dixit *Rota in Nuper. deciſ.* 278. *n.* 3. *&* 4. *t.* 3. & *cor. Kaunitz decis.* 147. *num.* 11., & *cor. Tanar. dec.* 192. *n.* 6. *& in Giennen. Archipresbiteratus* 21. *Martii* 1757. §. 11. *cor. bo. me. Canilliac.*

Neque accuſari eum poſſe quod in ſupplici libello ut ſupra oblato Summum Pontificem exoraverit non pro exequendo ad Sacros Ordines aſcenſu, ſed pro facultate renunciandi Canonicatum favore certæ perſonæ; Has enim

re-

resignationes, etsi a nonnullis immerito exagitatas tanquam Sacris Canonibus, & Tridentinis Sanctionibus inimicas, strenue defendi a *Fagnan. in cap. Nisi essent n.* 14., *& seqq. de præbend. Paris de Resignat. lib.* 1. *quæst.* 17. *num.* 3., *& seqq. Garzia de benef. p.* 1. *cap.* 5. *num.* 41. *Riganti ad Regul. Cancell. tom.* 2. *Regul.* 24. §. 5. *n.* 155. atque omnium maxime a *Benedicto XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 10. §. 13.

Demum concludit ipsum antequam adventaret dies 11. Martii (supposita etiam per non admissam hypothesim opinione quod in ea die expiraret ultima prorogatio) ad SSmum D. N. per organum hujus Sacræ Congregationis confugisse, ut ab ejus clementia ulteriores obtineret inducias non dissimulato earumdem fine: nempe ut præparatam Canonicatus renunciationem exequi posset; Translatitium vero esse quod pendente ad Principem recursu tempora haud labuntur ad effectum præsertim incurrendarum pœnarum *Leg. si quis dolo malo* 63. *ff. de regul. jur. Lancellotti de attentat. part.* 1. *cap.* 12. *in præfato num.* 7. *Rota in Recent. dec.* 4. *num.* 3 *part.* 3., *& decis.* 416. *num.* 4. *part.* 4. *tom.* 1., *& cor. Ansaldo dec.* 203. *num.* 25.

Contra autem Sacerdos Donarelli præter ea quæ habet ad ostendendam Canonicatus vacationem usque a Sacris temporibus occurrentibus mense Septembris anni 1783., adeoque superlative demonstratam suæ narrationis veritatem, pressius insequitur Canonicum Salvi, cumque natalis illius dies esset vigesima Julii, dies vero captæ possessionis de hoc Canonicatu 26. ejusdem mensis, hinc primam sex mensium prorogationem ab hac Sac. Congregatione obtentam utcumque die 11. Septembris anni 1784: obsignatam, retrohendam esse ad diem 20. aut 26. Julii dicti anni, eumdemque in modum alios sex menses sub diem 15. Januarii 1785. datos, non a die 11. insequentis Martii metiendos esse uti exponebat Salvi sed a die 26. mensis Januarii, eademque semper retenta epocha computandos esse sex alios menses a Summi Pontificis clementia superadditos, ita ut ultimus prorogationum terminus in diem desinat 26, Januarii currentis anni. Ex natura enim ipsius rei esse ut prorogatio immediate cum termino expirante connectatur, alias de nova collatione non de meris res esset induciis *Rota cor. Priol. dec.* 83. *num.* 9., *& coram Crescen. dec.* 82. *num.* 6., *& in Potentina Canonicatus* 9. *Maii* 1746. §. 4. *coram Card. Bussio*, *& in Ostunen. Canonicatus* 15. *Januarii* 1750. §. 8. *coram Card. Molino*.

Cum itaque ipse die 8. Aprilis currentis anni gratiam sui favore signari obtinuerit, verum utique fuisse concludit quod ipse S. Pontifici in sua supplicatione enarravit vacare scilicet Canonicatum pridem ab Eustachio Salvi possessum. Neque aliter sentiendum etiamsi ultima prorogatio expirasset die 11. Martii currentis anni, cum neque tunc decreto paruerit Eustachius Salvi ad Sacros Ordines ascendendo. Neque obtrudi eidem posse praecedentis Sententiae declaratoriae defectum, quippe quae necessaria non est in vacatione in vim uti ajunt decreti cum clausula praeterea *eo ipso* vel *ipso jure* vel *ipso facto* uti docet *Rota cor. Ratto decis.* 208. *num.*5., & *seqq.*, & *cor. Caprara dec.*75. *num.*5., *&* 6., *& in Potentina Canonicatus* 9. *Maii* 1746. *§.* 7. *cor. Card. Bussio*, *& in confirmatoria diei* 14. *Maii* 1751. *§.* 5., *&* 6. *cor. Card. Elephantutio*, *& in Giennen. Archipresbiteratus* 5. *Januarii* 1762. *cor. Ratta*.

Si quae vero Doctorum aut Tribunalium placita in oppositam videntur ivisse sententiam, ea intelligenda esse cum de deiiciendo agitur a possessione sua actuali Canonicatus aut Beneficii detentore; quasi id sit favore possessionis datum ne sine aliquali judicio e re quam habet, & tenet inauditus possessor deturbetur, numquam vero ad eum casum traducenda in quo de impetrando aut conferendo eodem Canonicatu aut beneficio agatur cum in ipsa impetrationis, & collationis exequutione illa eadem fiat contra veterem detentorem de incursa caducitate disquisitio quae ad expellendum possessorem praemittenda fuisset *Clericat. de Benef. part.* 1. *discord.* 80. *num.* 10. *Rebuff. in praxi de Benef. tit. de non promotis intra annum n.*1., *Scarfantonius animad. ad Ceccoper. lib.*4. *tit.*8. *n.*40.

Omnemque quaestionem ipsummet sustulisse S. Pontificem cui narrata adamussim fuit lex Canonico Salvi indicta; expositum quod illi Salvius haud satisfecerat; nihil de praecedenti sententia ullo modo directe vel indirecte relatum; Si ergo nihilominus contulit Summus Pontifex, si praecedentis sententiae exhibitionem haud requisivit, utique quaestionem juris ipse facto suo definiisse videtur, atque hujus declaratoriae sententiae antecedentem concursum uti non necessarium exclusisse *Rebuff. in praxi tit. de non promotis intra annum num.*79. *Rota in Vicen. Canonicatus* 1. *Decembris* 1741. *§. Nihilque coram Card. Calcagnino*, *& in Tarraconen. Beneficii* 18. *Junii* 1762. *§.*8. *cor. Card. Paracciano*, *& in Leodien. Canonicatus* 17. *Februarii* 1777. *§.*9. *cor. Manellio*.

Post haec nihil Salvio prodesse ait supplicem libellum die 17.

Martii Datariæ porrectum ad effectum renunciandi favore certæ personæ; tum quia per ea tempora jam inducta erat saltem usque a die 11. dicti mensis Canonicatus vacatio, qua concurrente nec resignationi nec renunciationi amplius locus esse potest *Paris de resignat. benef. lib.* 3. *quæst.* 1. *num.* 21., & 22.; tum quia nihil ad eas preces rescriptum fuit, inspiciendum autem est non quid petitum sed quid fuit obtentum, præsertim deficiente Emi Diaconi assensu; tum demum quia a natura prorogationum abest ut eæ dentur ad resignandum beneficium; cum quinimmo in id sint dumtaxat institutæ ut quis capacitatem ejusdem retinendi si quam non habet, acquirat *Amyden. de stylo Datariæ cap.* 11. *de prorogat. num.* 1., *& per tot.* Neque aliud ferri judicium posse de supplici alio libello SSmo D. N. per organum hujus Sac. Congregationis porrecto in quo ulteriores postulabantur induciæ pro effectu obtinendæ a S. Pontifice facultatis Canonicatum renunciandi, tamquam iisdem de quibus supra exceptionibus obnoxio. Quibus positis non pati naturam gratiæ per Litteras Apostolicas obtentæ, & quæ celerem meretur uxequutionem, ut diutius retardetur *Rota in Ostunen. Canonicatus* 15. *Januarii* 1750. §. 2. *cor. Card. Molino*, *& in Giennen. Archipresbiteratus* 15. *Januarii* 1762. §. 3. *cor. Ratta*.

Perpensis utriusque partis momentis vestrum erit EE. PP. definire,

An sit inducta vacatio ita ut litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.

Negativè in omnibus.

ASSISIEN. CONGRUÆ. San. Mem. Sixtus Quartus, suppresso S. Nicolai de Campolongo Monasterio ordinis S. Benedicti, bona omnia, & Ecclesias Sacrario domus S. Francisci Assisii applicavit. Habent hinc Fratres minores conventuales illius conventus plures parochiales Ecclesias, quas inter Ecclesiam *S. Laurentii Castri Porsiani*, aliam *S. Petri Castri Paradisi*, aliamque *S. Joannis Baptistæ Podii Superioris*, ac quartam *Plebis S. Nicolai*; Easque tantùm præsens disputatio complectitur. *Sess. 7. cap. 7. & S §§ 24. cap. 13. de Reform.*

Suppressionem, & applicationem hujusmodi, aliasque gratias, ac privilegia confirmavit, ampliavitque sa. mem. Benedictus XIV. *in sua Constitutione* incipien *Fidelis Dominus anni* 1754. quæ est in *suo Bullario la* 32. *tom.* 4. Ibique referens, a multo tempore positum in more fuisse,

se, ut Parochiales Ecclesiae, quibus franciscanae familiae Sacerdotes antea praeficiebantur, regerentur a Sacerdotibus Saecularibus Vicariis Curatis amovibiliter deputatis, eandem consuetudinem probavit, servarique voluit. Ecclesiarum vero conservationem, & sacrarum Supellectilium manutensionem Custodi conventus, & Fratribus, ac Generali Ministro commendavit; prout in d. *Constitut.* §§. 16., & 17.

Harum Ecclesiarum Vicarii Curati congruas habent suas; a quo tamen tempore eas secundum praesentem taxam habuerint, nos latet. Scilicet in pecunia numerata quilibet habet scuta 36. Deinde *ille* Castri Porsiani scuta 4. in lignis, & scuta 5. in decimis frumenti; *Ille* Castri Paradisi scuta 3. in lignis, & scuta 4. 20. in decimis frumenti, ac obolos 50. in terrae fructibus; Sic *alter* Podii superioris scutum 1. 20. in lignis, & scutum 1. 40. in decimis; & *Alter* Plebis S. Nicolai scuta 3. 50. in lignis, & scuta 6 40. pariter in decimis.

Antiquiores Vicarii, sive propter majorem auri, argentique aestimationem, sive propter tempora benigniora, sive prae dimissionis timore, tacuerunt. Sed moderni Vicarii, saepè doluisse de congruae modicitate apud Conventus superiores, enarrant. Denique ad hanc S. Congregationem querelas detulerunt suas, quibus Episcopus, de more interrogatus, quamquam votum suum non aperiat, favere admodum videtur. Hinc duobus compraehensa dubiis Caussa proponitur.

Ad I. Quin repetere altiora opus sit, S. Pius V. praestandae Vicariis Curatis congruae modum imposuit, nimirum nec infra scuta 50., nec supra scuta 100., computatis omnibus, etiam incertis, emolumentis, & aliis obventionibus percipi solitis; ut *in Constitutione* 47. *ad exequendam anni* 1567. sive perpetui sint Vicarii, sive temporanei, & amovibiles; sive minorem congruam acceptarint, aut secus. *Monacell. in Formular. For. Eccles. tom.* 1. *pag.* 214. *num.* 15. *Pignatell. consult. Eccles.* 31. *num.* 1. *tom.* 3., & Sacra haec Congregatio in casu huic praesenti simillimo resolvit *in Eugubina diei* 12. *Januarii* 1732. impressa in *Thes. resol. tom.* 5. *part.* 245.

Eamque congruam, quae ad Vitae exhibitionem datur, debent habere ab oneribus immunem, neque ab eventu omninò dependentem; ita ut recenseantur quidem in eam emolumenta incerta, quae aliàs certa sunt, vel moralem habent certitudinem, non autem incerta ab Sacramentòrum, puta, administratione obvenientia, quae sunt eventualia, nullamque certitudinem praeseferunt;

Ve-

Veluti S. Pii constitutionem, distinguendo, latius explicat *Rota in Asculana Augumenti Congruæ* 28. *Aprilis* 1755. §. 7., *& per tot. coram clar. mem. Card. Eleephantutio, & in Confirmatoria* 10. *Maii* 1756. §. 4., *& seqq. cor. End., & in Cæsenaten. Augumenti Congruæ* 11. *Junii* 1762. §. 7., & *seqq. coram Eminentissimo D. Card. Cornelio*, & Sacra Congregatio *in Papien. diei* 6. *Martii* 1723. in qua rescriptum fuit = *faciendum esse augumentum usque ad scuta* 40. *monetæ Romanæ, non computatis incertis* = prout in *Thes. resol. tom.* 2. *pag.* 282., *&* 287.

Videndum propterea erit, num quæ dicta sunt, rei præsenti conveniant, & omnibus Vicariis oratoribus, quibus etsi par sit quantitativa præstatio in scut. 36., dispar tamen congrua est; Cum non eadem cuilibet lignorum præstatio, nec eædem decimæ obveniant. Sed Vicarii urgent, augumentum congruæ decernendum iis esse a tempore extrajudicialium petitionum, non tantum a die motæ litis. In mala enim fide Minores Conventuales ex tunc positos fuisse, inquiunt. Verum tamen observetur in primis oportet, neque probari, Vicariorum querelas ad competentes fratrum superiores delatas fuisse; Neque aliunde, quam ab ipsorum ore Vicariorum probationes descendere. Deinde regula est, prout malam fidem a die motæ litis exoriri, ita ab eo tempore fructus deberi. *Rota in Ferrarien. bonorum super restitutione in integrum* 6. *Maii* 1743. §. 8. *cor. cl. mem. Card. Molino, & in Ferrarien. Fideicommissi quoad fratres de Serenis super fructibus quoad Reservata* 13. *Junii* 1777. §. 2. *coram Emo D. Card. Herzan, &* ex auctoritate tum Sac. Congregat. Episcop. tum hujus Sac. Congregat. tradit *Ferrar. in Biblioth. verb. Congrua art.* 2. *num.* 42.

Ad II. Sicuti parochi, aliique animarum Curam exercentes, ad Missæ applicationem pro populo tenentur, ut ex Sacr. *Concil. Trident. Sess.* 23. *Cap.* 1., & quidem ratione officii, non ratione redituum; ita fructuum tenuitas non eos redimit ab hujusmodi applicationis onere *Piringh. in Jus Canon. lib.* 3. *tit.* 23. *num.* 19. *Barbos. de Offic., & potest. paroch. part.* 1. *Cap.* 11. *num.* 11. *Fagnan. in Decretal. cap. Fraternitatem de Sepultur. num.* 93, *&* 95. *Monacell. in Supplemen. ad tom.* 7. *num.* 121. Attamen sa. mem. Benedictus XIV. *in Enciclyca cum semper oblatas in suo Bullar. tom.* 1. *la* 103. §. 10. arbitrio Episcoporum commisit, ut pro temporum circumstantiis, proque onere applicandarum pro populo Missarum, possent congruam Vicariis perpetuis, aut temporaneis decerne-

re,

re, sive cum congrua iisdem non fuisset integrè attributa, sive etiam si fuisset juxta S. Pii constitutionem assignata.

Hinc ipso sospite Pontifice, *Rota in dicta Asculana Augumenti Congruæ* 28. *Aprilis* 1755. §.12., *& seqq. coram clar. mem. Card. Eleephantut.*, etsi novum absolute non esse intellexisset, applicationis Missarum onus, antea indefinitum, novum tamen quodammodo esse declaravit, veluti a Pontifice ad certos dies definitum; & ideo ad instar cæterorum onerum a Congruæ valore subducendum esse, opinata est. Eamque Sententiam tenuit *in Cæsenaten. augumenti Congruæ* 11. *Junii* 1762. §. 5., *& seq. cor. Emo D. Card. Cornelio*.

Videndum itaque erit, num deceat ad congruæ augumentum descendere, quamquam de reditu bonorum non constet, quæ Sixtus IV. applicavit; Numque ullæ circumstantiæ concurrant, ex quibus in augumento decernendo, ratio quoque Missarum pro populo applicandarum habenda sit.

Placeat EE. VV., de Jure respondere dubiis, quæ proponuntur.

I. *An, & in qua summa, & a quo tempore sit locus augumento Congruæ.*

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore præstanda sit Eleemosina Missarum pro populo in Casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Seff. 25. cap. 4. de Reform.

PISAUREN. CAPPELLANIÆ. In supremo elogio anni 1758. Ubaldus Conversi hæredem instituit Ecclesiam S. Nicolai Castri Elegabitiarum, ejusque Ecclesiæ Parochum hæreditatis administratorem constituit, ea cum lege ut quotidianum Sacrificium in dicta Ecclesia per Sacerdotem ab eo eligendum offerretur cum eleemosina juliorum duorum pro unoquoque, utque de triennio in triennium vel confirmaretur electus, vel alius subrogaretur, ita tamen ut si quando inter descendentes a se vel uxore vel sororibus suis idoneus adesset Sacerdos, is confestim remoto quocumque alio ad hujus legati implementum præferretur, revocata quacumque alia anteriori dispositione, & præsertim alio testamento suo diei 20. Novembris 1752.

De triennio in triennium Rector dictæ Ecclesiæ Sacerdotem ut supra elegit. Anno 1782. nominatus fuit Sacerdos Dominicus Terenzi, qui antequam suum triennium laberetur Sac. hanc Congregationem exoravit anno 1785.

ut

ut sibi perpetuo hanc Cappellaniam deberi declararet. Inter moras litterarum a Sac. Congregatione ad Episcopum datarum, expectatæque ab eo relationis lapsum est triennium, & Ecclesiæ Rector in novum Cappellanum Sacerdotem Aloysium Terenzi nominavit qui captæ ab eo possessionis sub diem 12 Junii 1786. instrumentum exhibet. Restitit Dominicus Terenzi prior Cappellanus inutilem irritamqne putans tum nominationem tum possessionis captionem; Proviso igitur ne interim sacrificiorum oblatio intermitteretur duo infrascripta Dubia universæ quæstionis summam complectentia definienda proponuntur.

Prælativæ vocationi favet ea verisimilis voluntas, quæ ex Canonica æquitate in quolibet fundatore præsumitur erga illos qui cum eodem necessitudine conjuncti sunt. Sæpe huic æquitati auscultarunt Tribunalia ut de *Sacra Rota* testis est *dec.* 98. *cor. Durano*, *&* *dec.* 227. *tom.* 2. *cor. Clem. XIII.*, *& in Perusina subsidii dotalis* 2. *Maii* 1704. *cor. Card. Scotto*; *& de Sac. hac Congregatione* resolutio *in Panormitana subsidiorum dotalium* 15. *Januarii*, *&* 20. *Augusti* 1735. *lib.* 85. *Decret. pag.* 2., *&* 321., *& in Romana seu Sabinen. subsidiorum dotalium* 27. *Martii* 1762. præsertim quando nulli certo personarum generi alligata est testatoris benignitas ita ut nemini jus sit quæsitum, quod animadvertit *antedicta decisio cor. Sa. Me. Clem. XIII. num.* 2., *&* 7.

Addit autem Dominicus adstipulari sibi expressam quoque testaris voluntatem, quo loco dixit, remoto statim quocumque alio possessore admittendum esse ad Cappellaniam eum qui esset *discendente da esso Sig. Testatore e dalla sua moglie e dalle predette due sue sorelle*.

Licet enim ipse haud descendat ab ullo ex indicatis stipitibus, sitque solum per aliam collateralem lineam testatori conjunctus, tamen ex errore Notarii insertum fuisse vocabulum illud *discendente* loco verbi *attinente* aut *consanguineo*, cum testator ejusque uxor ea essent ætate ut nullos expectare amplius descendentes solosque habere consanguineos possent, aut in aliud simile æquivocum incidisse eumdem Notarium cum stipites prædilectorum descendentium nuncupavit, quod ex anteriori emergit ejusdem disponentis testamento in quo invitari leguntur *li discendenti dei parenti di detto testatore, e sua moglie*. Familiare autem esse quod cum de interpretanda agitur defuncti voluntate etiam a casso irritoque testamento peti declaratio possit *Rota cor. Ludovis. decis.* 76. *num* 3., *& cor.*

& cor. Molines dec. 162. num. 51., & *in Recen. decis. 68. num. 2. versic. ista voluntas part. 2.*

Contra autem Aloysius nulli locum esse ait æquitati nullique interpretationi quando expressa, & clara est testatoris voluntas. Rectori Ecclesiæ omnibusque Elegabitiarum Sacerdotibus quæsitum jus esse ex aperta testamenti lege = *volendo ed espressamente commandando che detto Sacerdote, (secolare del Territorio delle Gabiccie,) sia eletto dal suddetto suo Signor Amminlstratore &c. debba durare per tre anni con la facoltà passati li detti trè anni di eleggerne un altro o quello confermare* = Prælationem vero diserte coercitam fuisse quoad *discendenti da esso testatore e dalla sua moglie o dalle predette sue Sorelle*. Extra igitur hanc classem extendi eam prærogativam non posse *Cotter. de re benef. lib. 2. quæst. 51. num. 37.*, *Rota cor. Lancetta dec. 569. num. 7. tom. 2.*, & *coram Crescent. dec. 475. num. 2.*, & *in Placentina Primogenituræ* 26. *Junii* 1752. *§. 6. cor. clar. mem. Card. Elephantutio*.

Hinc corrumpendam non esse dispositionem obtrudendumque Notarii errorem aut æquivocum, minusque etiam ad obliteratum testamentum recurrendum esse; quia utcumque hæc aliquando non inutiliter dici, & implorari queant quando scilicet obscura est, & quodammodo latet testatoris voluntas, piaculum tamen esset nulla cogente necessitate incongruis hujusmodi diffugiis voluntatem disponentis intervertere, ut *post Rotam cor. Molines dec.* 1080. *num.* 25. *cor. Falconer. dec.* 10. *num.* 1. *de testam.* prolequitur *dicta Placentina Primogenituræ coram Card. Elephantutio* §. 17. Præsertim quia, quidquid sit de se ipso, & uxore, sperare certe a suis Sororibus descendentes poterat testator, & quia idem ille Notarius qui testamentum excepit, hodie deponit ad nullos alios consanguineos respexisse testatorem, immo monitum super hoc a Religioso viro, ei non auscultasse. Quibus perpensis Episcopus suam relationem claudens ait *Parochi atque reliquorum ex aperta testatoris voluntate interesse habentium reluctantiam non irrationabilem neque ideo improbandam existimarem* =

Consectaria definitioni primi Dubii decisio secundi esse videtur. De utroque igitur placeat EE. VV. jus dicere.

I. *An constet de prælativa vocatione Dominici Terenzi ad Cappellaniam, seu Officiaturam de qua agitur, ita ut illius favore sit servanda nominatio Aloysii Terenzi in casu &c.*

II. *An sit circumscribenda possessio capta per Aloysium Terenzi in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 2. Decembris 1786. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione definiri haud potuerunt duæ, quæ ultimo loco referebantur Cauſæ. Placeat itaque hodie EE. VV. ſuper illis, reliquiſque ſeptem ſapientiſſimum proferre judicium.

ASSISIEN. CONGRUÆ. *Seſs. 7. cap. 7. & Seſs 24. cap. 13. de Reform.*

I. *An, & in qua ſumma, & a quo tempore ſit locus augumento Congruæ in caſu &c.*

II. *An, & in qua ſumma, & a quo tempore præſtanda ſit eleemoſina Miſſarum pro populo in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt proximam.

PISAUREN. CAPPELLANIÆ. *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An conſtet de prælativa vocatione Dominici Terenzi ad Cappellaniam, ſeu Officiaturam de qua agitur, ita ut illius favore ſit declaranda perpetuitas ſeu potius ſit ſervanda nominatio Aloyſii Terenzi in caſu &c.*

II. *An ſit circumſcribenda poſſeſſio capta per Aloyſium Terenzi in caſu &c.*

Ad I. Negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam, & amplius.

Ad II. Negativè, & amplius.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

ROMANA MATRIMONII. In Congregatione diei 19. Augusti labentis anni EE. VV. examini supposita hæc Causa fuit. Duo erant quæstionis capita. Unum = *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* = Alterum = *Et quatenus negative = An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu &c.* = Quibus datum est responsum = *esse locum experimento cohabitationis triennalis* = Redit hodie eadem quæstio, & Dubia proponuntur.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.*

Et quatenus affirmative ad primam partem negative ad secundam

II. *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.*

Et quatenus negative.

III. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super Matrimonio rato, & non consumato.*

Prævio recessu a decisis consulendum Sanctissimo pro dispensatione.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

MONTIS FALISCI JUBILATIONIS. Post servitium quadraginta unius & ultra annorum, indultum, quod vocant jubilationis, postulat Sacerdos Simeon Perla Ecclesiæ Cathedralis Montis Falisci Cappellanus. Requisitus pro informatione, & voto Emus Episcopus audito ut moris est Capitulo, hoc laudabilis, & continui servitii testimonium dare recusavit, quia inspectis punctaturarum libris animadvertit eum aliquo anno mulctatum fuisse punctaturis usque ad scut. 5., alio usque ad scut. 6., alio in scut. 8., & alio demum in scut. 9.; cumque integra unius diei punctatura obulos sex non prætergrediatur, infert non videri sibi, quod de continuo servitio per Oratorem præstito testari queat.

Contra Orator Perla se uno anno abfuisse docet, ut causam cujusdam Beneficii coram Rev. Fabrica tueretur, idque primum annuente Episcopo præstitisse, mox alias unius mensis inducias concedente Sac. hac Congregatione. Aliis vero tribus annis Episcopum permisisse, ut

Ro-

Romae moraretur pro suis expediendis negotiis, ostendit per consuetas pagellas a Tribunali Emi Vicarii Sacerdotibus celebrare volentibus expediri solitas, in quibus eae dantur *attentis Commendatitiis Ordinarii tui* = Exhibet etiam fides Sacerdotis Sacrario, alteriusque Sacris caeremoniis praefecti, qui Oratorem saepe pro aliis supplevisse testantur; nec non testimonium quoque Parochorum Montis Falisci, qui iu haec verba loquuntur = *Attestiamo come nelle passate influenze è stata così frequente, sollecita, e caritatevole l'assistenza di giorno e di notte prestata agl'infermi da questo Signor D. Simone Perla, che per soccorrere ai medesimi ha dovuto anche tralasciare la dilui personale assistenza al Choro e sua Chiesa* =.

Emus Episcopus postquam ea, quae hinc inde afferebantur suae ad S. C. Epistolae inseruit, a proferenda abstinet Sententia sua.

Pervulgatum est indultum jubilationis Juri Canonico ignotum *Navar. consil.* 12. *lib.* 3. *de Cleric. non residen.*, tum demum irrepere caepisse cum Greg. XIII. hujus S. C. accedente consilio haud improbandas edixit eorum Capitulorum consuetudines, aut constitutiones, quae illud invexerant *Garzias de benef. part.* 3. *Cap.* 2. §. 1. *num.* 344. Agnita deinde fuit hujus indulgentiae honestas; sumptoque a Levitis, & a saeculari militia exemplo, congruere visum est, ut deterior non esset conditio eorum, qui Ecclesiasticae Militiae, & novi testamenti ministerio adscripti sunt. Voluit tamen Ecclesia, ut hujus indulgentiae ii tantum participes essent, qui per 40. annos *continuo*, *& cum laude* inservissent; eosque propterea exclusit qui utcumque licentiam non residendi haberent, Choro tamen saltem per fictionem non intererant. Hinc absentes causa studiorum probante etiam hac Sac. Congregatione, quia non habentur pro praesentibus in Choro suntque adeo a distributionibus exclusi ad calculum quadragenarii *continui, & laudabilis* servitii hoc tempus conferre nequeunt, ut *in Dubiis Jubilationum resolut.* 17. *Decembris* 1718. Secus quoad absentes causa infirmitatis, qui habentur pro interessentibus distributionesque percipiunt, ut *in iisdem Dubiis*. Immo adeo enixa est Ecclesiae voluntas, quod Canonici Choro intersint, ut olim pro habendis infirmis tamquam ficte praesentibus, distributionumque participibus S. C. requirere consueverunt ut, cum sani erant, soliti essent Choro interesse, ut *in Mantuana 6. Februarii* 1627. *lib.* 13. *Decret. pag.* 197. = *Distributiones quotidianas ita demum aegroto deberi si alias* Ec-

Ecclesiæ solitus erat inservire = , & *in Reatina* 5. *Martii* 1667. *lib.* 25. *Decret. pag.* 345.

Jam vero uno ex quatuor annis, quibus abfuit Orator ulteriores inducias concedente hac S. C. cum eas non aliter meruerit, quam sub consueta clausula *amissis*, per se patet, & ex præmissis sequitur eum habitum non fuisse pro interessente, adeoque hoc tempus a tempore quadragenarii servitii delendum esse, quod propterea continuum vocari non potest. Idem multo securius ferendum est judicium de tribus aliis annis quibus injussu Sac. Congregationis abfuit, & cum solo Episcopi discessu, quem in Secretaria Emi Vicarii exhibuit, ut licentiam celebrandi obtinere posset. Nec reliqua pietatis opera, quæ per id temporis eum exercuisse perhibent quatuor Rectores Animarum Montis Falisci, apta sunt eum repræsentare tamquam interessentem in Choro, quemadmodum nec Canonicus, qui fidelium Confessiones ex pietate excipit, nec qui devotas suscipit peregrinationes, utcumque laudatissima opera exerceant, pro præsentibus in Choro habentur, ut quoad primos *monet Passarin. in Cap. consuetudinem reg.* 10. *num.* 163. *de Cleric. non residen. in sexto*, & quoad secundos dixit Sac. Cong. *in Ulisyponen.* 20. *Decembris* 1631. *lib.* 14 *Decr. pag.* 553.

Considerare alia ex parte oportet, an quidpiam Oratori prosit ampliatum ab eo servitium ad annos quadraginta, & unum cum dimidio; & an permissa sit distributio omissi per Oratorem servitii dictis annis in integrum sui servitii tempus, quo posito absentia a Choro ad dies 11. in singulos annos rediret. *In Signina Jubilationis relat. die* 4. *Februarii, & resoluta* 11. *Martii* 1786. de beneficiato agebatur, qui per quadraginta tres annos inservierat, & diebus fere quatuorcentum a servitio defecerat ita ut ejus negligentia in novem, aut decem diebus in annos singulos supputari posset, nihilominus sive quia modica visa fuerat hæc absentia, sive quia satis emendata per prorogatum servitium, Dubio quo quærebatur = *an esset concedenda jubilatio* = datum fuit responsum = *Affirmative arbitrio Episcopi cum solitis clausulis* = , & in *Hortana* proposita per Summaria precum *die* 19. *Augusti* 1786., in qua de Canonico res erat, qui per quadraginta quinque annos inservierat, sed tamen per insignia intervalla annos duos cum dimidio attingentia abfuerat, tum ut rei suæ familiari, tum ut litibus quibus in Curia vexabatur attenderet, nihilominus EE. VV. redemptam quodammodo negligentiam arbitratæ a longiori illo servitio rescribi

man-

mandarunt = *Attentis peculiaribus circumſtantiis pro gratia cum ſolitis clauſulis* =.

Præ oculis habenda ex una parte ſunt verba Capituli ab Emo Epiſcopo juſſi cauſas pandere, cur teſtimonium edere detrectaret præſtiti a Sacerdote Perla continui, & laudabilis quadragenarii ſervitii. De quatuor annis loqui videtur, ſed non injuria credi poſſet eum de longiori termino grandiorique negligentia teſtari; ambiguumque eſt an ſolos collegerit eodem anno conjunctas abſentias, breviores autem, & diſtinctas ultro omiſerit = *Si è oſſervato, che il Sacerdote Perla IN QUALCHE' anno è ſtato puntato ſino alla ſomma di ſcudi cinque, in altro anno ſino a ſcudi ſei, e vi ſono altri due anni in uno delli quali le di lui puntature aſceſero a ſcudi otto, e nell' altro a ſcudi nove eſſendo la puntatura di un intiero giorno la miſerabile quantità di baj. ſei* =.

Parte vero ex alia conſiderandum putat Orator poſteriorem capitularem actum diei 23. Julii 1786. in quo = *Se mai valeſſe a muovere la S. Congr. a conſolare il poſtulante &c. la diſpoſizione d'animo che in di lui pro moſtrar poſſono li Signori Capitolari* = hunc unanimi ſuffragio ſignificandum eſſe decreverunt.

Definiant EE. VV.

An ſit concedendum indultum jubilationis in caſu &c.

Affirmativè ex gratia ſpeciali, attentis circumſtantiis arbitrio Eminentiſſimi Epiſcopi.

NULLIUS, SEU FARFEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Per ultimum ſuæ voluntatis elogium anno 1646. Virgilius Antonini inter cætera ita legavit = *Item mi truovo qui in Roma un cenſo di ſcudi 1600. con Maſtro Antonio Vangeliſta Fornaro al Ponte quattro Capi che mi riſponde ogn'anno ſcudi 120. a ragione di ſcudi 7 ½ per 100. e come quello che ſono ſtato ſempre deſideroſo di giovare alla mia patria del Poggio Mirteto dove ſono nato ed allevato mi ſono riſoluto di dare la Dote a due Zitelle povere di detto Luogo. Ma perchè detto mio cenſuario ſarà facilmente per reſtituire detto cenſo in tutto o in parte nè ſi avrebbe di quel frutto che ſi ritruova adeſſo, ma metterli in Luoghi di Monti o altrimenti ſicuri, lì coſtituiſco la Dote di ſcudi 25. per ciaſcuna &c.* = Nominationem Puellarum Hiacynto Tozzi, de quo ſtatim, reliquit = *e doppo la morte di detto mio erede debba aver l'elezzione chi da lui ſarà nominato, e così ſucceſſivamente in perpetuo* =.

Seſs. 25. cap. 4. de Reform.

Hia-

Hiacyntum Tozzi Legatarium suæ Bibliothecæ valoris scut. 100., nec non hæredem scut. 400. nominavit: præstari Legata; solvi æs alienum, & reliquum in pia opera ab eodem Hiacyntho una cum Procuratore Generali, & Rectore S. Mariæ in Porticu Campitelli distribui jussit.

Inventarium, seu verius bonorum descriptionem idem Hiacynthus 20. Januarii dicti anni 1646. confecit. Recensuit inter cætera, & antedictum Censum scut. 1600. sub infrascripta tamen declaratione = *Item un censo di scudi 1600. con Mastro Antonio Evangelista; quali beni esso erede dice non averne altra notizia che quella ha preso dalla lettura del testamento della bon mem. del Signor Virgilio; però si protesta che non intende pregiudicare in alcun modo avendoli notati nel presente Inventario* =.

Ad annum usque 1696. dotium de quibus supra Legatum fideliter impletum fuit sive censuales exegerit usuras Hiacyntus, sive sortem ipsam census condixerit, sive spe illectus fuerit, & fructus, & sortem assequendi, quod ultimum affirmant Oratores ab eo causam habentes. A dicto anno hæres dicti Hiacynthi declarationem inseruit = *solvendi propriis pecuniis animo se revalendi contra quos de jure* =. Licet vero ad hæc usque tempora solutæ fuerint dotes, tamen fratres Bentivoli mediati hæredes dicti Hiacynthi duo postulant *primum* declarari nullam adesse obbligationem dictum legatum dotium præstandi quia numquam adfuerit in hæreditate fundus pro illius implemento designatus: *alterum* quatenus etiam id non satis demonstratum videretur consilium SSmo dari pro applicatione dd. subsidiorum favore eorumdem attenta ipsorum paupertate. Favet Oratoribus Votum bon. mem. Archiepiscopi Contessini tunc Abbatiæ Farfensis Administratoris.

Cum hodie instantia in Folio expendenda sit sub infrascriptis Dubiis *primum*, quod attinet Oratores taxativam ostendunt hujus Legati naturam tamquam a designatione certi fundi incipientis, mox vero dotium in certa quantitate præstationem annuam præseferentis *juxta theoricam Felini in Cap. super litteris de Rescriptis*, quam exornat *de Vecchis in suo voto impresso apud Crispin. in visit. pastor. part. 2. §. 18. num. 6.*, *& sequuta semper est S. Congregatio*.

Defecisse autem usque ab initio fundum ex modo colligunt, quo testator censum hunc enunciavit nullo scilicet expresso Instrumento, nullo Prædio designato super quo Census impositus esset; ex methodo quoque ab hærede adhibita tunc cum illum in suo Inventario, seu descriptione

re-

retulit = *dice non averne altra notizia , che quella ha preso dalla lettura del testamento* = ; Ex Sententia Rev. Fabbricæ , qua anno 1692. definitum fuit impleta fuisse omnia Pia Legata per quondam Virgilium Antonini relicta ; Ex protestatione demum cum qua anno 1695. hasce dotes solvi cæptum est .

Sed quantum momentosa videri posset Sententia illa Tribunalis Rev. Fabricæ si ex illius actis appareret ostensam tunc fuisse hujusce Census usque ab Initio deficientiam , tantum infirma e converso est cum non appareat demonstratum id ea occasione fuisse , fierique immo possit, quod docuerint hæredes se dotium legatum implevisse,adeoque occasio defecerit cur Rev. Fabrica super census veritate inquirere aut sollicita esse debuerit . Cæteræ verò conjecturæ e conspectu prælertim trigenariæ observantiæ , quæ solutionem dotium cum antedicta protestatione antecessit , & quasi alterius centenariæ , quæ protestationes subsequuta est , cum de pia insuper causa agatur haud satis esse videntur , ut pro deletione legati sentiendum sit , ut nuper in simili edixit S. C. *in Romana* 20. *Maii currentis anni* .

Quo vero ad secundum infrascriptum Dubium quatenus primo EE. VV. affirmative respondeant non absurda videretur instantia pro Consilio Sanctitati suæ dando , ut hæc subsidia dotalia applicare dignetur in alimoniam miserrimæ Familiæ Bentivogli . Per Sacros enim Canones conceditur patrono egeno alimenta ex reditibus piis percipere *Cap. Nobis* 25. *de jure patr.* , & *Canon. contra* 29. *quæst.* 7. *caus.* 16. Ac non solum pro se , sed etiam pro Uxore , liberis ac familia *can. Quicumque* 30. *caus.* 16. *quæst.* 7. *Lambert. de jurepatr. lib.* 3. *quæst.* 3. *artic.*6.*n.*3. *Barbos. in cit. Cap. Nobis* , *Panormit. in Cap. præterea num.* 11. *Pitton. de controv. Patron. allegat.* 44. *num.* 1. . Neque pro Testatoris tantum consanguineis jus hoc scriptum est , sed pro extraneis quoque patronis , ut discusso ad satietatem articulo dixit *Rota in Alatrina Jurispatronatus* 7. *Decembris* 1705. *coram Mellino* , & *in Salernitana Alimentorum* 20. *Junii* 1712. *coram Scotto impress. post Pitton. de controv. Patron. allegat.* 44. *num.* 13.

Non est autem ambigendum quin concurrant in Oratoribus & Patroni qualitas , & paupertas . De patroni qualitate superius factus est sermo . Constat non minus de paupertate , ac rei domesticæ angustia , *ut exterorum pietate, ac urbanitate sæpius indigeant* , *ut dies agant integros non jejuni* = Uti Archipresbyter , Canonici , ac Magistratus Podii Mirteti uno ore testantur . Solum pro omnibus fa-

tis

tis sit laudati Archiepiscopi bon. mem. Contessini testimonium = *de Oratoris vero paupertate nil dubium; nam quamvis Familia Bentivogli sit civilis generis nata, & in præteritum decenter, & commode vixerit, tamen hodierna adeo indigens est, & pauper, ut nisi patruus Archipresbiter illi succurreret, non haberet unde viveret; Insuper quam sæpe nonnullorum Piorum eleemosinis fuit adjuta.* Non semel in simillimis circumstantiis indigentibus Patronis alimenta indulsit Sac. hæc Congregatio præsertim *in Romana Subsidiorum Dotalium* 30. *Martii* 1748. confirmata *die* 3. *Augusti ejusdem anni*, & *in Urbinaten.*, *seu Ariminen.* 11. *Junii* 1774. Eo vel magis. quod agitur de parva summa scut. 50., quibus in duas bipartitis familias Josephi nempe Oratoris, ac Joannis fratris ejus unicuique scuta vigintiquinque obveuient.

Quibus perpensis definient EE. VV.

I. *An constet de Reditibus a Virgilio Antonini pro subsidiis dotalibus destinatis.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & ad cujus favorem, & pro qua summa sit consulendum SSmo pro applicatione eorumdem in casu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Affirmativè favore Josephi, & Joannis pro æquali portione ad decennium.

*Sess.*24.*cap.*12. *de Reform.*

SENOGALLIEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Canonicis Collegiatæ Oppidi Belvederii Senogalliensis Diæcesis mos erat unicam canendi festis diebus Missam Conventualem, & absque cantu in ferialibus celebrandi, quamvis juxta Missalis Rubricam plures Missæ Conventuales celebrari debuissent. Irregularem hanc agendi rationem comperiit, nec probare potuit Lateranensis Visitator; Collegiata enim Ecclesia in solo Lateranensi fundata est; decrevit idcirco, tot a Canonicis celebrari oportere Conventuales Missas, quot celebrandas Rubrica docet.

D Decreto Visitatoris Canonici haud conqueruntur, sed hanc Sacram Congregationem dimisse precantur, circumstantias, a quibus ipsi premuntur, expendere, deindeque gratiosè indulgere, ut liceat unicam tantum Missam Conventualem absque cantu celebrare; utque huic possint facere satis cum Missæ celebratione non correspondentis divino ejusdem diei Officio, veluti cum Missa Votiva Spiritus Sancti, quam quinta qualibet feria celebrare tenentur, sive cum Votiva B. Virginis in Sabbatho, sive pro Defunctis, si occasio dederit.

Ut

Ut ergo postulationi suæ favorem concilient, exponunt, Collegiatam a novem dumtaxat constitui modòCanonicis, quia decimi Canonicatus collatio ex Sacræ hujus Congregationis decreto ad vicennium suspensa fuit, ut ex illius reditibus reparari Ecclesia posset. Sed ex ejusdem decreti auctoritate proxima est alterius Canonicatus suspensio vicennalis, quem vir grandævus, annum octogesimum tertium agens, obtinet. Præterea alius Canonicus annorum 73. jubilationis indulto fruitur, & alius adest annorum 85., qui ætate, & ægra valetudine afficitur. Sex propterea cum numerari verè possint, qui choro inserviunt cum alternativa hebdomadali, sæpissimè fit, divinis officiis in choro tres tantum adesse. His accedere, inquiunt, infelicem Ecclesiæ statum, sive in fenestris, sive in tecto, sive in ipsis muris, qui rimas undique ostendunt. Ita ut æstivo tempore grave chori servitium sit, in hyeme gravissimum.

De more rogatus Sententiam suam dicere Eminentissimus D. Cardinalis Rezzonico Lateranensis Basilicæ Archipresbyter, sic habet = *Hinc quoad primum, benè perpensis oratorum rationibus, potissimumque parvo eorum numero, dispensationem plures celebrandi Missas diebus a rubrica præscriptis ad decennium concedi posse censeo; eo tamen excepto casu, quo uno die præter conventualem, ad alias Missas tenerentur provenientes a piarum personarum legatis, ex quibus aliqua emolumenta perciperent. Quoad cantum in celebranda Missa attinet, facile dispensari ab illo posse concederem, dummodo non videretur opportunius consilium, si Canonicus, vel alter capituli Sacerdos pro Missæ Conventualis satisfactione missam caneret, Diacono, & Subdiacono non assistentibus, uti Romæ in nonnullis fieri solet collegiatis. E contra vero Missas conventuales in diebus festis, & illas, quæ a legatis proveniunt benefactorum, qui assistentiam Diaconi, & Subdiaconi optasse præsumuntur, ab his duobus una cum celebrante solemniter canendas esse putarem. Ad tertium denique haud facile convenirem, ut missæ votivæ, & defunctorum, utpote quæ ex privilegio tantum celebrari possunt, substituantur conventualibus: eo quod ad istas Canonici Ecclesiasticæ institutionis vigore tenentur* =

In Catedralibus, & Collegiatis Ecclesiis missa conventualis quotidiè celebranda, & pro benefactoribus in genere applicanda est; immo juxta rubricam generalem aliquibus anni temporibus secunda quoque, & tertia Missa accedit *Gavant. Thesaur. Sacr. Rit. part. 1. tit.* 3. 4. & 5.

Fagnan. in cap. cum creatura lib. 3. decretal. de celebr. M. §. per tot. & præsertim ex num. 21. S. M. Benedictus XIV. in Encyclica Cum semper oblatas *anni* 1754 §. *Profectò & seqq.* . & Sacra Congregatio *in Accerrarum diei* 23. *Augusti* 1727. *ad dub. decimum . in Balneoregien. Missæ parochialis , & Conventualis diei* 8. *Julii* 1713. *ad* 1. & 3. *dubium* .

Inspecta tamen redituum tenuitate ut in casu [cum quatuor exceptis Canonicatibus qui ad sc. 100. efferuntur, reliqui ad sc. 40. 35. & 30. pertingant) non raro S. hæc Congregatio applicationem Missæ conventualis ad solos dies festos de præcepto moderata est ut nupere *in Placentina* 30. *Julii anni* 1785. *& in Setina Chori & missæ conventualis* 21. *Januarii currentis anni* . Multo ergo magis hanc ipsam ab Oratoribus assertam tenuitatem cum paucitate Canonicorum conjunctam, impulisse credendum est Eminentissimum Archipresbyterum ut pro suspensione ad decennium aliarum ex rubrica Missarum opinaretur : at apponenda videtur exceptio , quam ipsemet Eminentissimus Archipresbyter apposuit .

Num vero Missæ conventuales absque cantu celebrari possint , pendere resolutio videtur a sufficientia , vel secus Ministrorum . Nisi etenim Ecclesia necessarios habeat Ministros, exerceri nequeunt functiones , quæ plurium operam personarum exquirunt . Sic in re affini observat *Pignatell. consult.* 191. *num*, 1. *tom.* 4. ubi quæstione proposita , utrum in Ecclesiá Cathedrali vel Collegiata , in quibus modicus numerus Canonicorum , & Præsbyterorum est , tolerari possit consuetudo cantandi missam conventualem festis diebus dumtaxat , sic inquit = *Puto esse tolerandam . Ad inducendam enim obligationem missæ conventualis non sufficit , quod Ecclesia sit Cathedralis , vel Collegiata , sed insuper requiritur , quod habeat sufficientem numerum Ministrorum . Quis autem sit sufficiens numerus , authores non docent . At ego illum esse censeo , qui sufficit pro choro , & pro celebratione Missæ . Unde cum pro Missa requirantur saltem septem personæ , nimirum celebrans , Diaconus , & Subdiaconus , duo Ceroferarii , thuriferarius , & acholytus , & pro choro saltem quatuor , quia debet esse cum cantu , sequitur , quod saltem undecim inservientes sint necessarii , quamquam idem Clericus supplere possit pro acholyto , & thuriferario* =

Proptereaque quoties ministri desint , veluti in re præsenti, in qua chori , & Ecclesiæ servitio tres tantum Canonici sæpe adsunt, cani posse Missam conventualem a celebrante

te cum unico Ministro canente Epistolam, visum fuit *Suarez tom.* 3. *in tert. part. disput.* 87. *sect.* 1. *Castald. in praxi lib.* 2. *sect.* 5. *cap.* 3. §. *dubitari potest*. Cæterum etsi in Tusculana Cathedrali Ecclesia novem essent Canonici præter Archipresbyterum, & tres beneficiatos, cum quæsitum fuisset, *an diebus feriatis sit celebranda Missa cum cantu, vel sine*; Sacra Congregatio die 21. Aprilis 1708. respondit = *affirmativè quoad primam partem, & negative quoad secundam* = prout videre est *in Thes. resolut. tom.* 9. *post resolut. anni* 1740. *inter selectas pag.* 132. & 134.

Tertia Canonicorum petitio est, ut possint missæ conventuali cum Missæ votivæ, aut missæ pro defunctis celebratione, quæ divino diei officio non correspondet, satisfacere. Sed directè obstat regula, nimirum quod sicuti Missa Conventualis pars divini officii est, ita officio diei correspondeat necesse est, quemadmodum tenet post alios *Gavant. in dicta part.* 1. *tit.* 4. *in verb. cum officio conveniat* ibi = *Rubrica loquitur, de privatis Missis, nam Conventualis Missa debet semper concordare cum officio cap. cum Creatura &c. & nota quod neque omitti potest pro missa defunctorum in dicto capite &c. ex quibus Sacra Rituum Congregatio die* 25. *Junii* 1611. *& die* 28. *Januarii* 16 2. *decrevit, teneri Canonicos omnino ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. Et die* 16. *Januarii* 1627. *duo respondit, alterum quod ob Missam votivam, seu pro defunctis non potest omitti Missa Conventualis, quod intellige salva eadem hac rubrica de votivis &c.*

Quibus stantibus quæritur.

I. *An sit concedendum Canonicis, ut cum unica Missa Conventuali satisfacere possint obligationi aliarum Missarum, ad quas ex rubrica tenentur in casu &c.*

II. *An sit concedendum iisdem ut possint sine cantu eandem Missam celebrare in casu &c.*

III. *An sit concedendum iisdem, ut cum Missis votivis, seu pro defunctis satisfacere possint oneri Missæ conventualis in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta votum Emi Archiepiscopi.

Ad II. Missam esse canendam juxta modum ab Emo Archiepiscopo appositum.

Ad III. Negativè.

Sess. 21. cap. 2. & Sess. 22. cap. 11. de reform.

ASCULANA CAPPELLANIÆ. Cum domunculam, & terrulas nonnullas in pago, & agro Petrealtæ acquisivisset Carolus Peretti, qui ab Corsicæ Insula patria sua Italiam profectus, pontificiæ Corsorum legioni nomine dato, in Cohorte, quæ Asculi manet, militabat de iis omnibus in postremis voluntatis suæ tabulis disposuit favore laicalis Capellaniæ, quam sibi hæredem nuncupavit. Transgressus deinde ad rectoris nominationem, prædilexit Petrum Mariam ex Marco Aurelio fratre Nepotem cum onere celebrationis annuarum missarum 36., quatenus vellet ad sacerdotium conscendere; sin minus eadem sub conditione, ac onere nominationem transtulit in alios ex dicto Marco Aurelio, & ex Joanne Carolo fratribus suis Nepotes, addita his habitandi in statu ecclesiastico obligatione. Jus denique Capellani nominandi descendentibus a suis fratribus addixit.

Uxorem duxerat Petrus Maria Peretti, primus a patruo capellanus nuncupatus, filiumque Carolum modernum oratorem susceperat, qui in clericali militia initiatus, ad sacros ordines promoveri exoptabat. Ergo sub annum 1757. tum illius parens Petrus Maria, tum Franciscus Maria, & Marcus Aurelius junior Peretti præfati Caroli patrueles eumdem ad Capellaniam nominarunt sub reversionis conditione, si nominatus congruo ecclesiastico beneficio provideretur. Cum hinc Carolus Sacerdos factus fuisset, ecclesiam parochialem Petrealtæ assecutus inde est, quam decennio retinuit, posteaque dimisit anno 1779., maluitque inter sacerdotes Oratorii in oppido Montis Floris cooptari.

Interea Marcus Aurelius ex Compatronis alter sub annum 1773. novem Capellaniæ prædiola favore Seraphini Tocchi scutis 137. alienaverat; domumque pariter vendidisse, narratur. Cum propterea Sacerdos Carolus, parœcia dimissa, noverit, iis attentis alienationibus, sine patrimonio Sacro se esse, huic Sacræ Congregationi supplex adfuit, ut ad nulliter distracta Capellaniæ bona redintegraretur.

Episcopus Asculanus, ad quem de more pro informatione & voto litteræ datæ sunt, rem, veluti exposui, rescribens enarrat, votumque suum ita aperit = *Hinc jure, ut mihi videtur, ad Capellaniæ possessionem instat redintegrari, non modo ex juris dispositione sibi debitam, verum etiam ex facto, & providentia ipsius met Oratoris, qui in quadam Conventione inita cum Marco Aurelio, & Francisco Peretti compatronis expresse sibi jus reservavit cum clausu-*

la

la nunc pro tunc retinendi Capellaniæ possessionem in eventu dimissionis curati beneficii . Quamvis enim , & ipse sciens , imo præsens , contractui venditionis consensum inconsultò præstiterit , ut ex jurato teste compertum habui , tamen ex quo venditio peracta sit non servatis ex ratione Canonica servandis , ipso jure corruat necesse est = Caussa hinc quatuor compræhensa dubiis proponitur .

Ad primum . Disputat de sua possessione sacerdos orator, & ab illa nunquam decidisse defendit . Etsi namque ex concordia cum fratribus patruelibus inita , possessionem videri possit remisisse suam ;Cum tamen pactus fuisset , se rediturum ad capellaniæ possessionem statim ac paræciam reliquisset ; atque ita, ac si de cessione nihil actum fuisset; putandum videretur , simplicem cessam fuisse bonorum detentationem , precariamque fructuum perceptionem , quæ impropria , non vera possessio est . *Rot. decis.* 240. *n.* 10. *coram Buratt. dec.* 317. *n.* 6. *cor. Merlin.dec.*276. *n.* 4. , & *dec.* 478. *n.* 1. , & 4. *cor. Priolo* .

Quæ procedere certius debent ; quia compertissimum est , clericum non spoliari propter emissam retrocessionem , si Episcopi authoritas desit , sed vigere , ut antea , patrimonium ; & si fuerit constitutum cum clausula = *donec*,& *quousque provisus fuerit de beneficio ecclesiastico æquivalente* = & beneficium revera obtinuerit. Veluti *Honoranti in prax. secret. Card. Vic. cap.* 3. *annot.* 3. *pag.* 46. ,& plenè cum ibi allegatis *Ferrar. Bibliot. Verb. ordo art.* 2. *num.* 93.

Et in terminis rei nostræ dixit *Rota in Firmana* , *seu Camerinen. patrimonii sacri* 19. *Januarii* 1756. §. *nec ideo* , & §. *non ita vero coram cl. me. Card. Paracciano* , ubi amplexa distinctione inter voluntarias , & necessarias patrimonii distractiones , explicat dispositionem *Concilii Tridentini in sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* concluditque , temporaneas esse retrocessiones hujusmodi absque episcopi authoritate confectas ; nec sacri patrimonii titulum extingui ; sed ad tempus fructuum perceptionem suspendi; ita ut amisso beneficio , pristina fructuum perceptio statim reviviscat .

Ad II. Horum , quæ dicta sunt , in necessariam veluti consequentiam descendere , inquit Sacerdos Peretti , nullitate infectam fuisse bonorum alienationem , quam fratres sui patrueles in Seraphinum Tocchi inconsultò nimis peregerunt . Si etenim nec ipse potuisset , nisi nulliter ,bona Capellaniæ distrahere Sacerdos orator , eo sanè minus compatrenis fratribus licuit . Præter quod , præcisivè etiam

etiam a patrimonii Sacri qualitate iisdem bonis infixa, & præcisivè ab oratoris intereſſe, nunquam authoritate propria licet patronis perpetuæ Capellaniæ bona ſtabilia pro lubitu alienare ad ſancita in Trident. *Synod. Seſſ.* 22. *cap.* 11. *de reform.* Quia utcumque laicalis Cappellania ſit, non beneficium eccleſiaſticum, non cenſetur tamen laicalis reſpectu materiæ, quæ eſt eccleſiaſtica, ad tradita per *Piton. de Controv. patron. allegat.* 32 *n.* 3., & præſertim in re præſenti, in qua patroni non ſunt Fundatoris hæredes, ſed hæres fuit opus pium, ſcilicet ipſa Capellania; veluti proſequitur laudatus *Piton. loco cit. n.* 5.

Ad III. Reſtitui fructus, orator poſtulat, a die dimiſſionis paræciæ. Cum etenim pacto convenerit, ex illa die, ac ſi facta non fuiſſet, retroceſſionem bonorum eſſe cenſendam; conſequens eſt, ex illa pariter die reſtitui fructus opportere, qui cauſſam ipſorum principalem ſequuntur. Non faceſſente, fructus bona fide conſumptos a tempore dumtaxat motæ litis regulariter reſtitui. Quia hæc punctim defuit bona fides eo ipſo, quod in emptionis venditionis contractu provenientia bonorum legitur, & apocha retroceſſionis refertur, & indicatur, veluti apud alterum ex venditoribus exiſtens. Si ſcivit ergo emptor bona ad Capellaniam, non ad venditores pertinere; ſique ſcivit, retroceſſionem fuiſſe pactionatam; ignorare non potuit emptor, defuiſſe in venditore alienandi facultatem. Sin autem ignoravit, quæ ſcire poterat, quin bonam fidem implorare poſſit, ſibi debet magis imputare; quod qualitates venditoris, reique in contractum deducendæ, veluti decebat, curioſius non perquiſivit.

Eoſque fructus ſibi reſtituendos, Orator ita liquidat: nimirum quoad Seraphinum Tocchi novem prædiolorum emptorem in annuis ſcutis 27. 60., & quoad Marcum Aurelium Peretti, qui duas Capellaniæ terrulas ſibi retinuit in annuis ſcutis quatuor. Sic enim Periti æſtimarunt, cum bona eadem in patrimonii ſacri titulum fuerunt eidem Sacerdoti Peretto aſſignata. Quo vero ad domum, quam Margharita Tacconetti obtinet, annua penſio in ſcuto uno liquidatur. Itaut, ducto ſeptem annorum calculo: ſcilicet a die dimiſſæ paræciæ, ſubductiſque oneribus fiſcalibus, debeat Tocchius ſcuta 186. 20.; Perettus ſcuta 27. 60., & Margharita ſcuta ſeptem.

Ad IV. Hujuſce dubii concordationem Seraphinus Tocchi poſtulavit. Sua tamen Jura in hanc uſque diem non protulit. Sed Sacerdos Peretti, cum intelligat, velle Sera-

ra-

raphinum evictionis emendationem ab ipso fortasse repetere, actionem responsione prævenit, solvitque. Inanis inquit, & incivilis actio est, quæ probatione penitus omni destituitur. Quin juvet, Episcopum in informatione sua dixisse = *Quamvis, & ipse sciens, imo præsens contractui venditionis consensum inconsulto præstiterit, ut ex jurato teste compertum habui* = Quandoquidem novissimum in jure nostro illud accederet, actiones teste unico probari, quæ plenissimas, non æquivocas, non dubias probationes poscunt, & flagitant. Maximè ubi de evictione præstanda res est adversus eum, qui nec vendidit, nec de evictione promisit.

His præmissis, quæ sui favore Sacerdos orator profert, superest ab EE. VV. circa fructuum restitutionem, eorumque liquidationem videndum, an a die dimissæ parœciæ, seu potius a die motæ litis debeantur. Si etenim concedatur, retrocessam fuisse ad tempus incertum bonorum detentationem, fructuumque perceptionem, concedi quoque debet, tunc retrocessionem debuisse resolvi, cum de adventa conditione cessionarius monitus est; per solam namque monitionem incertitudo ad certitudinem redigi valet. Quæ verò profuisset cessionario necessitas monitionis, ne prius in malam fidem incideret, eadem & tertio emptori prodesse posse videtur, ne ante motam litem reddere fructus compellatur.

Deinde ad sensum Sacerdotis Peretti liquidatio fructuum educitur a peritorum judicio, qui in patrimonii Sacri Constitutione adhibiti fuerunt. Sed prædia multos post annos imminutionem in fructibus pati fortè potuerunt. Et in summa venditio novem prædiolorum scutis 137. confecta fuit. Num autem è conspectu venditionis hujusmodi æqua, justaque sit fructuum liquidatio in annuis scutis 27. 60. veluti olim peritos æstimasse constat; Hæc dubitatio alia esse potest.

Quæ de Seraphino emptore dicta sunt, de aliis prædicari quoque debent. Sed quoad domum, constat, illam colere Margharitam Tacconetti, emisse, non bene constat. Nec quanti sit æstimanda ejusce domus annua pensio, hactenus docetur.

Placeat, his perpensis, decernere dè sequentibus dubiis.

I. *An Sacerdos Peretti sit manutenendus, seù potius reintegrandus ad possessionem beneficii, seù Capellaniæ, de qua agitur, & super quibus bonis*.

II. *An constet de nullitate alienationum, de quibus agitur*.

III. *An*

III. *An, a quo tempore, a quibus, & in qua summa sint restituendi fructus.*
Et quatenus affirmativè ad omnia.
IV. *An, cujus favore. & contra quos sit locus evictioni, & relevationi in casu &c.*

Ad I. Sacerdotem Peretti esse redintegrandum ad bona Cappellaniæ descripta in instrumento 9. Decembris 1757., & amplius.
Ad II. Affirmativè, & amplius.
Ad III. Fructus esse restituendos a possessoribus bonorum a die dimissæ Paræciæ in summa liquidanda coram Episcopo.
Ad IV. Affirmativè contra Marcum, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

VITERBIEN. REDUCTIONIS, ET SUSPENSIONIS ONERUM. Habent EE. VV. hujusce Causæ relationem in folio pro Congregatione diei 8. Maii 1784., quod publici juris factum est in *Thesauro resolut. tom.* 53. *pag.* 108. cumque in illa die proponeretur dubium = *An, & quomodo sit locus reductioni* = prodiit responsum = *Affirmativè juxta Votum Vicarii capitularis* = Patres Doctrinarii, parum obtinuisse, arbitrati sunt, cum viderint, Sententiam Sacræ Congregationis Voto Vicarii Capitularis accessisse.

Aliis idcirco porrectis precibus, Vicarii votum multiplicis arguentes erroris, dicebant se a capta resolutione gravatos admodum fuisse. Denique novas alias addidere preces, in quibus peritorum judicio edito de reparandis multa festinatione domibus, solidam piæ testatricis hæreditatem constituentibus, postulant onerum suspensionem, donec reparationes fiant, quas dietim auctas ad impensam scutor. 2000. modo efferunt.

Rogatus modernus Viterbii Emus Episcopus super novis hisce precibus Sacram Congregationem instruere, suamque Sententiam dicere, sic rescripsit = *Novas iidem patres hæredes obtulerunt preces pro impetranda suspensione onerum, quæ vigore relati rescripti adimplere coguntur. Præsentis instantiæ justitiam, & æquitatem ex eo educere curant, quod hæreditariæ domus in pessimo reperiantur statu, & opportunam requirunt restaurationem; idque ex peritimurarii relatione evincere student. Verum non abs re duxi inquirere, quid comunitas, quid Confraternitas Confalonis Centum Cellarum de petita suspensione sentirent, tanquam interesse habentes, tum ob bonum publicum a gymnasiis profluens, tum ob substitutionem scriptam*

ptam favore d. Confraternitatis. Contrarii utriusque sensus manifeste apparent ex complicatis foliis, quæ una cum Epistola Vicarii foranei, & responsione Oratorum reverenter transmitto.

Plura scribunt in foliis suis homines comunitatis Centum Cellarum, sed ad rem præsentem vix conferunt. Una tamen non prætereunda videtur illorum animadversio, quod scilicet, etsi in publico instrumento Superior Doctrinariorum provincialis comunitati promiserit = *per fino a tanto che sia venuta da Roma la finale decisione delle pendenze, che vi sono presentemente sopra la sudetta Eredità Malacrosta, di dare un Maestro per insegnare l'Umanità, e Rettorica all'apertura delle Scuole nel corrente anno* 1782. *senza il minimo pagamento* = Attamen ex illa die promissis non stetit, & adhuc desideratur magister, prout reliqui omnes magistri a die adeptæ bonorum hæreditariorum possessionis desiderantur.

Præteréo folia Sodalitii Confalonis, quæ litteris suis Emus Episcopus inclusit. Cum enim illius Patronus libellum distribuat, illorum relatio superflua comperitur. Æpistola vero Vicarii foranei, cujus pariter in informatione fit mentio, duo tantum adnotanda complectitur: nimirum = *debbo aggiungere, essere in questa Città troppo necessarie le Scuole per la gioventù, che per non potersi mantenere fuori, marcisce nell'ozio, e nell'ignoronza. I stabili meritano certamente dei risarcimenti, ma non sò in qual somma; non sussistendo però, che siano inabitabili, essendo tutti appigionati* = Quibus stantibus, caussa super prioribus, & novissimis precibus proponitur.

Quid, inquiunt Doctrinarii, novi est, quod onera reducantur, si piæ testatricis impar iis ferendis comperiatur hæreditas? Rem plenè agit *Pasqualig. de Sacrific. Missæ quæstion.* 1074. *ex num.* 2. *ad plur. seqq.*, & centenæ prostant hujus Sacræ Congreg. Sententiæ. Sed ipsamet testatrix hanc boni, & æqui rationem servari mandavit, cum in dubitationem virium hæreditatis suæ veniens, tum magistrorum, tum Missarum numerum cum fructibus esse comparandum, edixit.

Verum, prosequuntur, licet Sacra Congregatio ab hac non recesserit regula in præterita Caussæ propositione, gravis tamen resolutio ipsis reddita est, quod Vicarii capitularis voto accedere placuit. Nam votum æquivocis, & erroribus scatet, quorum ex parte Collegii rector, rationibus non bene digestis, effector fuit.

Porrò in errorem incidisse videtur Vicarius capitularis, cum

scripserit, hæreditatis reditum, oneribus subductis, recenseri in annuis scut. 140. 09. ½, & post sexennium in scutis 200. circiter; Omisit enim in introitu hæreditatis adnotare, census activi ratam scutor. 150. dotis titulo avulsam fuisse, datamque Agathæ Renda ex SSmi rescripto. Ita ut censuales usuræ imminutæ sint, & a scut 12. 29. modo redigantur ad scut. 7. 20. Hic error est introitus. Sed & in exitu pro acconcimiis, & dislocationibus inscripsit scuta 15. tantum, dum hæc imo partita amplior est, & ad scut. 40. conscendit. Ex quibus fit, reditum ab oneribus depuratum constitui vix posse in scut. 105. 80., & post sexennium in scut. 153. 80.

Gravius autem erravit, si quoque ii retineantur introitus, & exitus errores. Namque concedebatur in Voto, annua requiri scuta 70. ad cujuslibet Magistri exhibitionem. Et æque constat, pro Missis perpetuis annua scuta 60. a Viterbiensi Synodo juberi. Quibus indubie manentibus, non nisi per errorem potuit Vicarius consulere, ut duo interea Magistri cum alternativo Missæ quotidianæ onere deputarentur. Si etenim a scutis 140. subducantur scuta 60. pro Missa quotidiana, vix supersunt scuta 80., quibus unus, non bini magistri exhibentur. Sin vero reditus, non in scutis 140., sed errore correcto, in scutis 105. constituatur, certius patet, Vicarii Votum substineri non posse.

Sed reditus decrescit, votique executio fit difficilior, si scuta decem anno quolibet saltem dentur pro pia exercitatione, quam vocant *bonæ mortis*; Sique pro redituum exactione scuta sex assignentur. Num poterit, quid minus decerni? Quippe exactio ab inquilinis difficilis est, & incommoda. Sumptuosum autem fit bonæ Mortis exercitium propter cerarum, sacræque suppellectilis consumptionem. Quæ itaque ratio securior providendi erit? Hæc quidem una, ut scilicet magistrorum, & Missarum onera reditibus anno quolibet exæquentur.

Hæc de reductione Doctrinarii inquiunt. Sed magis, subsumunt, urgent domorum reparationes, ac unius præsertim, quæ rimas ostendit grandiores, & concidere, minitatur. Crevit induciis periculum, quod minori sumptu non redemptum, mille, & sexcentum, atque etiam bismille nunc scutis ex peritorum Sententia citò indiget. Ad hunc effectum, cum alia desint media, annuus census imponatur opportet; & interim onerum suspensionem juberi, ratio postulat. Nam reditus pro nunc usuras contrahendi census vix dabunt; & cum Po-

stæ

stæ ædificium fuerit restitutum, pensionibus utendum erit ad ejusdem Census curandam redemptionem.

Posthæc, cum Doctrinarii intelligant, eò pergere Confalonis Sodales, ut defendant, bonæ Mortis exercitium non in ipsorum Ecclesia, sed in Ecclesia Sodalitii peragendum esse, offerunt observandum, ideo testatricem de sodalitii Ecclesia locutam fuisse, quod ii propria tunc Ecclesia carentes, pia opera in proxima illa Ecclesia exercebant. Cum vero novam Ecclesiam sibi postea ædificarint, nil minus proponitur, quàm ut possint obstringi, pium illud exercitium prosequi in eadem, ut prius, Ecclesia.

Etenim apertè nimis testatrix significavit, onerum exercitium transferendum esse ad novam Ecclesiam, quatenus Doctrinarii illam imposterum obtinuissent. Sic siquidem de Missis loquens ait = *per terzo i PP. Dottrinarii debano celebrare tre Messe quotidiane nella Chiesa di S. Maria della Stella della Ven. Compagnia del Confalone, in caso, che non avessero ottenuta altra Chiesa per loro uso, e avendola ottenuta, debbano celebrarle in quella* = Ubi ergo eandem prosecuta orationem, indixit, = *debbano continuare la buona Morte nella Chiesa della Stella, e fare altre opere pie, come fanno adesso* = jam patet sub eadem conditione locutam fuisse, sub qua proxime supra locuta fuerat nimirum, donec Ecclesiam aliam acquisivissent.

Ex opposito Confalonis Sodales maximè inficiantur, hæreditarias domos tanto subesse ruinæ periculo, tantisque reparationibus indigere; Sed quemadmodum, Prætore non adito, solliciti fuerunt Doctrinarii, ut bona hæreditatis de facto occuparent, ità nunc refugiunt, morasque nectunt, ne dies una veniat, quæ a quadriennio nondum venit, onerum ferendorum; Subque obtutu reditus oneribus imparis, nec integram, nec partialem, nec minimam testatricis voluntatem executioni committunt.

Cum ergo Doctrinarii, veluti sodales ajunt, excusationibus utantur, sed revera abnuant onera testatricis excipere, cujus bona exceperunt, putant substitutioni factum esse locum favore Sodalitii, quam testatrix scripsit in casu non acceptationis cum conditionibus, & oneribus ab ipsa impositis.

Securius vero juberi, postulant, ut bonæ mortis exercitium in ipsa sodalitii Ecclesia, nec alibi fiat. Namque testatrix expresse jussit, pium opus prosequendum esse in Ecclesia S. Mariæ *de la Stella*. Quin faciat, subintelligi conditionis repetitionem, qua proximè supra circa missas

usa fuerat. Non enim testatrix in continuata oratione de Missis, & de bonæ mortis exercitio sermonem instituit. Sed distincte, & in periodo separata.

Rationemque accedere, cur sinere voluit, missas ad novam ecclesiam transferri, secus autem bonæ Mortis exercitium. Quia scilicet pium hujusmodi institutum a Mercuria Malacrosta, auctoritate Ordinarii implorata, fundatum fuit in ecclesia B. Mariæ della Stella sub annum 1703. Decuit ideo, decetque, ut ibidem prosequatur. Missæ vero celebrari in qualibet nova ecclesia poterant, nemine resistente, quoties translationi testatrix accessit.

Hæc summa est totius Caussæ. Observare tamen non prætermitto, omisisse quidem Vicarium in statu activo piæ testatricis adnotare imminutionem sortis census pro rata scutor. 150., sed in errorem non incidisse, cum pro reparationibus in statu passivo inscripsit scuta 15. imo cum Doctrinariis liberaliter se habuit. Neminem quippe latet, domorum reparationes annuis scutis quinque in singula centum æstimari. Cum propterea pensiones sint in scutis 225. 60. sequitur pro iis deberi scut. 11. 28. non quidem scuta 15.; Multoque minus sc. 40. veluti Doctrinarii supponunt.

Et quoad eundem passivum hæreditatis statum animadvertere est, Fabrum murarium excipere annua scuta 48. in sui imminutionem crediti, quod ad totum annum 1782. erat in scutis 325. 97. Propterea fit, quod elapsis ab illa die annis tribus cum dimidio, jam creditum redactum esse debet ad sc. 157. 97.

Decrescere hinc debuerunt pari ratione fructus, qui in annuis sc. 15. inscribebantur in statu passivo. Quoad hos vero fructus cum Fabro murario conventos, non inutiliter inquirendum esset, num propter moram dumtaxat pacti fuerint; sive ex credito contractus aliquis ad pariendas aptus usuras initus sit. In hoc namque secundo casu legitimè de usuris actum fuisset, secus in primo, in quo usuræ excipi non potuerunt, & exceptæ in sortis causam essent imputandæ.

Neque satis probari Vicarii error videtur, ex quo admiserit ex parte una pro unoquoque magistro alendo scut. 70. requiri, & ex parte alia duos magistros alternativa Missarum Celebratione oneraverit absque emolumento, quod pro Missis perpetuis juxta taxam synodalem est in annuis scutis 60. siquidem Vicarius non inciviliter opinatus est, quod Missarum eleemosinæ computentur in summa scutor. 70., quæ necessaria ad Viri religiosi exhibitionem circiter

citer dicuntur. Sin minus cuilibet magistro scuta centum numeranda essent, scilicet sc. 70. pro alimentis, & sc. 30. pro missarum semestri.

Supererit ab EE. VV. videndum, num pro bonæ mortis exercitio destinanda sint annua scuta decem, prout Doctrinarij sentiunt; numque assignanda scuta sex pro exactione iisdem, qui cum hæredes sint, rem propriam agunt, non alienam.

Dubium, quod proponitur, est.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 8. *Maii* 1784., *seu potius sit locus substitutioni societatis Confalonis Centumcellarum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

ALATRINA. Proposita, & definita hæc causa fuit in Congregatione diei 7. Maii 1785.. In quatuor dubia quæstio omnis divisa erat. Quærebatur in *Primo* = *An favore familiæ Rossi constet de patronatu Cappellæ S. Bartholomæi existen. in Ecclesia Archipresbiterali terræ Varceni* = In secundo = *An liceat dictæ Familiæ retinere infra ambitum dictæ Cappellæ scamna, & sedilia ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 24. *Novembris* 1781. *quoad dictam familiam Rossi tantum* = In tertio = *An liceat Archipresbitero, seu Rectori ejusdem Ecclesiæ sive cuilibet alteri supradicta scamna, & sedilia amovere, & respective in ea apponere, & retinere Confessionarium, vel aliud quodcumque impedimentum inaudito, & invito patrono* = Demum in quarto = *An, & contra quos constet de attentatis, & quommodo sint illa purganda* = Rescripserunt autem EE. VV. *ad primum affirmative* = *Ad II. Affirmative dummodo Divinis non præstet impedimentum, & juxta hunc modum recedendum a Decisis* = *Ad III. Negative*; *Ad IV. dilata*. *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.*

Revocato ad maturius examen EE. VV. responso in Congregatione diei 26. Novembris dicti anni exhibitisque congruentibus Dubiis, quoad primum *an sit standum vel recedendum a decisis* = quoad secundum = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis*; quoad tertium = *An sit standum, vel recedendum a Decisis*; & quarto demum =

An,

An, & contra quos constet de attentatis, & quommodo sint illa purganda = Prodiit quoad singula responsum = *Ad I. Recedendum a decisis* = *Ad II. in primo loco decisis* = *Ad III. Recedendum a decisis, & relinquendum Arbitrio Episcopi* = *Ad IV. Negative in omnibus* =

Cum itaque diversa fuerit in utraque propositione Sacri hujus Senatus Sententia tertio causa subiicitur gravissimo EE. VV. judicio sub infrascriptis Dubiis.

I. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.*

II. *An sit standum in primo, & tertio, vel secundo loco decisis in casu &c.*

III. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.*

IV. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 16. Decembris 1786. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PLaceat EE. VV. de duabus, quæ superfuerunt ex ultima Congregatione Causis, & de reliquis quæ deinde ex ordine describentur ferre judicium.

VITERBIEN. REDUCTIONIS, ET SUSPENSIONIS ONERUM. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 8. Maii 1784, seu potius sit locus substitutioni Societatis Confalonis Centum Cellarum in casu &c.

Quoad primam partem Dilata, & Eminentissimus Episcopus statim mandet confici Peritiam super Restauratione Domorum hæreditatis Malacrostæ, & ad tramites ejusdem Peritiæ prævia Edictorum affixione deliberet redemptori operis, & deinde eligat Peritum Ratiocinatorem, qui conficiat Statum Activum, & Passivum ejusdem hæreditatis, & quoad secundam negative in omnibus.

ALATRINA. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

I. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.*

II. *An sit standum in primo, & tertio, vel secundo loco decisis in casu &c.*

III. *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.*

IV. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

Ad I. In primo loco decisis, & amplius.
Ad II. In secundo loco decisis.
Ad III. In primo loco decisis, & amplius.
Ad IV. In decisis, & amplius.

JA-

Sess.25. cap. 4. de Reform.

JANUEN REDUCTIONIS, ET TRANSLATIONIS MISSARUM. Domus quam possident Oratrices Promontorio ad illas devenit ea methodo, quæ in distributa ab iisdem allegatione enarratur. Duobus illa obnoxia est Legatis, seu Cappellaniis, sed & pluribus quoque obligationibus affecta, quæ primi, & secundi ex infrascriptis Dubiis disceptationi locum aperiunt; vincant nec ne, & in qua parte hæ obligationes aut utramque, aut alterutram ex dictis Cappellaniis, intactis manentibus quibuscumque juribus, quæ pro plenario dd. Legatorum implemento super aliis bonis quomodocumque affectis competere possent.

Porro *primam* ex dd. Cappellaniis, quod attinet pro cujus dote a fundatore assignatæ sunt annuæ libræ 200. observandum est, an tota creditorum super hac domo phalanges, vel potius sola eam vincat Dos Catharinæ Passano ad libras decem mille ascendens; ita ut ducto calculo valoris Domus ab annuo illius reditu in libris 800., tantum superfit quantum dictæ Cappellaniæ implemento late redundet, quo in casu haud ita faciles esse deceret in concedenda hujus Legati deletione, aut reductione, ut censuit S. Congregatio *in Florentina Commutationis voluntatis* 15. *Februarii* 1747.

Quo vero *ad secundam* cujus dos est librarum 600. grandiorem esse æris alieni quantitatem, quæ illam antevertit affirmant Oratrices. Admittunt tamen quoad ratam librarum 2000. in partem dotis Cappellaniæ relictarum eamdem illis anterioritatem competere, quæ debetur mox dictæ doti Catherinæ Passano a qua illæ libræ bismille fundatrici hujusce alterius Cappellaniæ relictæ fuerunt. Hinc Archiepiscopus in sua celebrata informatione decernendum censet, quoad hanc secundam Cappellaniam, quod *Oratrices teneantur capitale hujusmodi librarum duo mille caute collocare cum ejus monetali augumento, quo evehitur ad libras bismille sexcentas triginta sex hujus monetæ extra bancum ad hoc, ut ex ipsis proventibus singulis annis celebrare facere teneantur tot Missas rationata eleemosyna ad hanc Synodalem taxam injuncto pariter ipsis onere continuo celebrare faciendi tot Missas pariter ad formam Synodi quot essent fructus Capitalis prædicti a die adeptæ possessionis Domus ejusdem usque ad diem, qua perficitur impendium.*

Neque opponatur non satis intelligi cur non etiam reliquæ libræ quatuor mille complementum dictæ Cappellaniæ ea-

eadem sint prærogativa donandæ. Coalescere hæc ex annuis debebant libris 140. quas eadem Catherina Passano huic eidem filiæ suæ hujus Cappellaniæ fundatrici solvi mandavit, quæve usque ad d. summam libr. 4000. haud solutæ fuerunt. Quamquam ergo fundatricis Frater illiusque usufructuarius hæres, qui ex dispositione dictæ Catharinæ debebat Sorori dictas annuas libras 150., antequam eas debere inciperet sese devinxerit erga dotem Victoriæ Tasso ad libras 26. mille ascendentem; Tamen (uti opponebatur) efficax hæc animadversio esse poterit contra bona propria ipsius fratris non vero contra bona matris legatis ejusque dotem librarum, ut supra decem millium; Ex vulgato beneficio separationis patrimoniorum, de quo *Text. in Leg* 1. §. *Sciendum ff. de separat. bonor. adden. ad de Franchis decis* 374., *Capic. Latr. consult.* 99., *Surd. decis.* 310. *per tot.*

Facile tamen hæc dubitatio extricatur. Cum enim d. Catharina Passano, quæ usumfructum fratri, & fundatrici hujus Cappellaniæ legavit ultra antedictas libras bismille etiam annuas libras 150., proprietatem reliquæ suæ hæreditatis auctricibus Oratricium reliquerit non licet implorato utcumque separationis patrimoniorum beneficio ea impetere bona, ad eam sese convertere proprietatem, quam ipsamet testatrix ab hoc periculo exemit alteri relinquendo, ut ipsa fert natura dicti Legati beneficii, de quo late *Salgad. in Labyr. creditor. p.* 1. *cap.* 9 *per tot.*, & *Card. de Luca de credito, & debito disc.* 27. *num.* 2.

Translationi de qua in tertio Dubio quæritur aperte favet Archiepiscopus. Neque enim in ea Ecclesia, in qua celebranda sunt sacrificia fundatorum cineres sepulti fuerunt, quod animadvertendum dixit *S. C. in Placentina Commutationis voluntatis* 1714., & *in Pescien.* 2. *Junii* 1721., & *in Bononien.* 28. *Junii* 1724. *ad* 1. *Dubium*. Monachi S. Bernardi plene consentiunt, qui soli sunt hac in re interesse habentes, adeoque deferendum eorum consensui docet *Vivian. de jurepatr. p.* 3. *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 4. *S.C. in Firmana Translationis Cappellaniæ* 6. *Martii* 1779. Ipsæ Oratrices extra Civitatem Januæ aliis in locis cum eorum familiis morantur, quæ etiam causa benigniores reddere EE. VV. potest, ut translationi auscultent non quidem pro Oratricum arbitrio, sed in Ecclesia, aut Ecclesiis ab Ordinario designandis, ut *in praxi quotidie S. C. observat*.

Ultimo loco petitur illud dari SS. D. N. consilium, quod in quarto Dubio continetur. Favendum instantiæ putat

Archiepiscopus, quia sepulta adeo in antiquitatis latebris erant omnia, ut prudentissimus quisque erraturus facile fuisset, multo magis inexpertæ mulieres: Et quia sine fraude, & dolo errarunt quidquid erravere Oratrices. In his circumstantiis consilium hoc famulatur regulæ, quæ sedandas conscientias esse jubet; nec eas sub perpetua inextricabilique anxietate relinquendas, uti & alteri principio, quod Episcopi judicio in rem præsentem versanti præsertim in re tam implexa plurium semper deferendum sit *Piton. discept. Eccles. 110. num. 22., Rota cor. Cerro decis.467. num.9., & in Recen. decis.90. num.16. p.16.*

Instantiæ capita sunt.

I. *An, & quomodo sit providendum, quoad Cappellaniam institutam a Joanne Baptista Boasi in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit providendum, quoad Cappellaniam institutam a Laura Boasi in casu &c.*

III. *An sit annuendum translationi Missarum in casu &c.*

IV. *An sit consulendum Sanctissimo pro sanatione cujuscumque subreptionis, aut obreptionis in quas Oratrices sine culpa incidissent, tum in precibus S. Congregationi porrectis, tum in aliis S. C. Rev. Fabricæ oblatis obtentoque ab ea rescripto, in casu &c.*

Ad I., & II. Affirmativè juxta Votum Archiepiscopi, applicatis Missis pro Joanne Baptista, & Laura.

Ad III. Affirmativè juxta Votum Archiepiscopi in Ecclesia ab eo designanda.

Ad IV. Affirmative.

Sess.25. cap 5., & cap.9. de Ref.

BUGELLEN. Lucia Ramasco Bugellen. per stipulationem inter vivos anno 1755. Beneficium fundavit perpetuum simplex, ac mere *Laicale* post ejus obitum erigendum = *un Beneficio perpetuo semplice Laicale da eriggersi a spese di sua Eredità, non però prima di sua morte, subbito seguita, con legitima autorità*. Onus dedit duodecim sacrorum quotannis celebrandorum, eique pro dote certa bona tenuissimi Census adsignavit: Suæ autem dispositionis executionem commisit Petro Francisco Montalto, cui etiam jus Cappellanum nominandi, seu Beneficii Patronatum contulit, activum quidem perpetuo progressurum in masculum natu majorem lineæ Masculinæ mox in fæmininam ab eodem Petro Francisco descendentem; *passivum* vero favore alicujus etiam infantis, & in cunis va-

vagientis de linea eadem masculina, atque ea extincta favore filiorum lineæ fæmininæ, quibus tandem deficientibus extraneum quemcumque Patrono benevisum eligi permisit. Voluit denique, ut satisfacta Sacrorum Eleemosyna superextantes fundorum reditus pro eorumdem manutentione implicaretur.

Piam hanc Luciæ biennio postea vita functæ voluntatem Petrus Franciscus implendam suscepit, ac præscriptum Beneficium erexit. Verum in ipso erectionis limine (videndum prudenter an inconsulto) Ordinarii auctoritatem imploravit. Reclamat ab hac erectione Joseph Augustinus Montaltus Successor Petri Francisci, ac modernus Patronus, & supplicem nuper porrexit SSmo D. N. Libellum, duo enixe petens primo, ut præfatum Beneficium cum qualitate Ecclesiastica imprudenter erectum ad originariam formam, & qualitatem mere *Laicalem* a Fundatrice volitam reducere dignaretur, secundo, ut illius modo vacantis fructus sibi retinere fas esset ad sui suorumque inopiam sublevandam. Ablegatis a SSmo D.N. precibus ad hanc Sac. Congregationem datæ sunt continuo Litteræ ad Rmum Episcopum Bugellen., qui facti veritate explorata, vera esse exposita retulit, & votum suum pro gratia in omnibus aperuit. En Episcopi verba = *L'erezzione di d. Beneficio in qualità di Beneficio Ecclesiastico venne fatta dall'allora PietroFrancesco Montalti piuttosto inavvertentemente, e contro il disposto dalla medesima (Fondatrice) giacchè dal sud. Istromento risulta, che la precisa intenzione sua era, che il pred. Beneficio fosse meramente Laicale = Ho riconosciuto, che la dote del medesimo è così tenue, che li di-lui redditi non oltrepassano l'annua somma di 90. pavoli Romani. L'Oratore poi, che sia veramente povero lo ho potuto comprendere da parecchie attestazioni dalle quali ricavai, che resta obbligato a mantener sestesso la moglie, e due di lui figlie nubili col puro guadagno della sua civile professione =. Sono in senso, che possa ridursi alla condizione di semplice Legato Pio il suddetto semplice Beneficio quelle certamente attesa la somma di lui tenuità da chicchesia verrebbe rifiutato, e per lo contrario riddotto alla qualità di semplice Legato, sarebbe di qualche sollievo al povero Oratore =.*

Primum quod attinet ex infrascriptis Dubiis Beneficii nempe Ecclesiastici reductionem ad assertam primigeniam formam, ac qualitatem Laicalem, certum est non dari patronis immo neque Episcopo hanc facultatem, ut beneficii qualitatem immutent, & Laicalem Cappellaniam in con-

contractu præsertim inter vivos præscriptam in beneficium Ecclesiasticum convertant *Fagnan. in Cap. Conqueren. cap.* 4. *de Cleric. non resid.*, *&* *S. hæc Congregatio in Viterbien. Cappellaniæ* 23. *Novembris* 1765, *&* *in Camerinen. Cappellaniæ* 21. *Novembris* 1772. in qua in terminis fere iisdem quærebatur *an sustineatur erectio Cappellaniæ de qua agitur in titulum Beneficii Ecclesiastici* =, *&* responsum fuit = *Negativè*, *&* *amplius* =.

Quærendum igitur dumtaxat videtur an constet necne de voluntate Fundatricis pro Laicali dumtaxat Cappellania. Non abfuisse Testatricem a voluntate fundandi verum, & proprium Ecclesiasticum Beneficium suadere possent, tum *perpetuitatis*, tum *erectionis* mentio, & quidem faciendæ sumptibus hæreditatis. Sed eadem verba, & perpetuitatis, & erectionis occurrebant *in allegata Camerinen. Cappellaniæ*, & nihilominus improbata fuit illius mutatio in Ecclesiasticum Beneficium; idque etiamsi ageretur de dispositione per ultimam voluntatem, in qua sicuti tempus deest implorandæ auctoritatis Episcopi, ita a Testatoris silentio validum haud colligitur argumentum a nimia Beneficii Ecclesiastici erectione alieni *Pax Jordan. locubr. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 91., *Fagnan. in Cap. Conquerente de Cler. non resid. num.* 24., *Garzias de Benef. p.* 1. *cap.* 2. *n.* 109., *&* *seqq.* E converso pro Laicali dumtaxat qualitate a Fundatrice exoptata stant expressa verba *Beneficio Laicale*, & volita etiam vagientis pueri ad illud assequendum aptitudo = *quel soggetto possa esser nominato in culla* = quibus vicissim opponitur adhibitum a Testatrice verbum *nominationis*, & factum primi patroni simulque executoris deputati ab ipsa Fundatrice, quod considerat *Panimoll. decis.* 21. *num.* 14.

Quo vero ad secundum quatenus retinenda foret qualitas beneficii an nimirum sit consulendum SSmo pro gratia; & dispensatione, ut Joseph Augustinus Orator, & modernus patronus retinere possit præfati Beneficii reditus ad sui, suæque familiæ exhibitionem, duo potissimum consideranda sunt Oratoris scilicet paupertas, & redituum Beneficii tenuitas. Indubium sane est Patrono pauperi ab Ecclesia alimenta subministranda esse *ex Cap. Nobis* 23. *de Jurepatr. Cap. Quicumque* 30. *caus.* 16. *quæst.* 7.. Hæc autem alimenta non solum Patrono pauperi, sed ejus quoque uxori, & filiis præstanda esse liquet *ex cap. cit. Quicumque Barbos. in Collectan. de Jurepatr. Tom.* 2. *pag.* 366., *Surd. de Aliment. tit.* 4. *qu.* 28. *num.* 18., *Lambert. de Jurepatr. lib.* 3. *artic.* 6. *num.* 1. Nec requiritur paupertas

tas *extrema*, sed satis est *relativa Fargna de jurepatr. p.1. cap.3. cons.1. num.8.* Non raro hæc S. C. quoties de patrono paupere actum est, ei permisit annuente Summo Pontifice fructuum beneficii fruitionem etiam in statu conjugali. *In Sgobien. Cappellaniæ 17. Novembris* 1731. quærebatur = *An sit consulendum SSmo pro gratia, ut d. Franciscus Alphunsus possit Cappellaniam retinere non ex eodem priori titulo beneficii, sed ex novo titulo administrationis Laicalis cum facultate percipiendi fructus, & adimplendi Onera Missarum per alium donec aliquis ex ejus filiis possit eam obtinere in titulum* = Respondit autem Sacer hic Senatus = *Affirmative in casu de quo agitur* =. Non infrequentia sunt similia responsa.

Altera dispensationis causa est Beneficii sæpedicti tenuitas, quæ tanta est, ut Episcopus asseverare non dubitaverit haud inventum iri, qui illud acceptaret = *Qual* (Beneficio) *certamente attesa la somma di lui tenuità da chicchesia verrebbe rifiutato* =.

Itaque definiendum est.

I: *An sustineatur erectio Cappellaniæ de qua agitur in titulum Beneficii in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum SSmo pro gratia retinendi titulo administrationis reditus Beneficii adimpletis oneribus in casu &c.*

Ad I. Negative.
Ad II. Provisum in primo.

SUTRINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. In Territorio Anguillariæ Sutrinæ Diæcesis, & præcise in regione nuncupata *il Pizzo* adest ædicula quædam in tufo excavata in qua Imago recolitur B. M. V. ab Angelo Annunciatę. Frequens est ad illud Sacellum populi concursus, & semel in anno Capitulum ad illud pubblica supplicatione accedit. Huic imagini Joannes Guidi anno 1784. suo Testamento legavit scuta centum *da erogarsi da detti suoi Eredi nella Fabbrica di una Cappella per custodia, e venerazione di detta Sacra Imagine con quella decenza, e convenienza che potrà portare la detta somma di scu-* *Sess.22. cap. 6. de Reform.*

scudi cento =. Hæres itaque Silvester Guidi melius impletum iri censens auctoris sui voluntatem si ea imago ad Ecclesiam PP. Congregationis a Passione D. N. Jesu Christi transferatur, ibique in Cappella decenti collocetur, opportunas in id ab hac Sac. Congreg. facultates efflagitat. Episcopus auscultat precibus Oratoris ea conditione, *ut integre in Altaris ornatum Legatum scut. 100. erogetur*: Capitulum assentitur dummodo tamen *firmum sibi sit jus easdem supplicationes quotannis habendi in ea Ecclesia in quam S. Effigies transfertur*. Communitas quoque non abnuit sub hac lege, quod *novo erecto pariete, alia in eodem loco ad servandam antiquam populi devotionem depingatur imago*. Erit itaque super Oratoris precibus sub instascripto Dubio pronunciandum.

Mutandas non esse ultimas morientium voluntates *nisi ex justa, & necessaria causa* tum sæpe Canonicæ leges dixerunt, tum novissime *Concil. Trid. Sess. 22. cap. 6. de Reform.*. Tres oppido legitimas causas alio transferendi Sacras exuvias Martyrum, & in genere res sanctas numerat *Augustinus* relatus *in cap. 36. de consecr. distinct. 1.* nempe *ingruentam persecutionem*; *difficultatem locorum* *v. g.* inclementiam aut infestam crassitiem aeris; *malorum societatem v. g.* plebis rebellionem aut malitiam = *Tribus ex causis loca Sanctorum transmutanda sunt; Prima cum necessitas persecutorum loca eorum gravavit; Secunda cum difficultas locorum fuerit; Tertia cum malorum societate gravantur*. Verum *Gratianus causa 16. quæst. 7. can 41.* refert decretum Bonifacii quod alii tribuunt Silvestro Papæ, alii Papæ Silverio in quo, & alia agnoscitur legitima translationis causa nempe ejusdem rei Sacræ melioratio = *Si quis vult monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, faciat cum consilio Episcopi &c.* =

Verum quarta hæc transferendi causa non usque adeo amplianda est ut sola melior conditio Loci ad quem asportanda esset imago aut quævis alia res Sacra satis per se esse videatur. Oportet enim ut aliqua etiam concurrat incongruentia loci a quo dicta Imago aut res alia Sacra removenda est. Miraculis claram B. M. V. imaginem in pariete depictam diruti Castri Laræ ad Monasterium S. Catherinæ de Rosa pertinentis ad se spectare, & ad suam Ecclesiam transferendum esse contendebat Lateranense Capitulum intra cujus Parœciæ ambitum dictum Castrum jacebat. Repugnabat vero dictum Monasterium. Inter cæteras, & hanc decentioris loci, & cultus affe-

res

rebat causam Lateranense Capitulum; Sed quia eadem §. Imago etiam a Monasterio S. Catharinæ de Rosa satis bene, & religiose custodiebatur Sac. Rota ad quam ea delata fuit contentio justam deesse translationis causam pronunciavit ut legere est in *Romana translationis imaginis* 25. *Junii* 1742. §. 6. *coram cl. mem. Card. Calcagnino*.

De tribus prioribus caussis relatis in dicto Cau. *tribus ex caussis* quæstio hic haud esse potest; Quarta de qua in *dicto Can.* 41. concurrere videtur. Nedum enim Sac. hæc Imago majori cum honore, & cultu in Ecclesia PP. Congregationis a Passione asservabitur, sed aliquid etiam incommodi, imo cujusdam veluti turpitudinis atque indecentiæ præsefert hujus Sac. Imaginis in veteri loco retentio. Agitur enim de Capella in tufo excavata, per mille passus ab oppido remota, legitimo curatore qui ejus manutentioni incumbat destituta. His autem concurrentibus transferri Sacras Imagines aut Reliquias posse sequitur ex regula de qua apud *Simanch. de Cath. instit.* 133. *de Imagin.*, *& Gennen. in praxi Cur. Archiep. Neap. cap.* 52.

Audiendus revera fuisset Parochus intra cujus jurisdictionem sita ea Cappella est. Sed credere est Capitulo Anguillariæ eam Cappellam parochi juri subjectam semel ac Episcopus de illius consensu modoque consensui apposito diligenter refert. Omnemque in causam edendo ab EE. VV. responso apponi hæc conditio posset. Jam relatum supra est quibus sub conditionibus Episcopus, Capitulum, & Communitas assentiuntur. Itaque desceniendum est.

An, & quommodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmative juxta votum Episcopi, & consensum Capituli, & Communitatis.

CIVITATIS CASTELLANÆ MISSÆ CONVENTUALIS. Est in Caprarolæ oppido, olim inclytæ Gentis Farnesianæ feudo, parochialis Ecclesia sub invocatione S. Michaelis Arcangeli, quæ ad comunem, constantemque traditionem, veluti Episcopus testatur, in collegiatam anno 1578 erecta fuit ab Episcopo Nicolao Perusi, habito sa. mem. Gregorii XIII. vivæ vocis oraculo. *Sess* 24. *cap* 12. *de Reform.*

culo. In hac, quæ narratur, prima erectione Archipresbyter curatus comprehensus fuit, tum tres Canonici ejusdem in cura animarum condiutores. Mox tres alios Canonicos addidit Sodalitas S. Joannis Baptistæ, quibus pariter impositum est curæ animarum incumbere, & infirmis præsertim in præfatæ Sodalitatis hospitali degentibus. Alii tres Canonici deinde accesserunt ex piis dispositionibus erecti. Iique omnes, qua Capitulum constituentes, *capiturales* nuncupantur.

Præter Archipresbyterum, ac recensitos Canonicos, novem alii adsunt Canonici, qui posteriores fundationes habent, quique sine voce in Capitulo, & in quotidianis distributionibus non Comunicantes, vocantur *extracapitulares*, licet cum Capitularibus in Choro, aliisque functionibus, prout in Ecclesia moris est, festis diebus inserviant.

Cum autem in postrema Sacra Visitatione opinatus Episcopus fuisset, eam Ecclesiam Collegiatæ nomen, & gradum verè, legitimèque sortitam esse; animadverso etiam, quod Canonici a SSmo Domino Nostro sub annum 1782. usu Rocchetti, & Mozzettæ, ut vocant, honestati sunt, decrevit, Missam Conventualem a Capitulo esse celebrandam. Hinc Archipresbyter, tresve primi Canonici concurati exciti fuerunt, ut hanc Sacram Congregationem precarentur edicere, quibus inter ipsos variæ erectionis, & Classis Canonicos, Missæ conventualis celebrandæ, applicandæque, onus incumbat.

De his interrogatus Episcopus, rem, prout exposita est, confirmans, concludit, sibi videri = *quod juxta apostolicæ constitutionis spiritum ad Conventualem Missam per turnum colebrandam teneantur omnes, qui de Capitulo sunt, sicuti omnes diebus præscriptis choro sunt addicti ad horas Canonicus persolvendas, quarum pars est sæpedicta Missa conventualis qualibet die servitii*.

Ad I. Ut Collegiatæ qualitas comprobetur, duo sunt modi, nimirum primus seu ex originaria erectionis bulla, seu ex successivo privilegio apostolico ad textum *in Cap. porrò de privil. Innocent. in cap. postulasti num.* 1. *de jurepatr. Mascard. de probat. Conclus.* 583. *num.* 1., & *seqq. Piton. discept. Eccles.* 8. *num.*9., *& discept.* 116. *num.*4., & alter a signis, conjecturis, & indiciis, quae collegialitatem univocè concludant. *Innocen.*, & *Mascard. locis citatis, Lotter. de re benefic. lib.* 1. *cap.*14. *num.* 54. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.*2. *cap.*6. *num.*5. *Petra ad Constit.*7. *Innocent.* 4. *sect.*2. *num.*16. *tom.*3. *Rot. dec.*1229. *num.*3. *cor. Molines.*

In

In re præsenti Bulla erectionis deficit; Sed de constanti, comunique fama erectionis ab anno 1578. Episcopus testatur. Ex hac autem comuni, & antiqua opinione cum subsequentibus enunciativis Collegialitatem Ecclesiæ resultare, tradit cum ibi allegatis *Ferrar. Bibliotheca verb. Collegiata num.* 13. Accedit, hujusmodi Capitulum Ecclesiæ peculiares habere constitutiones, pariterque massam comunem distributionum, quarum primores participant, qui capitulares dicuntur, secus novem posteriores extracapitulares nuncupati. Quæ porrò insimul conjuncta indicium Collegialitatis præstare videntur *Rota in recen. decis.* 234. *num.*5., & *seqq. part.*16.. Et Episcopus enarrans privilegium postremò indultum Capitulo a SS̃mo, inquit = *Verèque, ac legitimè Collegiatæ nomen, ac gradum isthæc sortita est Ecclesia* =.

Ad II. Quatenus EE. VV. placeat de Collegialitate Ecclesiæ Sententiam amplecti, decet observare, Missam Conventualem horarum Canonicarum partem esse *Pignatell. consult.* 321. *num.*1., & propterea ad illius Celebrationem omnes tenentur per turnum Canonici, cujusvis illi sint erectionis. *Pignatell. loco citato*, *Ursaya disput.* 32. *num.*7. *tom.*2. *part.*1. *Rota in Firmana Eleemosinæ Missæ Conventualis* 12. *Februarii* 1751. §. 5. *coram bo. mem. Amadeo*, & cum in Sacra Congregatione diei 3. Junii 1780. in Causa Faventina Missæ Conventualis disputaretur dubium = *An ad celebrationem, & applicationem Missæ Conventualis teneantur tam Archipresbyter, & Canonici antiqui, quam Canonici, & Mansionarii novæ erectionis Zarabinæ* = rescriptum fuit = *Affirmativè quoad omnes teneri per turnum* =

Dignentur EE. VV. ex jure decernere:

I. *An constet de Collegialitate Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Caprarolæ.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & a quibus Canonicis sit celebranda, & applicanda Missa Conventualis pro benefactoribus in genere in casu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Affirmativè quoad omnes per turnum.

Seff.22. cap.3., & Seff.24. cap. 12. de Reform.

AVENIONEN. SERVITII CHORI. Cenfuit capitulum Collegiatæ Ecclefiæ S. Agricolæ Avenionis, abufus nonnullos in choralis fervitii imminutione irrepfiffe a blandientium Medicorum teftationibus, judiciifque profectos, quibus perfacile a choro excufari unus, & alter confueverit. Quafdam idcirco Sanctiones capitulum de More coactum edidit cum fuffragiorum pluralitate, quæ funt hujufmodi =

1. *Che in avvenire non fi ammetteranno fedi, che difpenfino dal Matutino quelli, che non fono foliti di affiftervi =*
2. *Che non fi riceveranno due fedi confecutive a favore dell' ifteffa perfona, fe non che l'infermità gli impedifca di Celebrare la S. Meffa.*
3. *Che non fi ammetteranno le fedi, che fi prefentaranno abitualmente, e periodicamente in certi tempi dell' anno, fe non che l'infermità fia ben cognita, e caratterizata =*
4. *Che non fi ammettino fedi, che difpenfino di affiftere a tutti li Offici, fe non che in quanto che le perfone, a favore delle quali quefte verranno date, non poffono celebrare la S. Meffa per ragione della loro infermità =*

Hæ Beneficiatis refolutiones, quæ ipfos potiffimum feriunt, difplicuere; magifque cum, ab Archiepifcopo confirmatas fuiffe, noverunt. Quæftio in primis venit ad Vicarium generalem in fummariffimo poffeflorio, qui Beneficiatis favore vifus eft; Mox ad Prolegatum, cujus ex decreto ad Archiepifcopum erat redeundum. Sed oratores conqueftiones detulerunt fuas ad hanc Sacram Congregationem, hujus Sententiam humiliter implorantes.

Interrogatus de his Archiepifcopus, abufus deplorat frequentium nimis medicorum atteftationum, ex quibus fæpe contingit, ut ex quatuordecim beneficiatis vix quatuor chori fervitio interfint. Hinc fuiffe opportunum, inquit, abufui remedium afferre; & qui refolutionum fpiritus & intelligentia fuerit, fic exponit = *Non excluditur a Capitulo rationabilis admiffio atteftationum. Tollitur tantum frequens abufus exhibitionis atteftationum fub certis pœnis, fcilicet punctationis, maximè quando prætenfa infirmitas non impedit vacare occupationibus fæcularibus, alio ire, & deambulare in civitate, vel extra, eo tempore, quo opus eft Ecclefiam defervire, & officiis divinis intereffe. Lex ifta non ligat innocentes, fed continet culpabiles, eofque, qui fub quovis levis infirmitatis prætextu prætendunt fefe a choro eximere =*

Igitur quot fuere refolutionum capita, tot opportuit dubia con-

concordare, sublimi EE. VV. judicio proponenda. De quibus, hactenus tacentibus Canonicis, non nihil beneficiati ad me detulerunt.

Ad I. Quis inficiabitur, inquiunt, duo hæc esse non dubia? Scilicet primum, de infirmitatibus judicium a solis Medicis esse ferendum; veluti pluribus allegatis docent *Pellizzar. tom. 1. tract. 5. cap. 8. num. 115. Bonaccin. de horis disp. 1. quæst. 6. part. 1. num. 5., & seqq. La Croix lib. 3. part. 1. num. 1225. Zacchias quæst. med. leg. lib. 2. tit. 2. quæst. 5. num. 3. Stryk Jur. dissert. Vol. 5. disp. 3. cap. 3. num 54.* tum, & alterum, hoc est, infirmitate detentos a Choro excusari, & quotidianas distributiones, ac si præsentes essent, lucrari, ad definitonem *textus in cap. unico de Cleric. non resid. in 6. Garzias de benefic. part. 3. cap. 2. num. 362. Barbos. Collect. Apostolic. verb. distributiones quotidianæ num. 17. Annot. ad decis. 576. part. 4. tom. 3. rec. num. 125.*, & ex auctoritate Sacræ Congregationis *Fagnan. in 3. decretal. cap. cum percussio de cleric. ægrot. num. 11.*, & 29.

Quibus positis, ab æquitate, & justitia admodum discedere novam legem, ne ii, videlicet, ab Medicorum attestationibus excusentur in horis matutinis, qui non assolent illis interesse. Cum enim Choro non intervenientes punitionem fallentiarum jam passi fuerint; si in valetudinis infirmitatem deinde prolapsi, privari deberent distributionibus, noviter plecterentur eandem propter caussam; & sic pro culpa unica dupplex pæna irrogaretur, quod reprobatur. *Tusch. litt. P. Conclus. 209., & seq. per tot. Thesaur. de pæn. part. 1. cap. 12. Sperell. dec. 92. num. 7., & dec. 134. num. 20., & 89.*

Potissimum quod Canonici novam hanc insinuantes legem, a Matutinis horis sunt immunes; Veluti ex hujus Sacræ Congregationis resolutionibus diei 25. Septemb. 1700., & diei 21. Augusti 1734. *in Thesaur. resolut. tom. 6. pag. 343.* cum propterea vis tota legis beneficiatos tantum feriat, nequibant ii, beneficiatis non vocatis, eam condere legem. Nam quoties de cujuslibet privato interesse res est, toties omnium debet accedere Suffragium, nec pars major minorem dissentientem obligat, ex latè probatis a *Fagnan. lib. 3. decretal. in Cap. cum in cunctis de his quæ fiunt a major. part. Capit.*

Præterea si lex illa staret, litium veluti seminarium oriretur ut beneficiati prosequuntur; Namque vel in absoluto Canonicorum arbitrio maneret renunciare infirmum uti solitum Matutinis horis non interesse; vel disputatio fre-

quens fieret, num quis dici posset abesse solitus, aut secus. Et sic tot sæpe lites, quot infirmitates enascerentur.

Ad II. Deficere penitus rationem, beneficiati conclamant; ab hac quoque lege, in qua binæ attestationes Medicorum vetantur illius favore, qui Missam celebrare non impeditur. Missæ namque celebratio ab integro Chori servitio adeo distat, ut nihil magis. Porro chorus horas habet matutinas, quae si cunctis graviores hyemali tempestate videntur, gravissimæ valetudinariis certe sunt. Sin vero sic se habet ubique locorum, quid de regione Avenionensi renunciandum? E converso liberum ad Missam celebrandam tempus, & hora est. Cum scilicet, sive frigoris vis imminuitur; sive glacies tepefacta solvitur; sive ventorum violentia conticescit. Absque Medicae facultatis Studio scitissima haec cuilibet sunt. Præterea Missæ tempus brevissimum est, locique Salubrioris, aut Cappellæ libera electio. Non sic Chori locus, & tempus frequensque accessus, ac recessus, psalmodya, functiones. Ergo si valetudine affecto licet Missam celebrare, non inde consequitur & Choro interesse licere.

Quid vero, quod duæ vetantur testationes, non unica? Idem Medicorum de una judicium est, ac de duabus. Nulla profecto allegabilis ratio est, cur probetur prior, reprobeturque posterior. Nam una, eademque utriusque ratio manet: Scilicet valetudinis infirmitas; & quamdiu hæc perstat, tamdiu excusatio debet obtinere. Sin autem de veritate, deque Medici honestate dubitatio accedat; cum veritas, honestasque præsumeantur; haud sane decet, ut culpæ cognitionem pæna præcedat. Sed pro casuum circumstantiis remedia juris non desunt, quin sit opus generalem indicere legem, quæ omnes sine discrimine præmit, tum verè excusabiles, tum culpabiles; ita ut pati innocens compellatur, ne dolosus exultet in malitia sua.

Revera hac met pendente in Sacra Congregatione lite, ipse novit Archiepiscopus, beneficiatum S. Agricolæ Petrum Paulum Isac, licet a Missæ celebratione non impeditum, promereri a Choro immunitatem alterius quadrimestris, vesperis exceptis; quemadmodum in litteris suis huic Sac. Congregationi renunciavit. Et quotquot in urbe Avenionis prostant Capitula tum Cathedralis, tum Collegiatarum, tot in hanc diem servarunt moremque servant inconcussum, Medicorum testimoniis obsequendi ad chori excusationem etsi Canonicus sive be-

beneficiatus valetudinarius *Missæ* Sacrificio possit incumbere. Ita pluribus testibus oratores comprobant de Cathedrali Ecclesia, tum & de Collegiatis S. Symphorosæ, B. Mariæ Virginis, S. Desiderii, S. Magdalenæ, S. Ginnesii, & S. Petri:

Abusus denique inficiantur, quos Canonici quidem dicunt, non tamen probant; quosque Archiepiscopo sine probationibus insinuarunt. Et quo latent magis beneficiatorum abusus, eo in illustriori loco ipsorum abusus Canonicorum positos esse, ac in ipsis Capitularium resolutionum codicibus prostare, ex quibus plane habetur, uni, & alteri sæpè sæpius indultum liberaliter fuisse, ut justa sine Caussa longingua hùc, & illuc itinera ad oblectamentum arriperent, & nedum menses plures, sed annos abessent, non quidem a Choro tantum, sed a residentia.

Ad III., & IV. Ab hisce postremis dubiis Oratores brevissime se expediunt. Quæ nam, inquiunt, boni æquive ratio nondum audita dictitat, tum respuendas esse periodicas Medicorum attestationes, nisi cognita, & declarata infirmitas sit; tum attestationes recipiendas non esse ad Officiorum exemptionem, nisi a Missæ celebratione infirmitas detineat? Ergo ne infirmitates, ut tales renuncientur, constare debebunt oculis Canonicorum non Medicis? Videt oculus Medicus quod cæteri, quamquam oculati, non vident; & Medica manus capit, quod alii non capiunt: Quis autem hic est, qui erigere se audea supra Medicorum judicium? Solis quippe Medicis reservatum est præenoscere corporum indigentias ad salutem, & quæ valetudinem hominum, aut secus afficere possunt. Ergo injustitiam admodum redolere novissimas resolutiones, quoties denegarunt, Medicis non esse fidendum, sivè dum periodicè testantur de necessaria ad incolumitatem curatione certis anni temporibus peragenda; sive dum officium ab officio distinguentes, judicant, aliquem Missæ celebrandæ navare operam posse, aliis Capituli officiis, aut obligationibus non posse.

Cum dubitationis minimè sit, quin valetudine affecti quotidianas distributiones lucrentur; atque adeo, ut contrarium Statutum, tanquam irrationabile, non valeat, viribusque desit ad tradita per *Fagnan. lib.* 3. *decret. in cap. licet de prebend. num.*138. quæstio fieri solet de infirmitatum qualitatibus, quæ magis, minusque a choro legitimè excusant. In qua quidem quæstione Medici in primis audiendi videntur, quorum est de iis proferre judicium. Cæterum si valetudinis gratia sive Medicina suma-

matur oporteat, sive minuendus sanguis sit, sive ad balnea discendendum, distributiones quotidianas deberi docuerunt De Grassis *decis. aur. part. 2. lib. 3. cap. 15. num. 10.*, *& pluribus allegatis Barbosa in Collect. Apostolic. decis. verb. distributiones num. 60.*, & 61.

Limitatur tamen regula, quae infirmis favet; si Canonicus, aut beneficiatus residere non sit solitus. Sic post nonnullos tradit *Fagnan. in 3. decretal. Cap. licet de praebend. num. 148.* ubi rationem reddens, inquit= *Quia Morbus non est Causa non residendi in eo, qui etiam sanus non resedisset* = prout ex eadem ratione similiter limitatur regula, quoties infirmitas absentem occupat; quia sicut ante aegritudinem non debebantur illi distributiones, ita nec debentur, si in eo statu morbus superaccedat. Idem *Fagnan. in d. lib. 3. decret. de Cleric. aegratan. cap. cum eercussio num. 11.*, & Sacra Congregatio in *Asculana diei 5. Junii 1706.*, *in lib. 59. decret. pag. 149.*

Haec de non residente. Sed rem propius agere videtur *Thesaurus de paen. part. 2. cap. 3. num. 5. notat. 4* ubi distinguens absentes a loco residentiae, & abesse solitos a choro, negat, his favere infirmitates, ut distributiones lucrentur, & refert hujus Sacrae Congregationis resolutionem *in Reatina 5. Martii 1667. libr. 25. decret. pag. 345.* quae ita se habet = *Censuit oratori dandam esse resolutionem alias editam sequentis tenoris* = *Congregatio Concilii censuit, Canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui Canonicatus, nec non distributiones quotidianas, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Caeterum infirmitatem ipsam coram Judice probandam* = & pridem in *Mantuana 6. Februarii 1627. lib. 13. Decret. pag. 197.* = *Distributiones quotidianas ita demum Oratori aegroto deberi si alias Ecclesiae solitus erat inservire cujus justificatio remittitur conscientiae Episcopi* = & *in Ferrarien. 12. Septembris 1648 lib. 12. Decret. pag. 522.* = *Sacra &c. censuit Canonicos infirmos non lucrari distributiones quotidianas pro duabus horis primis quibus interesse minime consueverunt* =

Quoad caetera prae oculis habendum esse videtur monitum *Passerini in Cap. Consuetudinem regul. 4. concl. 5. num. 91. Posset tamen dari casus quod infirmitas permitteret Canonicos aliquantisper ex causa sanitatis exiret e domo, & non permitteret adesse choro; unde in his arbitrium boni viri debet attendi.*

Itaque infrascripta dubia proponuntur.

I. *An & quomodo sustineatur resolutio Capitularis ab Archiepiscopo confirmata, in qua jubetur, ne in posterum attestationes recipiantur ad eos excusandos ab horis matutinis, qui soliti non sunt iisdem interesse.*

II. *An & quomodo sustineatur eadem resolutio pariter confirmata, in qua cautum est, ne binæ attestationes consecutivæ favore unius, ejusdemque personæ recipiantur, nisi infirmitas talis sit, quæ a Missæ celebratione detineat.*

III. *An & quomodo sustineatur eadem resolutio pari modo confirmata, in qua cautum est, ne attestationes recipiantur, quæ habitualiter, ac periodicè exhibentur, nisi infirmitas sit probè cognita, & declarata.*

IV. *An & quomodo sustineatur eadem resolutio ut supra confirmata, in qua cautum est, ne attestationes recipiantur pro exemptione ab omnibus officiis, nisi infirmitas talis sit, quæ a Missæ celebratione detineat in casu &c.*

Non proposita cum sequen.

DUBIA SUPER EXECUTIONE DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM. Pius, & religiosus satis amplæ Diæcesis Vicarius gen., seu Provisor. Sanctissimum Dominum Nostrum Papam per supplicem libellum adivit, eique exposuit, a quadriennio circiter, quo generalis Vicarii in spiritualibus munere fungitur, consuevisse in Matrimonialium dispensationum executione lævia emolumenta recipere: Nimirum = *pro subscriptione commissionis, & sigillo obolos octo: Similem quantitatem ratione mandati de separando, & sigilli, ratione vero Sententiæ definitivæ julios duos monetæ Romanæ* = quod in ea Diæcesi ab immemorabili est in more positum. Imo, quot sunt in eo regno Diæceses, eandem in omnibus consuetudinem immemorialem servare, omnesque Vicarios generales pro subscriptione, & sigillo plus, minusque accipere, non tamen munera, donationes, aut præmia. Eorumdem propterea ab exemplo, & authoritate Virorum pietate, & doctrina illustrium adductum se fuisse, ut quamquam intelligeret, ut litteris dispensationum hujusmodi executores vetari sub excomunicationis pæna munus, aut præmium exigere, atque etiam sponte oblatum recipere; Nec lateret, ea desuper prohibi-

Sess. 24. cap. 5. de reform. matrim., & Sess. 25. cap. 18. de reform.

hibitione Doctores in varias abivisse Sententias; attamen suorum antecessorum praxim duxerit, esse servandam. Quia vero iis non obstantibus, angebatur scrupulis, & quieti vehementer exoptabat conscientiæ suæ consulere, ita edoceri humillimè precabatur, num benè, vel secus se gesserit; & quatenus malè, quid sibi incumbat pro restitutione faciendum; cum difficile admodum sit illos omnes, a quibus minusculas eas summas exegit, rescire, & reperire. Cum itaque de supplicatione hujusmodi ab Eminentiis Vestris decernendum sit, duo infrascripta dubia proponuntur.

Ad I. quam in primis induxerant praxim Episcopi, quibus litteræ Apostolicæ potissimum dirigebantur, scilicet prohibendi Vicariis in dispensationum Matrimonialium executione acceptionem cujuslibet muneris, & præmii sub excommunicationis pæna, mox debuerunt Summi Pontifices amplecti. Hinc factum est morem, stylumque invaluisse inscribendi in omnibus dispensationibus, quæ sive in forma ordinaria, sive in forma pauperum expediuntur, & Vicariis generalibus ut plurimum diriguntur, hanc clausulam = *deposita per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus* = quæ quidem prohibitio, ut de Pontificis enixa voluntate magis constet, in fine litterarum Apostolicarum cum excomunicationis latæ Sententiæ comminatione geminatur his verbis = *Volumus autem, quod si spreta monitione nostra hujusmodi aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temere præsumpseris, excomunicationis latæ Sententiæ pænam incurras* = veluti *ex Zerol. prax. Episc. part. 2. verb. Delegatus, & aliis tradit. Corrad. prax. dispensat. lib. 7. cap. 6. num. 8.* & sequitur *de Justis de dispens. Matrim. lib. 1. cap. 6. num. 232. & seq. Van. espen. Jus Ecclesiast. part. 2. tit. 14. cap. 2. per tot. & cap. 3. num. 6.*

Hæc, quæ præmissa est, clausula, servatur in litteris Apostolicis, quæ in forma comuni, sive ordinaria expediuntur. Sed in expeditionibus, quæ fiunt in forma pauperum, duo accedunt, nimirum, pæna nullitatis absolutionis, & dispensationis per ea verba = *& nihilominus absolutio, & dispensatio hujusmodi a te faciendæ prædictæ nullius sint roboris, & momenti* = ac insuper, quod a solo Pontifice concedi possit incursæ excomunicationis absolutio per hæc alia verba = *excomunicationem latæ Sententiæ penam incurras, donec absolutionem a Sede prædicta*

cta per satisfactionem condignam merueris obtinere = *Corrad. loco cit. num.* 9. & 10. *De Justis loco cit. num.* 233. & *seqq. Thesaur. de pœn. Eccles. part.* 2. *cap.* 14. *per tot.* Exceptis tamen Apostolicis dispensationum litteris, quæ partibus postulantibus, quandoque Episcopis diriguntur, in quibus non excommunicatio comminatur, sed injungitur, ut *eo ipso ab jurisdictionis, & pontificalium exercitio, fructuumque mensæ suæ perceptione tamdiu suspensus existat, donec a Sede Apostolica relaxationem suspensionis hujusmodi per satisfactionem condignam meruerit obtinere. Veluti laudati, & alii DD. tradunt ibidem.*

Quæsitum primò, dubitatumque fuit, num ea clausula simplex consilium, monitionemque præferret; eo quod verbo *monemus* Pontifex utitur. Sed quia in fine litterarum prohibitio resumitur per verba *volumus autem*, & executor in accipiendo delinquens excomunicationis pæna mulctatur, conveniunt omnes, ex ea clausula præceptum, formamque exoriri, non simplex consilium, aut monitionem. *Corrad. & De Justis loc. cit.* cum aliis ibidem allegatis. Cur verum in his singulariter Matrimonialibus dispensationibus ea clausula adhibeatur, exponit post *Corrad.* laudatus *Van. Espen. jus Eccles. part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 3. *num.* 6. = *Speciale autem est in dispensationibus Matrimonialibus, quod apponatur hæc Clausula, Nam istæ reputantur cæteris dispensationibus graviores; & in eisdem magis imminet periculum, ne corrumpatur Judex Executor* =

Deinde quæritur, num executori liceat, non quidem munera, dona, aut præmia, sed leve, honestumque pro impenso in examine testium, & jurium labore, prolationeque decreti, salarium exigere? Cum enim omnis labor optet præmium, omnisque operarius mercede dignus sit, non videtur executor ab justo, tenuique salario excludendus. Aliqui tenuerunt licere, quos inter *Sanchez de Matrimonio lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 10., & *seq Gutier. quæst. can.* 29. *num.* 27. *lib.* 1. *Pignatell. Consult. Can.* 17. *num.* 6. *tom.* 8. Contrariæque Sententiæ assertoribus respondet *Sanchez loco cit.* inquiens, secum opinari doctos admodum Viros a se consultos. Quia de munere, & præmio prohibitio loquitur, non de impensi laboris stipendio, quod nec remuneratorii præmii, nec propriè muneris rationem habet. Cum præsertim fini in utroque Casu non conveniat, a quo motus ad prohibitionem Pontifex est: scilicet ne muneribus corruptus judex, minus benè officium obeat suum. Corrumpi etenim a munerum liberalitate judices possunt,

non autem a nudo, tenuique stipendio, quod de jure, aut consuetudine, debetur, non a dantis gratia elargitur. Concluditque, certius semper stipendium, aut salarium recipi ab executore posse, quoties legitima consuetudo intercedat, quæ fida legum interpres est.

Opposita tamen sententia *Navarr. lib. 3. cons. ult. de Rescriptis*, prævaluisse visa est; & secuti sunt *Garcia de benefic. part. 1. cap. 1. num. 77. Sbrotius de Offic. Vicar. lib. 2. quæst. 36. num. 7., & seq. Zerol. in prax. Episcop. part. 1. Verb. dispensatio §. 1. Diana part. 5. tract. 13. resol. 71. Corrad. prax. dispensat. lib. 7. cap. 6. ex n. 232. ad plur. seqq. Thesaur. de pœn. eccles. part. 2. cap. 14. per tot. Genuen. in prax. cap. 15. num. 13. Fagnan. in 5. Decretal. de Simonia cap. In Ordinando n. 32., & seqq.*. Qui omnes tenent, nedum vetari per eas clausulas executoribus dispensationum, sive Episcopis, sive Vicariis generalibus, ne præmia remuneratoria accipiant, verum etiam ne stipendia, & sportulas titulo laboris, visuræ, aut decreti exigant. Et hanc Pontificis mentem esse, firmiter eliciunt ab geminata prohibitione, & a verbis latissimis ejusdem prohibitionis, quæ nullum excipiunt casum, omnemque limitationem penitus excludunt. Atque hinc inefficax contraria quælibet consuetudo est, licet immemorabilis, quæ abusum redolet, non licitam consuetudinem; tum quia semper, & in omni casu iisdem Pontifices clausulis utuntur; tum quia ubi lex clara est. nequit consuetudo interpretari legem, quæ interpretatione non indiget. Et *Thesaur. de pœn. loco citato* observat, quod sicuti res est de actu potestatis Spiritualis, si quid pro illo exigatur, illicitum est, & simoniacum.

Comuniori DD. Sententiæ accedunt declarationes tum Sacræ hujus Congregationis, tum Sacræ Congregationis Episcoporum quas refert *Corrad. loco citat. num. 14.*, & transcribit *Fagnan. pariter loco citat.* Imo notissima taxa *Innocentiana* sic habet = *Nelle cause, e materie, che riguardano il matrimonio, e i sponsali, così per l'esecuzionè delle dispense apostoliche matrimoniali, come per la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia Canonico impedimento &c. Il Vescovo, e il suo Vicario, ed ogni altro officiale, ministro, o familiare non possa sotto qualsivoglia pretesto, o colore anche di Mancia, e di volontario donativo, esigere, e ricevere emolumento alcuno, ne in denaro, ne in altre cose; Ma solamente il Cancelliere possa esigere la mercede proporzionata alla fatiga della scrittura. Cioè nelle esecuzioni delle dispense giuli tre,*

e per

e per li testimoni sopra lo stato libero, o che non vi sia impedimento, un giulio per testimonio, purchè in tutto non si ecceda uno scudo di moneta romana, Cioè dieci giu- li, ovvero il loro equivalente nella moneta del paese; non comprendendosi le cause Contenziose &c

Denique expendenda est Pontificis decisio quam refert clarissimus *Fagnanus* hujus Sacræ Congreg. olim Secretarius *in V. decretal. Ne Prælat. Vic. suas cap. quoniam numer.* 30. ibi = *Officiales Archiepiscoporum, & Episcoporum regni Lusitaniæ unum ducatum accipiebant pro executione litterarum apostolicarum pro dispensatione Matrimonialium & ita etiam pro præsentatione cujuslibet rescripti. Notarii autem pro examine testium capiebant alium ducatum, & plus, minusque juxta numerum illorum, & laborum. Et quoniam in eis litteris solet apponi clausula, quod episcopi, & officiales, deposita omni spe cujuscumque muneris, & præmii, etiam sponte oblati dispensent; & Tridentinum Concilium in cap. 5. Sess. 24. de reform. matrim. tales dispensationes gratis omnino concedi jubet; quæsivit Cardinalis Portugalliæ Legatus, an liceat dictis Officialibus, & notariis accipere id, quod capiebant. Sanctissimus referente Congregatione Concilii, decrevit, Episcopos, eorumque Vicarios Nihil prorsus ea de causa accipere posse; Notariis autem licere dumtaxat quartam partem Ducati accipere.*

Ad II. Absque dubitatione procedit, eum ad restitutionem teneri, qui pro spirituali re, veluti dispensatio est, temporale quid accepit *S. Thom. 2.2. quæst.* 100. *art.* 3. *ad tertium, & art. 6. ad quartum*. Sed quæstio est, cui, & quomodo restitutio facienda sit. *Thesaur. de pœn. omnes* DD. Sententias colligit, & opinatur, eos melius sentire, qui putarunt, aut ecclesiæ, aut pauperibus faciendam esse restitutionem; veluti *part. 2. cap. 2. numer.* 4. ejusdemque sententiæ fuit *Venero exam. Episcop. lib.* 3. *cap.* 10. *de Simonia num.* 21. Diligentior videtur *Fagnanus in V. Decretal. De Simonia Cap. Mandato n.* 75. ubi accuratè perquirendum existimat de eo, cui debet restitutio fieri; & ubi diligentiis adhibitis, tutum nequit haberi judicium, concludit, aut Episcopi arbitrium in confessione petitum, aut demum Confessarii sui consilium esse exequendum. Sed ille de damno illato agit per simoniacam paræciæ consecutionem; quod a te nostra admodum distat.

S. Thomas loco cit. art. 6. ad tertium agens de restitutionis modo adhibendo, dicit in summa, esse præcavendum, in quantum fieri potest, ne qui peccaverunt, inde com-

modum consequantur; ideoque ecclesiæ, quæ læsa est, restitutionem esse faciendam, & nisi ecclesiæ, distribuendum pauperibus. Et optima ratio est, ne danti restituatur, quia peccati tum dantes, tum accipientes rei sunt. Sed in casu; qui nos exercet, dantes non peccavisse graviter videntur; Cum solverint sine malitia, imo bona fide, stipendium judici executori, quod cum fuerint requisiti, deberi veluti in causis aliis putarunt *Bonaccina de Simon. disp. 1. quæst. 3. num. 13. in fin.* Itaque si restitutioni locus est, potius videretur restitutio dantibus innocuis facienda. Quia tamen magnam intercedere difficultatem supponitur perquirendi, habendique tot restitutionis Creditores; idcirco ut eo, quo licet, modo restitutio fiat, seligendi pauperes videntur; veluti in dubio concludunt omnes, & convenit *S. Thomas loc. citat. num.* 10.

His non obstantibus, non teneri executorem dispensationis ad acceptorum restitutionem, tradit *Sanchez. de Matrim. lib.* 8. *disp.* 35. *n.* 13. ex quo in Apostolicis litteris contravenienti pœna tantum excomunicationis imponitur, nec verbum ullum profertur de restitutione, minusque dominii translationem fieri impeditur.

Videbunt EE. VV. quid decernendum ad conscientiæ oratoris serenitatem super dubiis.

I. *An liceat vicario generali aliquid muneris, sive stipendii, etiam modicum accipere pro subscriptione, & Sigillo, sive alia qualibet de Causa, & titulo in executione litterarum apostolicarum dispensationis matrimonialis in casu.*

II. *An, quibus, & quomodo sit locus restitutioni in casu &c.*

Sess. 25. cap. 11. de Reform.

FIRMANA EMPHYTEUSIS. Species hujus causæ relata fuit in folio Congregationis diei 29. Julii labentis anni. Dubio quod in ea propositum fuit = *An, & cui competat prælatio, ita ut sit stipulandum instrumentum Emphyteusis in casu &c.* Responderunt EE. VV. =*Prælationem competere Josepho Mariani, & cum eo stipulandum esse instrumentum Emphyteusis ad tertiam generationem masculinam cum solidali obligatione Philippi Massa* =. Impetrata a succumbente facultate denuo experiendi jura sua proponitur hodie causa sub infrascripto dubio.

An sit standum vel recedendum a decisis.

FINIS.

INDEX
CONCLUSIONUM, ET RESOLUTIONUM

A

B

C

D

E

Non

F

H

I

L

M



Patri-

P

R

S

Sub-

Vo-

F I N I S.